Denn Christliche lere ist eine hohe Weisheit, die keine Creatur ergründen kan. Vnd wir werden in ewiger anschawung Gottes daran lernen. Gleichwol wil jm Gott also eine Kirchen samlen, vnd nicht anders, das in diesem elenden, schwachen Leben, der anfang dieser Weisheit in vns, durch Gottes gnade leuchte. Dazu ist hochnötig, die Lere vleissig zu hören, zu lesen, vnd zu betrachten. Dieses ist der einige weg, zu Gottes erkentnis, Nemlich, seine Lere recht lernen.

Vnser gemüt ist auch nicht, ein andere Lere anzunemen, oder fürzugeben, denn allein die einige ewige Lere, die Gott seiner Kirchen, durch seinen eingebornen Son geoffenbaret hat, die in der Propheten vnd Aposteln schrifft gefasset ist, Vnd in diesem verstand, der in den Symbolis, Apostolico, Niceno vnd Athanasii ausgedruckt ist, Mit welchen gleich stimmen Lutheri Catechismus vnd Confessio, vnd die Confessio, dem Keiser zu Augspurg vberantwortet, Anno 1530. Vnd wie diese Lere durch Gottes gnad, eintrechtiglich in den Kirchen der Sechsischen lande, als zu Lübeck, Hamburg, Lüneburg, vnd andern dergleichen geprediget wird, Mit welchen wir, Gott zu ehren, vnd zu vieler Menschen seligkeit, begeren eintrechtigkeit zu halten.

Vnd bitten den HERRN Jhesum Christum, er wolle vns gnediglich regieren, das wir eins sind in Jm, zu Gottes ehre, vnd vns zu ewiger Seligkeit, wie er selb für vns in seinem Leiden gebeten hat.

AMEN.

B.

EXAMEN ORDINANDORUM LATINE.

Illud Examen primum germanice scriptum Melanthon paulo post latine retexuit, atque anno 1554. primum edidit sic inscriptum:

Examen | eorvm qvi avdi- | vntvr ante ritvm | pvblicae ordinationis, qva | commendatur eis ministerium Evan- | gelii. Traditum Vuitebergae | Anno 1554. | *Philippvs Melant.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) | *Witebergae.* | 1554. 21 plagg. litt. A—X sign., 168 foll. non num., 8. min. (fol. A 2a — X 2a Examen eorvm qvi avdivntur ante ritvm pvblicae ordinationis, qva commendatur eis ministerium Evangelii. Traditum Vuitebergae Anno 1554.; fol. X 2b — 8a Iohannis Stigelii Elegia, qva celebratvr dignitas et fructus couiugij; fol. X 8b vacat.). *)

In hoc Examine Ordinandorum, quod a duabus quaestionibus: [*Quidnam docebis?* et *Quid interest inter doctrinam Ecclesiae Dei, et alias Sectas?* orditur, tractantur Loci *De Deo — De Magistratu politico*, quibus tractatus *De Coniugio* in fine annexus est.

Cum hac Ed. principe omnino congruit haec altera eiusdem anni:

Examen | eorvm qvi avdi- | vntur ante ritvm | pvblicae ordinationis, qva | commendatur eis ministerium Evange- | lii, Traditum Vuitebergae | Anno 1554. | *Philippvs Melant.* | 15 (Insigne typogr.) 54. | *Witebergae excv- | debant Haeredes Pe- | tri Seitzii.* 21 plagg. litt. A—X sign., 168 foll. non num., 8. min. (fol. A 2a — X 2a Examen Ordinandorum; fol. X 2b — 8a Stigelii Elegia; fol. X 8b vacat). **)

Has duas Editt. secutae sunt haece:

Examen | eorvm qvi avdi- | vntvr ante ritvm | pvblicae ordinationis, qva | commendatur eis ministerium Evange- | lii. Traditum Vuitebergae | Anno 1555. | *Philippvs Melant.* | (Idem Insigne typogr. ac in Ed. proxime praecedente: Crux serpente circumvoluta.) *Witebergae excv- | debant Haeredes Pe- | tri Seitzii.* | 1555. 21 plagg. litt. A—X sign., 168 foll. non num., 8. min. (fol. A 2a — X 2a Examen Ordinandorum eadem continens, quae in praeced. Ed. exhibentur.; fol. X 2b — 8a Stigelii Elegia; fol. X 8b vacat). ***)

Examen | eorvm qvi avdi- | vntvr ante ritvm | pvblicae ordinationis, qva | commendatur eis ministerium Evange- | lii. Traditum Vuitebergae | Anno 1554. | *Philippvs Melant.* | (Idem Insigne typogr.) *Witebergae excvdebant Haeredes Pe- | tri Seitzii.* | *Anno* | 1556. 23 plagg. litt. A — Z sign., 183 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2a — S 6b Examen Ordinandorum cum tract. *de Coniugio;* fol. S 7a — T 4b Stigelii Elegia; fol. T 5a — Z 7b med. Definitiones mvltarvm appellationvm, quarvm in Ecclesia usus est, traditae à Phillippo Melanth. Torgae et Vuitebergae. Anno 1552. et 1553.; fol. Z 8 vacat.). †)

— — (Idem Index, qui ab illa Ed. eo tantum differt, quod h. l. *Melanth.* pro *Melant.* legitur, cum eodem Insigni typogr.) *Witebergae excv- | debant Haeredes Pe- | tri Seitzii.* | *Anno* | 1557. 28

*) Haec Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. ad meas manus est. Haec vel subsequens altera etiam in Biblioth. acad. Erlang. exstat.

**) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

†) Haec Ed. in Biblioth. Orphanotr. Halensis, regiis Berol. et Dresd., senat. Norimb. atque Hamburg., ac in meis libris est.

plagg. litt. A—Z sign., 183 foll. non num., ult. folium album, 8. min. (fol. A 2ª — S 6ᵇ Examen Ordinandorum cum tractatu de Coniugio; fol. S 7ª — T 4ᵇ Stigelii Elegia; fol. T 5ª — Z 7ᵇ med. Definitiones multarum appellationum etc.; fol. Z 8 vacat). *)

Examen | eorvm qvi avdivn- | tvr ante ribvm pvblicae | ordinationis, qua commendatur eis ministeri- | um Evangelii. Traditum Vui- | tebergae Anno 1554. | *Philippvs Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Vvitebergae excv- | debat Lavrentivs | Schuuenck.* | *D.M.LVIII.* (sic) 23 plagg. litt. A—Z sign., 183 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2ª — S 6ᵇ Examen Ordin. cum tract. de Coniugio, fol. S 7ª — T 4ᵇ Stigelii Elegia; fol. T 5ª — Z 7ᵇ med. Definitiones multarum appellationum etc.; fol. Z 8 vacat). **)

Examen | eorvm qvi avdi- | vntvr ante ritvm | pvblicae ordinationis, qva | commendatur eis ministerium Evange- | lii. Traditum Vuitebergae | Anno 1554. | *Philippvs Melanth.* | (Insigne typogr.: Crux serpente circumvoluta.) *Witebergae excv- | debat Lavrentivs | Schuuenck.* | 1559. 27 plagg. litt. A—Z, a—d sign., 216 foll. non num., 8. (fol. A 2ª — V 7ᵇ Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. V 8ª — Z 1ᵇ Responsio Philippi Melanthonis de controversiis Stancari; fol. Z 2ª Duae quaestiones; fol. Z 2ᵇ Verba Ambrosii in epistola priore ad Timotheum; fol. Z 3ª — d 8ᵇ med. Definitiones multarum appellationum.). ***)

— — (Idem Index?) *Witebergae* 1562. 25 plagg. 8. †)

Examen | eorvm qvi av- | divntur ante ritvm | pvblicae ordinationis, | qua commendatur eis ministe- | rium Evangelii. Tra- | ditum Witebergae | Anno 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Lipsiae | Iohannes Rhamba | excvdebat | Anno | M.D.LXIII.* 25 plagg. litt. A—Z, a, b sign., 200 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ª — T 3ᵇ Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. T 4ª — X 4ª Responsio Phil. Melanthonis de controversiis Stancari; fol. X 4ᵇ — 5ª Duae quaestiones, et Verba Ambrosii in Epist. priore ad Timoth.; fol. X 5ᵇ — b 8ª Definitiones multarum appellationum; fol. b 8ᵇ vacat). ††)

— — (Idem Index) *Lipsiae* 1564. 25 plagg. 8. †††)

Examen | eorvm qvi avdi- | vntvr ante ritvm pvb- | licae ordinationis, qua commendatur eis | ministerium Evangelii. Tra | ditum Vuitebergae An- | no 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) 1566. — (In fine:) *Islebii.* | *Vrbanvs Gvbisivs | excudebat.* 23 plagg. litt. A—Z sign., 184 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ª — R 6ª init. Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. R 6ª med. — T 6ᵇ Responsio Phil. Melanthonis de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et verbis Ambrosii in epist. 1. ad Timoth.; fol. T 6ᵇ extr. — Z 8ª Definitiones multarum appellationum, subiunctâ Clausulâ; fol. Z 8ᵇ vacat.). *†)

Examen | eorvm, qvi avdi- | vntvr ante ritvm pv- | blicae ordinationis, qua commendatur eis | ministerium Evangelii? Traditum Vuitebergae, Anno | 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa.) *Cum Gratia et Priuilegio Caesareae Maiestatis,* | *et Ducis Saxoniae Electoris etc.* | *Vitebergae* | *Excvdebat Iohannes* | *Crato.* | *Anno M.D.LXIX.* 25 plagg. litt. A—Z, a, b sign., 199 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2ª — T 1ª Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. T 1ᵇ — X 2ᵇ Responsio Phil. Melanthonis de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Timoth.; fol. X 3ª — b 7ᵇ med. Definitiones multarum appellationum; fol. b. 8 vacat). **†)

---

*) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus teneo; etiam in Biblioth. acad. Gotting. invenitur.

**) Haec Ed. ex Biblioth. senat. Hamburg. mihi ad manus est.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Norimb. in manibus habeo.

†) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. asservatur.

††) Haec Ed. in meis libris est.

†††) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. exstat.

*†) Haec Ed. in meis libris est.

**†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo; etiam in Biblioth. regia Dresd., et senat. Norimb. exstat.

Examen | *eorvm qvi av-* | *divntvr ante ritvm* | *pvblicae ordinationis,* | *qua commendatur eis ministe-* | *rium Evangelii. Tra-* | *ditum Witebergae* | *Anno* 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) | *Anno* | *M.D.LXIX.* sine loci indicio. 25 plagg. litt. A—*Z*, a, b sign., 200 foll. non num.; 8. (fol. A 2ª — T 3ᵇ Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. T 4ª — X 5ª Responsio Phil. Melanthonis de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Timoth.; fol. X 5ᵇ — b 8ª Definitiones multarum appellationum; fol. b 8ᵇ vacat.).*)

— — (Idem Index ac in Ed. Witeberg. a. 1569., cum eadem imagine Mel.) *Cum Gratia et Priuilegio* etc. | *Witebergae* | *Excvdebat Iohannes* | *Crato.* | *Anno M.D.LXX.* 25 plagg. litt. A—*Z*, a, b sign., 199 foll. non num., ult. fol. album., 8. (fol. A 2ª — T 1ª Examen Ordin. cum tract. de Coniugio, fol. T 1ᵇ — X 2ᵇ Responsio Phil. Melanthonis de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Timoth.; fol. X 3ª — b 7ᵇ med. Definitiones multarum appellationum; fol. b 8 vacat.). **)

— — (Idem Index ac in Ed. Witeberg. a. 1569. cum Melanthonis imagine circulis inclusa) *Cum Gratia et Priuilegio Caesareae Maiesta-* | *tis et Ducis Saxoniae Electoris etc.* | *Witebergae* | *Excudebant Clemens Schleich et* | *Antonius Schöne.* | *Anno M.D.LXXII.* 25 plagg. litt. A—Z, Aa, Bb sign., 199 foll. non num., ult. fol. album, 8. (fol. A 2ª — T 1ª Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. T 1ᵇ — X 2ᵇ Responsio Ph. Melanthonis de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. X 3ª — Bb 7ᵇ med. Definitiones multarum appellationum; fol. Bb 8 vacat.). ***)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1573. 8.

Examen | *eorvm,* | *qvi avdivntvr* | *ante ritvm pvblicae* | *ordinationis*, *qua commendatur eis ministe-* | *rium Evangelii: Traditum* | *Vuitebergae, Anno* | 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Cum Gratia et Priuilegio Caesareae Maiestatis* | *et Ducis Saxoniae Electoris etc.* | *Witebergae* | *Excudebant Clemens Schleich et An-* | *tonius Schön* 1574. 25 plagg. litt. A —*Z*, Aa, Bb sign., 199 foll. non num., ult. fol. album, 8. (fol. A 2ª — T 1ª Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. T 1ᵇ — X 2ᵇ Responsio Phil. Melanthonis de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Timoth.; fol. X 3ª — Bb 7ᵇ med. Definitiones multarum appellationum; fol. Bb 8 vacat.). †)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1579. 23 plagg. 8. ††)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1580. 8. †††)

Examen | *eorvm, qvi* | *avdivntvr ante* | *ritvm pvblicae ordi-* | *nationis, qua commendatur eis mi-* | *nisterium Evangelii: Tra-* | *ditum Witebergae,* | *Anno* 1554. | *Phil: Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa.) *Cum Gratia et Priuilegio Caesa: Maiest et* | *Ducis Saxoniae Electoris, etc.* | *Witebergae,* | *Excudebant Haeredes Iohannis Cratonis,* | *M.D.LXXXI.* 23 plagg. litt. A—*Z* sign., 184 foll. non num., 8. Haec Ed. eadem continet ac praecedens. *†)

Examen | *eorvm,* | *qvi avdivntvr* | *ante ritvm pvblicae* | *ordinationis, qua commendatur eis mi-* | *nisterium Evangelii:* | *Traditum Vuitebergae* | *Anno* 1554. | *Phil. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Cum Gratia et Priuilegio Caes: Maiest. et* | *Ducis Saxoniae Electoris, etc.* |

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est. Haec vel proxime praecedens etiam in Biblioth. acad. Erlang. invenitur.

**) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresd. atque in meis libris est.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus habeo; etiam in Biblioth. acad. Erlang. asservatur.

†) Haec Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. mihi ad manus est; in Biblioth. quoque regia Berol. exstat.

††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Erlang. et senat. Norimb. est.

†††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Götting. et in meis libris est.

*†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo; etiam in Biblioth. regia Berol. invenitur.

Witebergae | *Excudebat Antonius Schön.* | *M.D.LXXXIIII.* 23 plagg. litt. A—Z sign., 184 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — R 5ᵇ med. Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. R 5ᵇ med. — T 6ᵃ med. Responsio Ph. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. T 6ᵃ med. — Z 8ᵇ Definitiones multarum appellationum.). *)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1585. 8.**)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1588. 22. plagg. 8. ***)

Examen | *eorvm, qvi av-* | *divntvr ante ritvm* | *publicae ordinationis, qua commendatur eis mi-* | *nisterium Evangelii: Traditum* | *Vvitebergae, Anno* | 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago intra quadratum circulis cincta) *Cum Gratia et Priuilegio Caes. Maiest. et Ducis Sax. Elect. etc.* | *Witebergae,* | *Excusum per Matthaeum Welacum.* | *Anno M.D.XC.* 22 plagg. litt. A—*Y* sign., 176 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — Q 8ᵇ med. Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. Q 8ᵇ med. — S 8ᵃ med. Responsio Ph. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. S 8ᵃ med. — Y 8ᵇ med. Definitiones multarum appellationum.). †)

Examen | *eorvm, qvi avdivn-* | *tvr ante ritvm pvblicae* | *ordinationis, qua commendatur eis mini-* | *sterium Evangelii: Traditum* | *Vuitebergae. Anno* | 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Cum gratia et Priuilegio Caesar. Maiest:* | *et Ducis Saxoniae Electoris, etc.* | *Witebergae,* | *Excusum per M. Georgium Mullerum.* | *M.D.XCI.* 22 plagg. litt. A—*Y* sign., 176 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — Q 8ᵇ med. Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. Q 8ᵇ med. — S 8ᵃ med. Responsio Ph. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. S 8ᵃ med. — *Y* 8ᵇ med. Definitiones multarum appellationum.). ††)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1592. 8. †††)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1593. 22 plagg. 8. *†)

Examen | *Eorum,* | *qvi avdivn-* | *tvr* | *ante ritvm* | *Pvblicae Ordinationis, qua comendatur eis ministerim* | *Evangelii: Traditvm Witebergae,* | *Anno* 1554. | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Cum Gratia & Priuilegio Caes. Maiest. & Ducis* | *Saxoniae Electoris, &c.* | *Witebergae* | *Imprimebat Wolffgangus Meisnerus.* | *Anno M. D. XCIV.* 23 plagg. litt. A—Z sign., 184 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — R 5ᵇ med. Examen Ordinand. adscripto auctoris nomine, quod in titulo huius Ed. omissum est; cum tract. de Coniugio; fol. R 5ᵇ med. — T 6ᵃ med. Responsio Ph. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. T 6ᵃ med. — Z 8ᵇ Definitiones multarum appellationum.). **†)

Examen | *eorvm, qvi avdivn-* | *tvr ante ritvm pvblicae* | *ordinationis, qua commendatur eis mini-* | *sterium Evangelii: Traditum* | *Vuitebergae, Anno* | 1554. | *Philip. Melanth.* | (Melanthonis imago circulis inclusa) *Cum gratia et Priuilegio Caesar. Maiest;* | *et Ducis Saxoniae Electoris, etc.* | *Witebergae,* | *Sumtibus M. Iohannis Rhuilii.* | *M. D. XCV.* 22 plagg. litt. A—Y sign., 176 foll. non num., 8. (fol. A 2ᵃ Q 8ᵇ med. Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. Q 8ᵇ med. —

---

*) Haec Ed. ex Biblioth. regia Berol. ad meas manus est.

**) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresd. exstat.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. est.

†) Haec Ed. in meis libris est.

††) Haec Ed. in meis libris est.

†††) Haec Ed. in biblioth. acad. Vratislav. servatur.

*†) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. invenitur.

**†) Haec Ed. in eadem Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

S 8ª med. Responsio Ph. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. S 8ª med.—Y 8ᵇ Definitiones multarum appellationum.). *)

Examen Eorum, | * *qvi avdivn-* | * *tvr ante ritvm pv-* | *blicae ordinationis, qva* | *commendatur eis ministerium* | *Evangelii.* | *Traditvm Witebergae* | *Anno* 1554. *Per* | * *Philippum Melanthonem* | 15 (Mel. imago) 98. | *Cum Gratia et Privilegio Electoralis Saxoniae.* | * *Witebergae,* | *Excudebat Zacharias Lehman.* (Lineae asterisco notatae rubro colore expressae sunt.) 21 plagg. litt. A—X sign., 166 foll. non num., ult. 2 foll. alba, 8. min. (fol. A 2ª — P 8ª med. Examen Ordin. cum tract. de Coniugio; fol. P 8ª extr. — R 8ᵇ init. Responsio Phil. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epist. 1. ad Tim.; fol. R 8ᵇ med. — X 6ª med. Definitiones multarum appellationum; fol. X 6ᵇ — 8ᵇ vacant.). **)

— — (Idem Index) *Witebergae* 1603. 8.***)

Ex his elucet, tres priores Editt. annorum 1554. et 1555. tantum Examen Ordinandorum cum tractatu de Coniugio et Stigelii elegiam de Coniugio continere; in tribus subsequentibus Editt. annorum 1556—1558. Definitiones multarum appellationum eccles. illis esse adiunctas; in omnibus seqq. Editt. vero, quae inde ab a. 1559. usque ad a. 1603. prodierunt, loco elegiae Stigelii omissae, Melanthonis responsionem de controversiis Stancari cum duabus quaestionibus et Ambrosii verbis in epist. 1. ad Timotheum, esse insertam.

Praeter has *Editiones peculiares* Examinis Ordinandorum etiam Melanthonis *Corpus Doctrinae Christianae,* †) eiusque *Opera a* Peucero *collecta et Wittebergae edita* ††) h. l. afferenda sunt huius. In enim *Collectionis Peucerianae* Parte I. Melanthonis Examen Ordinandorum cum tractata de Coniugio, Responsio de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus et Ambrosii verbis in epist. 1. ad Timotheum, atque Definitiones multarum appellationum, quarum usus est in Ecclesia, post Locos theologicos eodem ordine reperiuntur, quo in illis Editt. peculiaribus annorum 1559 — 1603. extant; at in *Corpore* ordo horum librorum ab his Editt. differt, in hoc enim post Locos theologicos exhibetur Examen Ordinandorum cum tractatu de coniugio, quem subsequuntur Definitiones multarum appellationum etc., post has leguntur Melanthonis Responsiones ad impios articulos Bavaricae Inquisitionis atque Refutatio erroris Serveti et Anabaptistarum: hanc denique in extrema Corporis parte sequitur Responsio de controversiis Stancari.

Praeter has Examinis Editiones afferendi sunt *Commentarii, Translationes* et *Compendia* huius libri.

1. a. Nic. Selnecceri: Examen Ordinandorum cum Commentariis:

Nicolai Selnecceri Examen Ordinandorum (in quatuor partes divisum). Lipsiae, Anno M. D. LXXXIIII. 4.

Huius operis titulum accuratius perscribere nequeo, quoniam mihi hucusque non contigit, ut hoc integrum invenirem. Partes III. et IV., quas solas in manibus habeo, sic inscriptae sunt:

Tertia Pars | *Examinis* | *Ordinandorvm:* | *1. De lege Diuina.* | *2. De peccato.* | *3. De libero arbitrio.* | *4. De Iustificatione.* | *5. De bonis operibus.* | *Exod. XXV.* | *Duo Cherubin (vetus et nouum testamentum) respiciant se mutuò (concordent) versis vul-* | *tibus in Propitiatorium. Inde loquar ad te.* | *Esaiae VIII.* | *Ad legem & ad testimonium. Nisi dixerint iux-* | *ta verba haec, non videbunt auroram.* | *Lipsiae,* | *Anno* | *M. D LXXXIIII.* — (In fine:) *Lipsiae,* | *Imprimebát Iohan-* | *nes Steinman.* | *Anno* | *M. D. LXXXIIII.* superposito Insigni typogr. 54 plagg. +,

---

*) Haec Ed. in Biblioth. acad. Vratislav., senat. Norimb. atque in meis libris est.

**) Haec Ed. in Biblioth. acad. Vratislav. et in meis libris est.

***) Haec Ed. in Biblioth. acad. Vratislav. exstat.

†) Huius Corporis latini octo Editiones in Vol. XXI. p. 587—590. recensui.

††) Huius Collectionis Operum Mel. duas Editt. in eodem Vol. p. 589—592. descripsi.

A — Z, a — z, Aa — Gg sign., prima 4 foll. non num., 420 pagg. num., ult. 2 foll. non num., 4. (fol. ✠ 1ᵇ — 4ᵇ Loci Scripturae S. et Augustini de lege divina etc. cum 5 imaginibus ligno incisis, atque precatio rhythmica; pag. 1—420. [fol. A 1ᵃ — Gg 2ᵇ] Tertia pars Examinis Theologici cum commentario et annotatt. margin.; fol. Gg 3ᵃ Insigne typogr. Steinmanni: Iosua ad lapidem testimonii stans cum aliis Iudaeis, subiunctâ Clausulâ; fol. Gg 3ᵇ — 4ᵃ Duae imagines ligno incisae; fol. Gg 4ᵇ vacat).

Quarta pars Examinis | Theologici, | continens doctri- | nam de Ecclesia, sacra- | mentis poenitentia, invocatio- | ne, cruce, libertate Christiana, | magistratu politico, & | coniugio. | (Ornamentum typogr.) *Anno | M. D. LXXXIIII.* — (In fine:) *Lipsiae, | Imprimebat Iohan- | nes Steinman.* | *Anno | M. D. LXXXIIII.*, superposito eodem Insigni typogr., ac in P. III. 69 plagg. litt. A—Z, Aa—Zz, Aaa—Zzz, primum fol non num., 545 pagg. num., seqq. 3 pagg. non num., ult. fol. album, 4. (pag. 1 — 545 med. [fol. A 2ᵃ — Zzz 2ᵃ] Examinis P. IV. cum commentario et annott. marg.; fol. Zzz 2ᵇ — 3ᵃ Postfatio auctoris: Ad Lectorem; fol. Zzz 3ᵇ Insigne typogr. Steinmanni, subiunctâ Clausulâ; fol. Zzz 4. vacat). *)

Mart. Lipenius in Bibliothecae realis theologicae Tomo I. (Francof. ad. M. 1685. Fol.) p. 666. affert huius Operis Ed. *Lipsiensem 1582.* 4.; Theoph. Georgius in Bücher-Lexicon P. IV. (Leipz. 1742. Fol.) p. 90: Ed. *Lips., ap. Vogt 1593.* 204 plagg. 4. quam Ed. etiam C. Ios. Bouginé in l. Handbuch der allgem. Litterargesch. T. II. p. 45. memorat.

b) Christophori Pezelii:

Examen Theo- | logicum, | Reveren- | dae memoriae Phi- | lippi Melanthonis: | Quondam Germaniae totius Praece- | ptoris, de Ecclesia Filij Dei, & | de Scholis optimè | meriti. | *Cvm | Explicationibus eiusdem Examinis, accommoda- | tis ad vsum iuuentutis scholasticae:* | *Ex praelectionibus Christophori Pe- | zelii, sacrae Theologiae Doctoris, in Schola | Bremensi exceptis: & nunc primùm editis.* | (Insigne typogr. cinctum verbis: *Ditat servata fides. Mathes Harnisch.) Neostadii, M. D. LXXXVII.* — (In fine:) *Neostadii Pa- | latinorvm excvde- | bat Matthaeus Harnisch.* | (Idem Insigne typogr., quod in titulo est) *Anno | M. D. XXCVII.* 46 plagg.)(et A—Z, Aa—Yy sign., prima 8 foll. non num., 808 pagg. num., seq. pag. non num., ult. 5 pagg. albae, 8. (fol.)(1ᵇ Lutheri dictum de Melanthone et huius scriptis; fol.)(2ᵃ — 7ᵃ Tobiae Pezelii, Filii Christophori Pezelii, praefatio ad Consules, Scholarchas et Senatores Reipublicae Bremensis perscripta Bremae m. Febr. 1587.; fol.)(7ᵇ — 8ᵇ Ioachimi Meisteri carmen ad Scholae Bremensis alumnos; pag. 1 — 808. [fol. A 1ᵃ — Yy 5ᵇ] Examinis Ordinandorum P. I. cum explicationibus, et annotatt. margin.; fol. Yy 6ᵃ Clausula cum Insigni typ.; fol. Yy 6ᵇ — 8ᵇ vacant).

Examinis Theo- | logici, | D. Philippi | Melanthonis: | vna cvm explicatio- | nibus | Exceptis in Schola | Bremensi, ex Praelectionibvs | Christophori Pezelii | Theologiae Doctoris. | *Pars Secvnda.* | (Idem Insigne typogr.) *Neostadii,* | *Apud Matthaevm Harnisch.* | *Anno M. D. LXXXVII.* (In fine:) *Neostadii Pa- | latinorvm excvde- | bat Matthaeus Harnisch.* | (Idem Insigne typ.) *Anno | M. D. XXCVII.* 44½ plagg.):(, Aa—Zz, AA—XX ():(½ plag.) sign., prima 5 foll. non num., 709 pagg. num., seq. pag. non num., ult. fol. album, 8. (fol.):(2ᵃ — 4ᵇ Tobiae Pezelii Praefatio ad Ericum Hoyerum, Dan. a Buren, Christian. Stedingium et Herm. Schumakerum, Reipubl. Bremensis Consules, perscripta Bremae m. Martio 1587.; fol. Aa 5. Ioach. Meysteri votum Cal. Ian. 1587. scriptum; pag. 1 — 709. [fol. Aa 6ᵃ — 12ᵇ, Bb 1ᵃ — XX 7ᵃ] Examinis P. II. De Ecclesia — De Coniugio cum explicationibus, et annott. marg.; fol. XX 7ᵇ Clausula cum Insigni; fol. XX 8 vacat). **)

— — (Idem Index) *Editio altera | priori emendatior.* (Idem insigne typogr.) Neostadii *M. D. LXXXIX.* — (In fine:) *Neostadii Pa- | latinorvm excvde- | bat Matthaeus Harnisch.* (Idem Insigne) *Anno | M. D. LXXXIX.* Huius Ed. Pars prior cont. 48 plagg.)(, †, ††, A—Z, Aa—Yy sign., prima 24 foll. non num., 718 pagg. num., seq. pag. non num., ult. 5 pagg. albae, 8. (fol.)(1ᵇ Lutheri

---

*) Has duas partes ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus teneo; in Biblioth. regia Berolin. sola Pars IV. exstat.

**) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi, senat. Norimb. et in meis libris est.

dictum de Melanthone et Ioh. Maioris duo disticha in Mel.; fol.)(2ª — 7ª Tobiae Pezelii praefatio a. 1587. perscripta; fol.)(7ᵇ — 8ª Ioach. Meisteri carmen; fol. † 1ª — †† 8ᵇ Index Partis I.; pag. 1—718. [fol. A 1ª — Yy 5ᵇ] Examinis Ordin. P. I. cum explicationibus et nott. marg.; fol. Yy 6ª Clausula cum Insigni typ.; fol. Yy 6ᵇ — 8ᵇ vacant.) Pars II., quae mihi non ad manus est, circ. 702 pagg. num. et in fine Indicem huius Partis (18 foll. non num.) cont., quem eadem Clausula subsequitur, quam P. I. exhibet). *)

— — (Idem Index) *Editio tertia* | 15. (Idem Insigne) 97. | *Neostadii, Typis Iosuae et Wilhelmi Harnisiorum.* P. I. cont. 46¼ plagg.)(, A — Z, Aa — Zz (Zz ¼ plag.) sign., prima 8 foll. non num., 698 pagg. num., ult. 13 foll. non num., 8. (fol.)(1ᵇ Lutheri dictum de Mel. et Maioris 2 disticha in eund.; fol.)(2ª — 7ª Tob. Pezelii praefatio; fol.)(7ᵇ — 8ᵇ Meisteri carmen; pag. 1 — 69 8. [fol. A 1ª — Xx 5ᵇ] Examinis Ordin. P. I. cum explicatt. et nott. marg.; fol. Xx 6ª — Zz 2ª Index Partis I., fol. Zz 2ᵇ Errata.). P. II. habet eundem titulum ac in Ed. 1. cum eodem Insigni, in quo autem loco praenominis *Matthaeus* exstant litt. *I & W.*, aeque ac in P. I. huius Ed. Infra hoc Insigne leguntur: *Neostadii, | Apud Iosuam et Wilhelmum Har- | nisios Fratres. | Anno M, D. XCVII.* Haec Pars conf. 45 plagg. Aa—Zz, AA—YY sign., 686 pagg. num., seq. fol. album, 15 foll. non num., ult. fol. album, 8. (pag. 3 — 8. Tob. Pezelii praefatio; p. 9 sq. Meysteri votum; p. 11—686 [fol. VV 7ᵇ]. Examinis Ordin. P. II. De Ecclesia — De Coniugio, cum explicatt. et nott. marg.; fol. VV 8 vacat; fol. XX 1ª — YY 7ª Index Partis II.; fol. YY 7ᵇ — 8ᵇ vacant.). **)

2. Examinis Ordinandorum *Translationes:*

a. in linguam *venedicam.*

Hoc Examen latinum (aut germanicum?) in linguam venedicam a Primo Trubero (de quo in Vol. XXII. p. 697 sqq. diximus) esse translatum coniicere licet ex iis, quae a Siegm. Iac. Baumgartenio Nachrichten von merkwürdigen Büchern Tom. V. (Halle, J. J. Gebauer. 1754. 8.) p. 451. et in l. Fortgesetzte Sammlung Von Alten und Neuen Theologischen Sachen, Büchern etc. Auf das J. 1729. (Leipz. 1729. 8.) p. 712. afferuntur. Ille enim l. l. inter libros venedicos ipsi nondum accuratius notos memorat: „6. Die Würtembergische Kirchenordnung nebst dem Examine Melanchthonis 1564." In hac vero Collectione p. 712. in annotatione leguntur haecce: „Sonsten war gedachter Truber ein γνησίως Lutherano-Theologus, und hat von Melanchthons Schrifften keine ausser besagte Locos und sein Examen in die Sclavonische Sprache vertiret" etc.

b. in linguam *polonicam.*

Haec interpretatio a Ioh. Rádomskio ex latino Examine facta et a. 1566. edita sic est inscripta:

EXAMEN | * THEOLOGICVM. | to yest. | *Sluchánie álbo do | *ſwiadczánie w nauce ſl'owá Bo- | żego, tych ktorzy bywáyą ná vrząd | kaznodzieyſki wezwáni | y posl'ani. (ornamentum parvum typogr.) | * Przes Philippá Melanchthoná | po l'acinie nápiſane. | A | * Przes Jana Rádomſkiego Miniſtrá | Zebránia Nid- borſkiego, w yęzyk | polſki przełożone. | * Drukowano w krolewcu, przes | Jana Daubmaná, Roku | 1566. (Huius tituli lineae asterisco notatae atque in linea extrema primus tertiusque numerus 1 et 6 rubro colore expressi sunt.) 38½ plagg. litt. A — Z, Aa — Rr (Rr ½ plagg.) sign., prima 8 foll. non num., seqq. 301 pagg. numeris 9—309 signatae, penult. 8 pagg. non num., ult. pag. alba, 4. (fol. A 1ᵇ Insigne Marchionis Brandenburgensis, inscriptum: Ivstvs ex fide vivit; fol. A 2. Alberti Senioris, Marchionis Brandenburgensis hortatio Kal. Aug. 1566, Regiomonti latine data ad ecclesiarum ministros, ut unusquisque sibi Examinis theologici in polonicum sermonem translati exemplar comparet atque ediscat; fol. A 3 Eadem hortatio eodem die polonice data; fol. A 4 cont. 5 Locos Scripturae S. latine; fol. B 1ª — 4ᵇ et pag. 9—309. [fol. C 1ª — Rr 2ª] Examen theologi-

---

*) Haec Ed. in Biblioth. Orphanotr. Halens., acad. Erlang. exstat, ipse possideo eius Partem I., cui Index Partis II. cum Clausula annexus est.

**) Haec Ed. in Biblioth. regia Berolin., senat. Norimb. et in meis libris est.

cum. To yest, Słuchánie á doświádczánie w nauce słowá Bożego, tych ktorzy bywáyą ná vrząd káznodzieyski wezwáni y posłáni. Haec interpretatio polonica continet Examen ordinandorum: *De Deo — De Coniugio*, et finitur precatione ad Iesum Christum, quae extrema pars est huius loci de Coniugio; cetera in Editt. latinis huic Examini annexa in hac polon. interpretatione praetermissa sunt; fol. Rr 2^b — 5^b Index rerum alphabeticus: Regestr etc.; fol. Rr 6^a Errata: Omylności, subiunctis ornamentis typogr.; fol. Rr 6^b vacat.). *)

3. Examinis Ordinandorum *Compendia.*

a. **Alberti Lyttichii:**

Fragstücklein von den Hauptpuncten der reinen Christlichen lehre auß dem Examine vnd Locis Melanchthonis von A. Lyttich. Leipzig 1572. 12. **)

Quaestiunculae | Examinis | Theologici, de | praecipuis capitibus | doctrinae Christianae, ex scriptis D. | Phil. Melan. collectae, & | ad institutionem puerilem | accommodatae | M. Alberti Lyttichii | Valle Ioachimici opera. | Quibus coniunctae sunt | Definitiones graecae Domini | Ioachimi Camerarii, &c. | Ac | Precatiunculae traditae & ipsae | à Melanchthone. | Accessit Confessionis Augustanae breuis | comprehensio, quae est et Paraphrasis | Symboli Apostolici. | Lipsiae. | M. D. LXXIIII. — (In fine:) *Anno | EXVLtate IVstI In DoMIno.* (i. e. 1574.) *Lipsiae | Iohannes Rhamba excudebat.* 12¼ plagg. litt. A—N (N¼ plag.) sign., 98 foll. non num., 8. min. (fol. A 2^a — 3^b Alb. Lyttichii praefatio ad Andream Heyl Bibliopolam Lipsicum data Mariaebergae Mysiorum die Martini 1573.; fol. A 4 Eliae Lyttichii fratris auctoris 17 disticha lat. et 2 graeca In Quaestiunculas Capitum Pietatis; fol. A 5^a — E 4^a Quaestiones; fol. E 4^b — G 4^a Definitiones capitum sanae doctrinae christianae, graece et latine; fol. G 4^b — I 1^b Formae precationum et confessionum, subiunctis 2 distichis graecis Alb. Lyttichii; fol. I 2^a vacat; fol. I 2^b — 4^b Nicol. Selnecceri epist. dedicat. ad Iohannem et Antonium Fratres, Comites Oldenburgicos etc. data Lipsiae 27. Maii 1574.; fol. I 5^a — K 8^b Articulorum Augustanae Confessionis brevis comprehensio; fol. L 1^a — 6^b init. Alb. Lyttichii Paraphrasis Symboli Apostolici, atque eiusdem Symboli ex V. et N. Testamento confirmatio et fundamenta; fol. L 6^b — M 3^b Tabula moralis domestica; fol. M 4^a N 2^a Index; fol. N 2^b Correcturae et errata; subiunctâ Clausulâ.). ***)

— — (Idem Index) *Lipsiae* 1581. 13 plagg. 8. †)

Nescio, an eiusdem auctoris sit liber hicce, quem nondum vidi:

Quaestiunculae Examinis theologici ex scriptis Melanchthonis collectae ad institutionem primam electoralis iuuentutis in aula Brandenburgica accommodata. Dresdae 1593. 14 plagg. 8. ††)

b. **anonymi Lipsiensis:**

Quaestiones de praecipuis capitibus doctrinae christianae ex Melanchthonis examine theologico, addiiis de quibus iudici dexteritate opus est, in usum Ludi Literarii Lipsiensis ad aedem St. Thomae. Secundum auctae et editae. Lipsiae 1597. †††)

Ex hoc titulo intelligitur, huic Editioni *secundae* aliam praecessisse mihi hucusque ignotam.

---

*) Hunc librum rarum ex Biblioth. regia Berolin. in manibus habeo.

**) Hic liber olim erat in Biblioth. senat. Norimb.

***) Haec Ed. in meis libris est.

†) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. asservatur. — In Mart. Lipenii Bibliotheca reali theologica Tom. I. p. 666. afferuntur huius libri duae Editt.: *Lips.* 4. 1547. 1597., quarum prior falsa est, nam loco „4. 1547." legenda sunt: „8. 1574."; quapropter dubito, an altera recte sit allata.

††) Haec quoque Ed. in Biblioth. senat. Norimb. invenitur.

†††) Haec Ed. in Biblioth. acad. Halensi est.

c. Alberti Voiti:

Pericope | Doctrina- | rvm Examinis | Theologici D. | Phil. Melan- | chthonis | In Aphorismos, vel The- | ses distributa, velitatio- | nibusque scholasticis mo- | destè agitata et | disputata | ab | Alumnis Gymnasij Illustriss. | Ppr. Anhalt. | Praeside | Alberto Voito Borusso. | Servestae | Typis Ioh. Schlerij. Anno 1602. 3 plagg. litt. A—C sign., 24 foll. non num., 8. min. (fol. A 1ᵇ admonetur lector de libris adhibendis; fol. A 2ᵃ — C 5ᵇ Theses; fol. C 6ᵃ — 8ᵇ Index capitum Doctrinalium vel disputationum [huius libri et quorundam aliorum]. *)

d. Abrahami Cörberi:

Compendi- | um per-breve | Examinis theolo- | gici Reverendi D. Philippi | Melanth. pro Religionis Chri- | stianae tyronibus fideliter | conscriptum, | et | Impensis Abrahami Cör- | beri W. descriptum. | (Ornamentum typogr.) *Bregae, | Typis Casparis Sigfridi Ao* 16 19. (Hic titulus taeniis typogr. cinctus est) 2 plagg. litt. A, B sign., prima 2 foll. non num., 28 pagg. num., 8. (fol. A 2ᵃ Quid interest inter doctrinam Ecclesiae Dei, et alias sectas? fol. A 2ᵇ Catalogus Locorum [16] huius Compendii; pag. 1—28 [fol. A 3ᵃ — B 8ᵇ] Loci. **)

e. Iohannis Sauberti:

Epitome Examinis autore Ioh. Sauberto. Noribergae 1625. 8. ***)

— — (Idem Index) *Noribergae* 1639. 8.

Epitome Examinis Melanth. opera Io. Sauberti. Noribergae 1705. 8.

— — (Idem Index) *Noribergae* 1752. 11 plagg. 8.

Theologische Fragstücke Heiliger Glaubens-Wahrheiten Aus den Fragstücken Philipp Melanchthons in die Kürtze gezogen von M. Iohanne Savberto weyland Prediger an der vördersten Haupt-Pfarr-Kirche zu Sct. Sebald in Nürnberg 2c. Nunmehro, zum Gebrauch der studierenden Jugend, aus dem lateinischen ins teutsche übersetzt und mit nöthigen Registern versehen von M. Nicolaus Ernst Zobel Diener des göttlichen Worts an gedachter Haupt-Kirche zu Sct. Sebald. Nürnberg In Verlegung der Joh. Andr. Endterischen Handlung. 1754. (Huic titulo praefixus est alter imaginibus ornatus, qui continet verba: Theologische Fragstücke Heiliger Glaubens-Wahrheiten von M. Iohanne Savberto.) 15¼ plagg.)(et A—P ()(¾ plag., P ½ plag.) sign., prima 6 foll. non num., 200 pagg. num., ult. 16 foll. non num., 8. (fol.)(2 Bibliopolae dedicatio ad Rectores Norimb. Nic. Schwebelium, Chrph. Aug. Reichelium, Seb. Iac. Iungendres et Iobst. Guil. Muncker; fol.)(3ᵃ — 5ᵇ Vorbericht des Uebersetzers, Nürnb. 19. Febr. 1754.; fol.)(6ᵃ Tabula: Kurtzer Entwurf des gantzen Wercks; fol.)(6ᵇ vacat; pag. 1—200. [fol. N 4ᵇ] Theologische Fragstücke etc.; fol. N 5ᵃ — 6ᵃ Verzeichniß der angeführten Schriften; fol. N 6ᵇ I. Register der abgehandelten Glaubens-Artickel, fol. N 7ᵃ — O 3ᵃ II. Register der vorkommenden Sachen; fol. O 3ᵇ — P 4ᵇ Register der gegenseitigen Lehrer und verschiedener Secten.). †)

---

*) Hunc libellum ex Biblioth. acad. Halensi et Vratislav. in manibus habeo.

**) Hic libellus ex Biblioth. acad. Vratislav. ad meas manus est.

***) Haec Ed. et tres sequentes in Biblioth. senat. Norimb. asservantur; haec Ed. prima etiam in Biblioth. acad. Gotting. invenitur.

†) Hic liber in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

EXAMEN EORUM

QUI AUDIUNTUR ANTE RITUM PUBLICAE ORDINATIONIS, QUA COMMENDATUR EIS MINISTERIUM EVANGELII.

Ex Editione Witebergensi anni 1559.

Quidnam docebis?

Docebo Evangelium Domini nostri Iesu Christi.

Quid interest inter doctrinam Ecclesiae Dei, et alias Sectas?

Omnes aliae Sectae extra veram Ecclesiam, ut Ethnici, Blasphemi Iudaei, Mahometistae, et alii, tantum docent particulam Legis de quibusdam externis et civilibus officiis, et addunt cultus idolorum, aliae alios. Prorsus autem ignorant filium Dei et Evangelium, id est, promissionem de gratuita remissione peccatorum, et de reconciliatione, et de haereditate vitae aeternae donandae per fidem in Filium mediatorem. At in Ecclesia retinetur integra et incorrupta Legis et Evangelii doctrina, et notitia filii Dei, crucifixi pro nobis et resuscitati. Sola autem illa congregatio, in qua agnoscitur filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, est Ecclesia, in qua sunt multi vere placentes Deo, et recte invocantes eum, et electi ad vitam aeternam, iuxta haec dicta, Iohannis 5. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui misit eum. 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Iohannis 3. Qui non credit iam iudicatus est. Item: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Iohan. 14. Nemo veniet ad Patrem, nisi per Filium. Item: Si quis diliget me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Haec sciri necesse est, contra Thammerum, Latomum Lovaniensem, et similes, qui infinitam confusionem faciunt, et fingunt Ecclesiae membra ubique esse, Ethnicos et alios, quorum mores sunt honesti.

[DE DEO.]

Quid est Deus?

DEUS est essentia Spiritualis, intelligens, aeterna, alia a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius, imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est divinitas, certo verbo, et testimoniis divinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit et conservet coelum et terram, et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis, quo ad conservationem, et colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter Filium, et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum.

Quid est Persona?

PERSONA est subsistens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab

alio. Graece ὑφιστάμενον. Essentia vero nominatur, quod revera est, etiamsi est communicatum. Et teneatur discrimen inter οὐσίαν et ὑφισταμένους. Sunt autem TRES PERSONAE DIVINITATIS, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, ὁμοούσιοι, non plures, nec pauciores, quia sic se divinitas patefecit.

Quomodo discernuntur?

PATER aeternus est prima persona divinitatis, non nata, nec aliunde procedens, Sed quae ab aeterno genuit Filium, imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum Filio et Spiritu sancto omnes alias res creavit, et earum substantias conservat.

Quid nominas Creare?

CREARE est ex nihilo aliud facere, sicut Deus coelum et terram, angelos et totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihilo, non ex aliqua praecedenti aeterna materia, ut multi Philosophi cogitaverunt.

GIGNERE est alium de sua essentia gignere.

FILIUS aeternus est secunda persona divinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni Patris, quam Pater sese intuens et considerans ab aeterno gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit persona, per quam Pater dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur ut patefaciat Evangelium, et assumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemptor, Iustificator et Salvator.

SPIRITUS sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor et laetitia coaeterna, inter Patrem et Filium. Et nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laetitiam aequiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, Sicut 2. Timoth. 1. expresse scriptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei et castificationis.

Quid differunt Nasci et Procedere?

NASCI est a potentia cognoscente. Quia genitum est imago gignentis. Ut autem in hominibus potentia cognoscens format imagines et loquitur: Sic Filius est aeterni Patris imago, cogitatione genita, et est λόγος ostendens eum in revelatione Evangelii. Procedere autem est a voluntate, quia Spiritus sanctus est motor, seu agitator.

Quare Filius nominatur λόγος?

Non solum quia cogitatione nascitur, sed etiam quia est persona proferens Evangelium ex sinu aeterni Patris, et conservans ministerium Evangelii, et efficax in his qui credunt Evangelio, et voce Evangelii dicens consolationem in cordibus eorum, et vivificans eos, sicut inquit: Ego vitam aeternam do eis, et ostendens Patrem, et effundens Spiritum sanctum in corda eorum. Etsi enim fit vivificatio per omnes personas, tamen hoc ordine fit: Filius qui colligit Ecclesiam immediate voce Evangelii movet corda et monstrat Patrem, et dat Spiritum sanctum. Ideo dicit Athanasius: Quandocunque dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per VERBUM. Considerandum est igitur, Filium dici λόγον, et respectu Patris, et respectu nostri, quia est λόγος, per quem Pater se nobis patefecit. Ideo in Iohanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Et Dominus ipse respondet interrogantibus, quis sit, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, id est, ego sum verbum, quod loquor vobis initio, sum illa persona, initio loquens vobiscum, proferens Evangelium ex sinu aeterni Patris. Item: Nemo novit Filium, nisi Pater, et nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui Filius volet revelare.

De vocabulo Spiritus.

Vocabulum SPIRITUS significat agitationem seu agitatorem. Nam et Spiritus sanctus est persona sic nobis patefacta, quod sit velut flamma, immediate tales motus accendens in corde, qualis ipse est. Sicut Roma. 14. dicitur: Regnum Dei est iustitia et pax, et gaudium per Spiritum sanctum. Et ad Tim. dicitur: Spiritus roboris, dilectionis et castificationis. Ut autem haec vocabula aliquanto melius intelligantur, intueamur imaginem Dei in homine, in quo sunt tria haec praecipua, Mens seu substantia animae. Deinde cogitatio, quae est imago rerum quae cogitantur. Et verbum et cogitationem sequuntur in voluntate et corde motus seu agitationes, ut dicitur: Ignoti nulla cupido. Sed cogitationes et agitationes in hominibus sunt res evanescentes. At a Patre aeterno est Filius, qui est

substantialis imago, nata cogitatione, et est ὑφιστάμενος, id est, quiddam subsistens, non est quiddam fugax. Cum cogitatione est et agitatio et laetitia, quae etiam est ὑφισταμένη.

Quae persona assumpsit humanam naturam?

FILIUS, qui est coaeterna imago aeterni Patris, et nominatur λόγος a Iohanne, assumpsit humanam naturam in Maria virgine matre, ut Iohan. 1. dicitur: Et verbum caro factum est. Talis est autem assumptio, ut huic personae soli, quae est λόγος, haec massa humanae naturae assumpta, sit unita unione hypostatica, id est, ut sit unum ὑφιστάμενον, λόγος sustentans hanc massam, et ipsa massa naturae humanae. Non enim conversa est una natura in aliam, sed personae, quae est λόγος, unita est massa naturae humanae assumpta. Ac ad declarationem prodest considerare quatuor gradus praesentiae Dei.

Primus est praesentia universalis, quae est praesentia conservationis, qua Deus omnibus creaturis adest, ita ut conservet eas tantisper, donec vult eas conservare, de quo gradu dicitur Ieremiae 23. Nonne coelum et terram ego impleo? dicit Dominus. Item: Enter, praesenter, Deus hic et ubique potenter. Iuxta hunc gradum etiam malis adest. Et manifestum est, Deum sic separabiliter rebus adesse, quia destruit naturas, quas vult destruere, ut Pharaonem, et maximam partem generis humani in diluvio.

Secundus gradus est, quo adest beatis Angelis et hominibus, et conservat non tantum vitam eorum, sed etiam vivificat eos vita aeterna, et implet eos sua luce et iustitia, et visibiliter et immediate conspicitur ab eis, et quanquam non discedit ab eis, tamen adest eis tantum societate.

Tertius gradus est, quo adest in hac vita renatis, ut Davidi, quo videlicet non tantum vitam eorum conservat, sed etiam efficit in eis motus sibi placentes, et tamen non conspicitur visibiliter, ut in vita aeterna conspicietur, et adest separabiliter.

Quartus gradus longe alius est, quo sola haec persona λόγος assumit humanam naturam, non solum inseparabiliter, sed etiam tali ratione, ut sit unum ὑφιστάμενον. Et sicut haec persona λόγος aeterna est, ita postea impossibile est, hanc massam λόγῳ insertam non simul manere. Ac sit notissimum dictum Damasceni omnibus: Naturam humanam, quam semel assumpsit λόγος, nunquam deserit.

Etsi autem exemplum huius unionis nullum est in creaturis, quod prorsus congruat, tamen vetustas, ut aliquo modo declararet unionem personalem, monstravit hominem. Sicut anima hominis et corpus sunt unum ὑφιστάμενον completum, et corpus dissolvitur, desertum ab anima: Ita λόγος et assumpta natura sunt unum ὑφιστάμενον, et redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur et sustentaretur a λόγῳ. De hoc exemplo inquit Iustinus: *Τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν καὶ ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν.*

De discrimine Idiomatum.

Discernendae sunt appellationes, quae significant proprietates naturarum, et appellationes officii. Ut, propria sunt humanae naturae, pati, vulnerari, mori. Propria autem Divinae naturae sunt, esse omnipotentem, esse immortalem. Sed nomina officii sunt, Mediator, Redemptor, Salvator, Sacerdos, Rex, Pastor. Haec nomina officii competunt personae, non tantum humanae naturae. Quanquam autem actiones quaedam sunt in natura humana propriae, ut dolores omnes et agones in passione, tamen missio Filii fit ab initio Ecclesiae. Filius perpetuo adest Ecclesiae, patefacit promissionem, colligit et servat Ecclesiam, et vult illam suam obedientiam, est intercessor, propitiator et Salvator, propter illam futuram obedientiam, quae est personae, postquam assumpsit naturam humanam. Nec missio et obedientia tollunt aequalitatem potentiae, sicut expresse inquit Cyrillus.

Hinc modi loquendi considerentur. Verissima est propositio: Natura divina non vulneratur, non moritur. Et rursus verissimae sunt propositiones, cum de Christo loquimur: Christus est vulneratus, Deus est vulneratus, Deus est mortuus.

Quae est ratio diversitatis?

Respondeo. Propositio in Abstracto significat naturam secundum se consideratam, ideo necesse est dici: Natura divina non moritur. Propositio in Concreto significat personam, seu subsistens seu ὑφιστάμενον, ut, Deus est homo. Christus est mortuus. Deus est vulneratus. Deus est mortuus. Hae propositiones verae sunt communicatione Idiomatum.

Est autem Communicatio Idiomatum, praedicatio, in qua proprietas uni naturae conveniens, tri-

buitur personae in Concreto, quia hae duae naturae, λόγος, et natura assumpta, sunt unum ὑφιστάμενον.

Argumentum.

Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.
Salvatio hominis est opus ad extra.
Ergo non aliter fit per Filium quam per Patrem et Spiritum sanctum.

Respondeo. Vera est haec Regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, Sed servata cuiusque personae proprietate. Filius et Spiritus sanctus mittuntur. Pater non mittitur. Et aeternus Pater est efficax, sed per Filium et Spiritum sanctum. Filius immediate profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, et ostendit voluntatem aeterni Patris, et sanctificatur Ecclesia dato per eum Spiritu sancto. Sic dicitur Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Et 1. Corinth. 15. Deo gratia, danti nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et sic dictum est: Filius agit per se, sed non a se.

Quod est discrimen verae invocationis in Ecclesia, et aliarum impiarum invocationum?

Respondeo. Duae sunt praecipuae differentiae, altera de Essentia Dei, altera de Voluntate. Ethnici et alii impii negant hunc esse Deum, qui se patefecit misso Filio, aeternum Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Aberrant igitur Ethnici a vero Deo, et alloquuntur aliud quiddam commenticium, quod non est verus et patefactus Deus. Ideo scriptum est: Vos nescitis, quid invocetis. Deinde ignorant promissiones et Mediatorem. Ideo manent in perpetua dubitatione, et ignorant, an et quare exaudiantur. Invocatio vero sine fide, et oppressa dubitatione, inanis est, iuxta dictum: Quomodo invocabunt, si non credunt? Roman. 10.

Ecclesia vero alloquitur verum Deum, patefactum illustribus testimoniis, et agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, et agnoscit Mediatorem, et scit Deum velle invocari et exaudire fiducia Mediatoris, sicut ipse Dominus inquit: Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Assuefaciamus igitur nos, ut in invocatione mens cogitet patefactiones Dei, et alloquatur hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio. Et simul tres personas intueatur, et fiducia Mediatoris petat gratiam et alia beneficia.

[DE LEGE MORALI]

Quid est Lex Moralis?

LEX MORALIS est aeterna et immota sapientia, et regula iustitiae in Deo, discernens recta et non recta, et horribiliter irascens contumacibus, seu denuntians horrendam iram adversus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo, et patefacta est hominibus in creatione, et postea saepe repetita, et declarata voce divina, ut sciamus, quod sit Deus, et qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, et postulans, ut omnes sint conformes Deo, et damnans ac destruens omnes non conformes Deo, nisi fiat remissio et reconciliatio propter Filium Mediatorem. Huius legis summa comprehensa est in Decalogo, quare nomine Decalogi saepe utimur pro Lege Morali, ut quasi monstremus praecipua capita. Etsi autem nullius creaturae sapientia penitus intelligere Decalogum potest, tamen immutabile mandatum Dei est, ut eum discamus et consideremus, et intelligamus iuxta enarrationes Christi, Prophetarum et Apostolorum. Ac inde usque ab Adam repetivit Deus et conservavit in Ecclesia vocem huius legis, et vult eam semper doceri, et illustribus exemplis poenarum in atrocibus delictis per omnia tempora ostendit, hanc Legem esse ordinem divinae sapientiae et iustitiae.

Leges Mosaicae Forenses et Ceremoniales, quae fuerunt traditae tantum ad illius politiae Mosaicae constitutionem, et tandem deleta politia Mosaica extinctae sunt, discernantur ab aeterna Lege, quae Moralis nominatur. Sunt autem Ceremoniales Leges, quae externos gestus ordinant in Sacrificiis, et loca, tempora et personas distinguunt, et alia quaedam exercitia externa describunt, ut sint signa et distinctiones politiae Mosaicae ab aliis gentibus.

Leges Forenses sunt Leges de externa defensione disciplinae, iuxta totum Decalogum, de Magistratibus, de poenis blasphemiae et periurii, seditionis, homicidii, adulterii, de distinctione facultatum vel dominiorum, de haereditatum distributione, de poenis furtorum, de ordine iudiciorum. Quia etiamsi Deus ipse est autor et custos ordinis politici, tamen homines vult esse organa gubernationis, et vult conspici in poenis discrimen recte et non recte factorum, et vult agnosci, Deum esse sapientem, iustum, castum et vindicem scelerum, et vult

conservari humanam societatem, et propter has causas deleri contumaces contra suam Legem.

Quomodo intelligenda est abrogatio Legis Mosaicae?

Respondeo. Quod ad iustificationem attinet, eodem modo de omnibus partibus Legis Moisi sentiendum est, videlicet quod non mereantur remissionem peccatorum, et quod persona non sit iusta, id est, accepta Deo ad vitam aeternam, propter opera Legis Moralis, et alia. Item quod haec nostra obedientia, quam utcunque praestat homo in hac vita, non sit iustitia aeterna, seu integra legis impletio. Ideo Paulus inquit de omnibus partibus Legis Moisi, Roman. 3. Ex operibus Legis non iustificabitur omnis homo.

II. Responsio.

Sed quod ad obedientiam attinet, differentia est, quia Leges Forenses et Ceremoniales sic sunt abolitae, ut prorsus omitti possint, et sint extinctae. Verum Lex Moralis cum sit in Deo sapientia, et norma iustitiae aeterna, et patefacta sit hominibus, ut homo sit conformis Deo, non potest extingui, sed manet ordo divinus, ut homo iterum fiat conformis Deo, sicut Roma. 3. dicitur: Per fidem stabilimus Legem. Item Roma. 8. Ut ius Legis in nobis impleatur.

Quare Leges Ceremoniales et Forenses prorsus omitti possunt?

Respondeo. Quia tantum promulgatae sunt, ut durarent ad certum tempus, donec mansura erat politia Mosaica, quae constituta est hoc consilio, ut esset certus locus et certa stirps, in qua nasceretur, doceret, ederet testimonia, offerret sacrificium, et resuscitaretur Messias. Et hanc gentem voluit Deus conspici, et segregari ab aliis gentibus, ideo attribuit ei certos ritus. Praedixit autem Deus postea eam politiam interituram esse. Ac anni sunt ab exitu Israelitarum ex Aegypto, usque ad destructionem postremam Ierosolymae 1582. Ac simul cum politia Mosaica extinctae sunt leges Ceremoniales et Iudiciales, quia hae reipsa fuerunt nervi huius politiae, seu potius ipsa politia, ac nequaquam obligant alias gentes, ut ex actis Apostolorum capite 15. et Epistola ad Galatas manifestum est.

Cum igitur Lex Moralis non possit deleri, quis est eius usus?

Tres sunt usus. Primus est paedagogicus seu politicus, ad omnes homines pertinens, etiam non renatos et Ethnicos, quod videlicet obligat omnes, ut regant externa membra seu Locomotivam, ut externa facta congruant cum Lege Morali, et sancit poenas etiam corporales in hac vita adversus eos qui admittunt externa delicta, quas Deus vel per Magistratus, vel aliis modis sumit de sontibus. De hoc usu dicitur: Lex est posita iniustis, id est, premens eos, cohercens vel puniens ac destruens contumaces. Huc pertinent hae Regulae: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Vae qui spolias, quia spoliaberis. Quibus dictis confirmatur regula: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita, quia Deus est custos suae iustitiae seu Legis. Etiam in vita politica vult servari normam suae iustitiae, et non servantes horribiliter destruit. Id exempla quotidiana ostendunt. Sunt igitur et ex doctrina primorum Patrum, et ex experientia traditae sententiae legales, etiam apud Ethnicos.

Cernit Deus omnia vindex.
Οἷα τ' ἀνὴρ ῥέξῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει. Et similes innumerabiles.
Ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
Κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκης δόλιον,
Τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ' ὅμως.

Item,

Βέβαιον ἕξεις τὸν βίον δίκαιος ὤν.

Et quia talis est praesentia Dei in toto genere humano scelera puniens, ideo Aristoteles inquit, in his versibus Empedoclis descriptum esse Ius naturae, in quibus dicitur, Primum Ius, id est, ordinem divinum, seu Deum ipsum ordinantem et vindicem adesse in tota natura.

Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος,
Αἴθερος ἠνεκέως τέταται καὶ ἀπλέτου αὔγης.

Secundus usus Legis est iudicium universale, accusans omnia peccata in hominibus, interiora et exteriora, et totam depravationem, iuxta dicta: Deus est ignis consumens. Item: Ut totus mundus reus sit Deo. Item: Per Legem cognitio peccati. Item: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex est. Huius iudicii in contritione aliqua initia sentire oportet, ubi discimus, Lege non iustificari homines, sed accusari, iuxta dictum: Lex iram efficit.

Tertius usus est in renatis, docere qui cultus placeant Deo, quia etsi humana ratio scit aliquo modo discrimen honestorum et turpium, tamen necesse est, habere testimonium Dei expressum, quae opera ipsi placeant, iuxta dictum Ezechielis 20. In praeceptis meis ambulate. Item in Psal. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Nec cessat in tota aeternitate hic ordo, ut creatura rationalis sit subiecta Deo creatori, et sit ei conformis. Item, semper in renatis in hac vita crescere poenitentiam oportet, ideo semper arguit Lex reliquias peccati. Quare semper in Ecclesia Deus conservavit et repetivit vocem Legis, et simul docuit in Evangelio, quomodo placeat inchoata obedientia. Est autem singulare testimonium, ostendens solius Ecclesiae doctrinam veram et divinam esse, et solam Ecclesiam esse coetum Deo placentem, quod tantum in ea semper mansit et manet incorrupta vox Legis, quia vult Deus in Ecclesia restare iudicium adversus peccata, deinde et doctrinam, quae opera ei placeant: Item, ideo renovamur, ut in tota aeternitate sit in nobis conformitas cum Deo, sicut in Lege Morali describitur, ut Roma. 8. dicitur, ut ius Legis in nobis impleatur. Ex his omnibus intelligi potest, quare dictum sit: Non veni solvere Legem, sed implere. Sicut in tota aeternitate manet eadem et immutabilis sapientia et rectitudo voluntatis in Deo, sic manet Lex Moralis, quae nobis patefacta est, ut sciamus, quod sit Deus, et qualis sit. Implet autem Christus Legem quatuor modis.

Primum, Sua propria obedientia.
Secundo, Derivando in se poenam.
Tertio, Restituendo in nobis iustitiam et vitam aeternam.
Quarto, Sanciendo, sicut dicit: Non veni solvere Legem etc.

DE PECCATO.

Quid est peccatum?

Definitio brevis extat in Epistola Iohannis: Peccatum est quidquid est contra Legem Dei. *Ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία.* Haec brevis definitio dextre intelligatur, videlicet non tantum de actionibus, sed etiam de interioribus defectibus, de caligine et dubitationibus in mente, de aversione voluntatis et cordis a Deo, de tristissima desertione, quod non lucet in homine Sol iustitiae Filius Dei, ostendens Patrem, et accendens corda Spiritu sancto. Intelligatur et reatus in definitione, quod videlicet homo propter peccatum reus sit aeternae irae Dei, et poenae, nisi fiat remissio propter Mediatorem. Nam et hic reatus in Lege includitur, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege. Et Lex esset inanis sonitus, nisi horribilium poenarum comminatio addita esset, quae ordine divinitus sancito sequuntur, nisi quantum fit mitigatio divinitus, propter Mediatorem.

Consideranda est igitur explicatio, in definitione apud Iohannem. Nostra definitio expresse eadem continet. Peccatum est defectus vel inclinatio, vel actio contra Legem Dei, offendens Deum, et commerens iram aeternam, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem.

Quae sunt divisiones Peccati?

Prima est, Peccatum aliud nominatur Originale, aliud Actuale. PECCATUM ORIGINALE est reatus propter Adae lapsum, et propter privationem lucis divinae, et firmae agnitionis Dei in mentibus hominum, et propter aversionem voluntatis a Deo, et propter contumaciam cordis, quae mala sequuta sunt lapsum Adae in natura hominum, et sunt inimicitiae adversus Deum, et damnata a Deo.

Descriptio circumfertur in Ecclesia, sumpta ab Anshelmo: Peccatum Originale est carentia iustitiae originalis debitae inesse hominibus. Haec descriptio reipsa congruit cum nostra. Sed vocabula recte interpretanda sunt. Iustitia originalis significat et acceptationem et rectitudinem, quae fuit ante lapsum, videlicet lucem et firmam agnitionem Dei in mente hominis, et congruentiam voluntatis et cordis cum Deo, qui in hominibus velut in templo suo habitasset, et suam sapientiam, iustitiam, et laetitiam eis communicasset, si non essent lapsi. Haec omnia significantur in hac descriptione Anshelmi nomine Iustitiae. Ergo nomine peccati originalis contraria mala significantur, scilicet et reatus et caligo in mente, et in voluntate aversio a Deo, et in corde contumacia contra Legem Dei, et non esse templum Dei. Haec mala sic descripsit Hugo: Peccatum originale est ignorantia de Deo in mente, et inobedientia in voluntate et corde. Alii uno nomine haec mala omnia nominarunt malam concupiscentiam, quia Paulus sic loquitur Roman. 7.

ACTUALE est omnis actio pugnans cum Lege, tum in mente, ut dubitationes de Deo, tum in voluntate et corde, ut incendia malorum affectuum,

tum in membris externis, ut externae actiones pugnantes cum Lege Dei.

Alia divisio.

Peccatum aliud est Regnans, seu Mortale. Aliud est non Regnans, quod usitate nominatur Veniale.

REGNANTIA peccata seu Mortalia, dicuntur omnia peccata in non renatis, originale et actualia, interiora et exteriora, quae ideo dicuntur Mortalia, quia non renatus propter illa omnia reus est irae Dei, et poenae aeternae, id est, ordinatus ad poenam aeternam, sicut Iohannis 3. dicitur: Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum. Rursus peccatum Regnans seu Mortale est, cum is, qui fuerat renatus, assentitur errori in fundamento, aut labitur contra conscientiam. Tunc enim amittit gratiam, Spiritum sanctum et fidem, sicut Adam et Eva, Aaron assentiens facientibus Idolum, David rapiens alterius coniugem, contristant et excutiunt Spiritum sanctum, propter talia delicta, et rursus fiunt rei aeternae poenae. Posse enim sic labi renatos perspicuum est ex capite Matthaei 12. et 2. Petri 2. Aliqui vero redeunt ad poenitentiam, et salvi fiunt. Multi non redeunt ad poenitentiam, et pereunt, ut postea dicemus.

Peccatum NON REGNANS, quod nominatur Veniale, id est, propter quod non amittuntur gratia, Spiritus sanctus et Fides, est in renatis in hac vita malum originis, et dubitationes et incendia malorum affectuum, quibus tamen repugnant renati, ne ruant contra conscientiam, et dolent propter has sordes, et credunt se propter Mediatorem Deo placere, tegi has sordes, et gratiam exuberare supra peccatum.

Unde sumpta est haec distinctio?

Respondeo. Certum est hanc esse perpetuam doctrinam verae Ecclesiae, et illustria testimonia in scriptis Propheticis et Apostolicis extant. Roma. 8. expresse ponitur haec distinctio: Si secundum carnem vivetis, moriemini, Sin autem actiones carnis Spiritu mortificabitis, vivetis. Item 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Item Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. 1. Corinth. 6. Ne erretis, adulteri, homicidae, idololatrae, regnum Dei non possidebunt. Item 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est.

[DE LIBERO ARBITRIO.]

Quomodo docendi sunt homines de libertate voluntatis humanae?

Respondeo. Cum fit mentio Liberi arbitrii, non misceantur Stoica deliramenta de Necessitate omnium actionum in omnibus Elementis, in pecudibus et hominibus, bonis et malis: Sed tantum nos ipsos aspiciamus, et consideremus, quomodo Legi Dei obedire homines aut non obedire possint. Semper haec simplex et vera distinctio teneatur, disciplinae externae et iustitiae Spiritualis.

Primum igitur de disciplina externa hoc sciatur, omnes homines, etiam non renatos, habere hanc libertatem, id est, facultatem, ut aliquo modo possint regere locomotivam, et facere externa opera congruentia cum Lege Dei. Nam Paulus nominat quandam iustitiam carnis, id est, quam homo non renatus facit, quae est externa honesta disciplina, id est, gubernatio externorum operum iuxta Legem Dei. Vult enim Deus hanc libertatem reliquam esse in homine, ut intelligatur discrimen inter agens liberum, et inter agentia non libere: Sicut ignis non potest non urere admota corpora. Item, ut sciamus ipsum Deum esse agens liberrimum. Item, ut possit in societate humana gubernatio aliqua esse externorum membrorum. Ac nequaquam vult Deus prorsus inutilem esse vocem Legum in civili gubernatione seu paedagogia. Ideo inquit Paulus: Lex paedagogus est, scilicet docens et cohercens membra.

Secundo sciendum est, homines sine Evangelio, et sine Spiritu sancto, nec posse inchoare interiorem obedientiam, praeceptam in Lege Dei, videlicet verum timorem Dei, veram fidem, invocationem et dilectionem Dei, iuxta haec dicta Roma. 8. Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Item: Si quis Spiritum Christi non habet, non est ipsius. Item: Sine me nihil potestis facere. Sit igitur notum discrimen inter externam disciplinam et inter motus interiores, qui fiunt, quotiescunque filius Dei voce Evangelii consolatur corda, et Spiritu sancto accendit fidem et invocationem Dei, et alios motus spirituales, de quibus dicitur: Accepistis Spiritum

clamantem Abba pater, id est, confugientem ad Deum fiducia Filii, et in veris pavoribus moventem corda, ut acquiescant in Deo, propter Mediatorem.

Et manifestissimum est, non posse deponi viribus naturalibus ἀταξίαν, quae nobiscum nascitur, quae nominatur Mala concupiscentia, et Mortem, nec posse hominem perfecte satisfacere Legi Dei. Dictum est igitur Roma. 8. Impossibile erat Lege iustificari; Item: Sensus carnis Legi Dei non subditur, nec potest ei subdi. Propter haec testimonia perspicua sciamus falsam et impiam esse opinionem Pelagianorum, quam sequuti sunt Monachi, qui docuerunt, homines posse Legi Dei satisfacere viribus naturalibus, mereri remissionem peccatorum, et esse iustos Legis impletione.

Rursus etiam errores Manichaeorum et Enthusiastarum fugiendi sunt. Manichaei fingunt, alios homines ortos esse a bono Deo, qui necessario benefaciunt: alios a malo Deo, qui non possint converti ad Deum. Enthusiastae, Anabaptistae et Stenckfeldiani fingunt, expectandos esse violentos raptus, qui hominem etiam repugnantem convertant. Has portentosas opiniones fugiamus, et consideremus ordinem a Deo sancitum: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei, etc.

Colligit Deus aeternam Ecclesiam voce Evangelii, et non aliter, arguit peccatum, et vult nos expavescere, non perseverare in delictis contra conscientiam. Tradidit etiam promissionem gratiae, cui vult nos assentiri, et non indulgere diffidentiae, sed luctari cum imbecillitate nostra, et simul petere auxilium Spiritus sancti, quem promisit iis, qui se fide sustentant, sicut dicitur Galat. 3. Ut promissio Spiritus sancti detur credentibus. Item: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus, quasi dicat, non repugnantibus. Item; Petite et accipietis. Item: Converte me et convertar. Huc pertinent haec dicta: Trahit Deus, sed volentes trahit. Item: Gratia praeeunte, comitante voluntate.

Concurrunt igitur in conversione hae causae, verbum Dei, Spiritus sanctus, quem Pater et Filius mittunt, ut accendat nostra corda, et nostra voluntas assentiens, et non repugnans verbo Dei. Ac ne indulgeamus diffidentiae, considerandum est, utramque concionem universalem esse, concionem poenitentiae, et promissionem gratiae, sicut in Iesaia clare dicitur, capit. 53. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum. Et de accusatione universali passim obvia sunt testimonia: Omnis caro foenum. Item Rom. 3. Ut omne os obturetur, et reus sit totus mundus Deo. Rursus et promissiones universales in conspectu sint. Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item: Apud Deum non est προσωποληψία. Hae verae et dulcissimae consolationes semper in conspectu sint, nec ponantur in Deo contradictoriae voluntates. Vult nos Deus credere Filio, et promittit gratiam omnibus confugientibus ad Filium, et petentibus auxilium, sicut Psalmus inquit: Beati omnes qui confidunt in eum. Non igitur repugnemus, sed assentiamur promissioni, et hanc precationem assidue repetamus: Credo Domine, sed opem fer meae imbecillitati.

DE IUSTIFICATIONE.

Quid significat vocabulum Iustitia?

Semper in hac doctrina initio consideretur, et quid vocabula significent Iustitia, Gratia, Fides, et discernatur Iustitia carnis a Iustitia fidei.

Est autem Iustitia carnis obedientia externa, iuxta omnia mandata Dei, quam homo etiam in hac imbecillitate naturalibus viribus utcunque efficere potest. Est autem haec obedientia gubernatio locomotivae, id est, externorum gestuum, quae fit cogitatione mentis et voluntatis, ciente aut reprimente organa locomotivae. Nominatur autem Litera, id est, pictura, quasi illita cerebro cogitatione, quia non est lux intuens Deum, nec est incendium et vita in corde, sicut folium fici tegebat externam deformitatem in Adam, non tollebat eam. Quanquam autem haec diligentia rationis in regenda disciplina externa non meretur remissionem peccatorum, nec est iustitia coram Deo, nec est impletio Legis, tamen severissime praecipit Deus, ut hanc disciplinam praestemus, et in hac mortali vita punit atrocibus poenis atrocem violationem disciplinae, et nisi fiat conversio ad Deum, punit eam aeternis poenis.

Sciamus autem quatuor esse causas, propter quas omnes, etiam non renati, debent praestare disciplinam.

Prima est, Mandatum Dei, quia omnes creaturae rationales Deo obedientiam debent.

Secunda, Necessitas vitandi atroces poenas, iuxta dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Vae qui spolias, quia spoliaberis. Levit. 18. de incestis: Omnis anima quae fecerit has abominatio-

nes, evometur ex terra. Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Sanxit autem has poenas Deus, et exercet, ut haec tristia spectacula commonefaciant nos de discrimine honestorum et turpium, et ut sciamus esse Deum, et esse sapientem, castum et vindicem scelerum, deinde ut conservetur societas generis humani.

Tertia causa est, Necessitas non turbandi alios, quia homo non vivit sibi tantum, sed etiam ut adiuvet communem conservationem iuxta dictum: Diligas proximum tuum sicut te ipsum.

Quarta, Ut disciplina sit paedagogia in Christum, id est, quia Deus non est efficax in his, qui scientes perseverant in sceleribus contra conscientiam.

Dixi autem hanc Iustitiam carnis nequaquam esse integram obedientiam Legi debitam, sed esse frenum externorum gestuum. Interea tamen in mente caligo est de Deo, plena dubitationum, et corda sunt sine vero timore Dei, sine fiducia, et sine dilectione Dei, et magna incendia sunt malorum affectuum. Ideo discernenda est Iustitia carnis, ab integra obedientia, qualis fuisset in natura integra, et qualis erit, cum Deus erit omnia in omnibus. Illa integra obedientia seu conformitas cum Deo, nominatur Iustitia. Galat. 5. Nos enim spiritu ex Fide spem iustitiae expectamus, ubi Iustitia de integra novitate dicitur. Sed interea saepe etiam in renatis Novitas et bona opera renatorum dicuntur Iustitia. Quanquam enim novitas in hac mortali vita non est integra, tamen placet propter Mediatorem, ut postea dicitur. Sic Matth. 5. Nisi abundaverit vestra iustitia, plus quam Scribarum et Pharisaeorum. Et Rom. 6. Praebete membra vestra serva iustitiae in sanctificationem. 1. Ioh. 3. Qui facit iustitiam, iustus est. Et in Psalmo, Feci iudicium et iustitiam. Hae formae loquendi congruunt ad Legem. Ac prudenter discernenda sunt dicta propria Legis, et alia propria Evangelii de reconciliatione propter Mediatorem, ut, Iustificati fide pacem habemus.

Definitio apud Clementem loquitur de novitate, et simul complectitur universalem et particularem iustitiam: *Δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος*, id est, Iustitia est communicatio, qua Deus se nobis communicat, et est conservatio ordinatae aequalitatis. Prior pars loquitur de prima tabula, et de actionibus divinis in renatis. Secunda de aequalitate, loquitur de actionibus ordinatis erga proximum. Haec congruunt ad Legem, sed dextre intelligenda sunt. Osiander ipsum Deum moventem nos ad iusta facienda, nominat iustitiam. Hoc loquendi modo etiamsi quis volet uti, tamen prius dicendum est de Iustitia imputata propter Filium Dei, qua Deo propter Mediatorem credentes placent. Distinguenda est etiam causa, scilicet, Deus ipse, ab effectibus in nobis, et in infinitum anteferenda est obedientia Filii Dei novis actionibus, quae fiunt in nobis.

Postquam haec legalia recitata sunt, nunc sciamus, quia iustitiam Legis integram, seu integram obedientiam, non habemus, ideo in promissionibus Gratiae aliam iustitiam revelari, scilicet imputatam propter Filium Dei, quae cum fide accipitur, Filius Dei simul est efficax in cordibus credentium, vivificat et donat Spiritum sanctum, ut Roma. 5. dicitur: Per ipsum habemus gratiam, et donum per gratiam.

Nomen Gratiae certissimum est hic intelligi oportere reconciliationem gratuitam propter Filium promissam, Deinde donum, sanctificationem et restitutionem vitae aeternae, quae simul omnia nominat Daniel, Iustitiam sempiternam. Verum est autem, sanctificationem et restitutionem vitae aeternae fieri Filio Dei per Evangelium consolante nos, et dante Spiritum sanctum, et postea glorificante Ecclesiam post resuscitationem ex mortuis. Prorsus eodem modo loquitur Iohannes: Lex per Moisen data est, Gratia et veritas per Iesum Christum facta est, id est, Remissio peccatorum et reconciliatio gratuita nobis propter obedientiam Filii donatur, et per eum fit veritas, id est, vera et non evanescentia bona, sed aeterna bona nobis donantur, id est, in hac vita fit inchoatio vitae aeternae et conformitatis cum Deo, quae postea consummabitur, quia filius Dei incipit in nobis renovare imaginem Dei, cum suo verbo nos assimilat per Spiritum sanctum accendentem tales motus, qualis ipse est. Non enim ideo annuntiatur remissio, ut maneant peccatum et mors, sed ut re ipsa aboleantur, et iustitia et vita aeterna restituantur.

Cum igitur de Iustificatione peccatoris dicitur, necesse est semper primum cogitare de remissione peccatorum, de reconciliatione, iuxta promissionem. Quia etiamsi haberemus omnes Angelorum virtutes, et non sciremus nos placere Deo, nullam consolationem haberemus.

Ideo iuxta Paulum semper hoc modo definimus Iustificationem: Iustificatio est acceptio remissionis peccatorum, reconciliationis, seu acceptationis gratuitae propter Filium Dei, quae cum fide accipitur, verissimum est simul Filium Dei corda vivificare, dicere consolationem in cordibus per Evangelium, et Spiritu sancto accendere tales motus, qualis est ipse, iuxta dictum: Dabo Legem meam in corda eorum. Quia igitur necesse est accipi remissionem peccatorum, et novitas non est integra

in hac vita, Paulus nominat imputationem iustitiae, reconciliationem, qua propter Mediatorem recipimur.

Quis est usus nominis Gratiae?

Gratia apud Paulum in hac doctrina significat Ebraea phrasi misericordiam gratuitam, videlicet remissionem peccatorum et reconciliationem, seu acceptationem gratuitam propter Filium Dei, quae cum fide accipitur, simul Filius Dei vivificat corda, et per Evangelium dicit consolationem in corde, et accendit Spiritu sancto tales motus, qualis ipse est. Sic nominat Paulus gratiam, et donum per gratiam, ut supra dictum est.

Quis est usus nominis Fidei?

Fides est assentiri omni verbo Dei nobis tradito, atque ita promissioni gratiae, et est fiducia acquiescens in Deo propter filium, accedens ad Deum, et invocans eum, et clamans Abba pater, quae sentitur in credentibus, et in veris pavoribus affert consolationem et laetitiam, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. .

Complectimur ergo appellatione fidei omnes articulos simul, et nominatim hunc articulum: Credo remissionem peccatorum, et vitam aeternam, qui sic intelligendus est in vera conversione: Credo remissionem peccatorum non tantum aliis dari, sed mihi quoque. De hac fide, qua sibi unusquisque in conversione et consolatione promissionem applicat, loquitur Paulus Roma. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Promissio autem et caeteros articulos Symboli continet. Haec plana et perspicua sunt in vera consolatione et invocatione.

Ac discrimen conspici necesse est, inter notitiam historiae, qualis est in Diabolis et impiis, et hanc fidem, quae simul et historiam novit, et est assensus, quo promissionem gratiae amplectimur, et fiducia, qua agnoscentes promissionem, acquiescimus, et laetamur in Deo propter Filium.

Sint igitur in conspectu haec duo dicta: Daemones credunt et contremiscunt, id est, norunt historiam, et eo furiosius irascuntur, quia certo norunt, Filium Dei iudicaturum esse, et prospiciunt suas poenas, quibus in tota aeternitate cruciabuntur. Promissionem vero Gratiae sciunt ad solos homines pertinere, iuxta dictum: Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis etc. Haec notitia in Diabolis in infinitum discernenda est ab hac fide, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quae est assentiri omnibus articulis Symboli, et promissioni, et qua credis, tibi ipsi remitti peccata, cuius fidei proprietates dulcissime recitantur Ephes. 3. cum inquit, nos hac fide habere παῤῥησίαν et fiduciam accedendi ad Deum. Saul oppressus dubitatione horribili fremitu fugit Deum, optat se redigi in nihilum, sicut scriptum est Lucae 23. Dicent montibus, cadite super nos. David autem audita consolatione, erigitur fide, accedit ad Deum, et audet invocare, sicut inquit: Sustinuit anima mea in verbo eius, speravit anima mea in Domino, a vigilia matutina usque ad noctem. Et hac fide simul ipse Filius Dei λόγος dicit consolationem in corde tuo, et vivificat te, et extrahit te ex inferis, ac ostendit misericordiam Patris voce Evangelii, et dat Spiritum sanctum laetificantem nos. Ideo inquit Paulus Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus nostris. 1. Iohannis 4. In hoc scimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia ex spiritu suo dat nobis. Et Athanasius inquit: Ubicunque dicitur Spiritus sanctus in aliquo esse, ibi est per Verbum.

Differt igitur fides, de qua dicitur: Iustificati fide pacem habemus, a notitia, qualis est in Impiis, obiecto et causa efficiente. Quia vera Fides intuetur promissionem, et accenditur per Filium Dei, qui Spiritu sancto cor laetificat, et ad invocationem exuscitat.

Quomodo accipit homo remissionem peccatorum, et reconciliationem, seu iustificationem et donationem Spiritus sancti et vitae aeternae?

Respondeo. Homo in conversione, id est, in veris doloribus et pavoribus accipit remissionem peccatorum, propter Mediatorem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum et hominem, Gratis, sola fide, non propter propriam dignitatem, seu propter virtutes proprias, aut propria opera seu merita. Et in his pavoribus semper sit in conspectu discrimen Legis et Evangelii, et sciamus aeternum et immutabile mandatum Dei esse, ut credamus nos recipi propter Filium, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item: Gratia exuberat supra delictum. Cumque erigimur fide, et accipimus remissionem peccatorum, filius Dei vere est efficax, et voce Evangelii dicit consolationem

in cordibus, ac fide simul accipimus imputationem iustitiae seu reconciliationem, et Spiritum sanctum, et efficimur haeredes vitae aeternae, gratis, propter Christum. Haec omnia comprehendit dictum: Iustificati fide pacem habemus. Et Galat. 3. Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Romanos 5. Iustificati sanguine ipsius servabimur per eum ab ira eius. Huc adiungantur alia testimonia, ac praecipue propositio Epistolae ad Romanos capite 3. et confirmatio capite 4.

Contra.

I. Argumentum.

Ubi multa simul sunt, non est ponenda Exclusiva.
In conversione multa simul sunt, ut, Contritio, Fides, Dilectio, bonum propositum, Spes et aliae virtutes.
Ergo non est dicendum, sola fide iustificamur.

Respondeo ad minorem: Quanquam multae virtutes simul sunt in conversione, tamen non sunt causae seu merita iustificationis, id est, remissionis peccatorum et reconciliationis et vivificationis, et donationis vitae aeternae: Sed solius Filii Dei obedientia est causa seu meritum iustificationis. Hic est propitiator, ut Romanos 3. dicitur. Et Iohannis 1. Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato.

II. Argumentum.

Impossibile est, ullam rem esse iustam sola notitia,
Fides est tantum notitia,
Ergo non est dicendum, sola fide.

Respondeo ad minorem: Fides non significat hic notitiam, qualis est in Diabolis, sed comprehendit notitiam omnium articulorum fidei, et fiduciam in voluntate, acquiescentem in Deo, propter Mediatorem, agnita misericordia in promissione. Quia fides, de qua Paulus loquitur, est assensus, quo omni verbo Dei nobis tradito assentimur, ac simul etiam promissioni gratiae, cum quo assensu inseparabiliter coniuncta est fiducia acquiescens in Deo, iuxta promissionem. Sed notitiam praecedere necesse est, quia notitiae sunt apprehensivae. Et in hoc ipso assensu Filius Dei est efficax, dicit voce Evangelii consolationem in corde tuo, ostendit voluntatem Patris, retrahit cor ex inferis, et vivificat te, et dat arrabonem Spiritum sanctum, qui accendit laetitiam et invocationem in corde, iuxta dicta: Accepistis Spiritum clamantem Abba Pater. Item: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum, etc. Quod autem Fides sit assentiri promissioni gratiae, manifestum est ex capite 4. ad Romanos, ubi Paulus correlative copulat promissionem et fidem. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

III. Argumentum.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo operibus sumus iusti.

Respondeo ad maiorem: Propositio haec, Fide sumus iusti, intelligitur correlative, videlicet per misericordiam sumus iusti propter Filium Dei, et id beneficium oportet fide accipi. Quanquam enim fides est excellens virtus, tamen etiam est imperfecta et languida. Et hoc vult doctrina Ecclesiae, credentes per misericordiam propter Filium Dei accipere remissionem peccatorum et reconciliationem, ac placere non propter propriam dignitatem. Ideo inquit Paulus, Sumus dilecti in dilecto, id est, propter Filium. Alii quaerunt alias responsiones, quas hoc loco omitto.

IIII. Argumentum.

Iustitia est obedientia secundum omnes virtutes, seu iuxta totam Legem, seu conformitas cum Deo.
Fides non est omnes virtutes,
Ergo non est Iustitia.

Respondeo. Maior est vera de Iustitia legali. Quia vero Legis iustitiam (scilicet integram obedientiam, interiorem et exteriorem) non habemus,

hanc ipsam ob causam immensa misericordia patefecit Deus promissionem de Gratia, et imputata iustitia propter meritum Filii Mediatoris. Et simul fit inchoatio obedientiae seu conformitatis cum Deo, iuxta dictum 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam a Domini Spiritu.

V. Argumentum.

Deus iustificat,
Deus est dilectio,
Ergo dilectio iustificat.

Respondeo. Concedo totum, si sine ambiguitate argumentum intelligatur. Deus est dilectio, scilicet, qua nos diligit, id est, est essentia vere ac serio diligens homines propter Filium. Et haec dilectio, qua Deus nos diligit propter Filium, iustificat. Huius propositionis correlativa est: Fide iustificamur, id est, hac fide, qua agnoscimus et statuimus nos diligi propter Filium. Adversarii vero cogitant, nos iustos esse dilectione, qua homo diligit Deum.

VI. Argumentum.

Virtutes non sunt confundendae, cum Paulus discernat: Fides, Spes, Dilectio, tria haec, sed maior inter has Dilectio,
Fiducia est actio seu actus spei,
Ergo fiducia est discernenda a Fide.

Respondeo ad maiorem. Verum est, virtutes non esse confundendas, sed recte intelligenda sunt discrimina. Nam Fides non est tantum notitia, sed est simul assentiri promissioni, in qua offeruntur remissio peccatorum, reconciliatio, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae. Et est fiducia acquiescens in Deo propter Mediatorem, accedens ad Deum, et accendens invocationem, et clamans Abba Pater. Et quia Fides in praesentia accipit remissionem peccatorum et reconciliationem, et fiducia praesentis beneficii. Sed spes est certa expectatio vitae aeternae, gratis dandae propter Mediatorem, et est expectatio mitigationis poenarum corporalium, iuxta voluntatem Dei. Cum igitur fiducia nominatur actus spei, intelligitur Fiducia futurae liberationis, seu futurae mitigationis. Dilectio est obedientia, quae praelucente fide praestatur Deo, iuxta omnia mandata, sic ut cor laetetur in Deo.

VII. Argumentum.

Mala opera damnant.
Ergo bona salvant, quia contraria habent contrarios effectus.

Respondeo. Contraria, si sint pariter integra, habent contrarios effectus. Sed mala opera sunt integre mala, quod de non renatis manifestum est. Nam etiam in Aristide et Scipione sunt magnae virtutes, quia nisi esset aliquorum gubernatorum excellens virtus et sapientia, non posset conservari humana societas: Tamen hae virtutes non sunt impletio Legis, manent in corde tenebrae de Deo et de Filio Dei, dubitationes et horrendi fremitus adversus Deum. Deinde manifestum est, etiam in renatis, quanquam est in eis inchoata obedientia, tamen non esse integram Legis impletionem. Ideo dicitur in Psalmo: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Iob cap. 9. inquit: Vere scio, quod non iustificetur homo coram Deo. Cum igitur non sit integra obedientia, non valet consequentia: Mala opera damnant, Ergo bona opera salvant, quia contraria non sunt aequalia. Haec antithesis illustrat beneficium Christi, qui tegit reliquias peccati in renatis, iuxta dictum: Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata, id est, renati placent propter Mediatorem fide, non propter propriam dignitatem, quia inchoata obedientia adhuc procul abest a perfectione Legis.

VIII. Argumentum.

Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos, iuxta dictum: Quis consiliarius eius fuit?
Credere quod habeas remissionem peccatorum, est aliquid asseverare et affirmare de voluntate Dei erga nos,
Haec igitur affirmatio est impossibilis.

Respondeo. Haec ipsa imaginatio Academica seu Pyrrhonia omnium hominum mentes turbat.

Sed maiorem constantissime negari oportet de voluntate revelata. Ac primum de Lege manifestissimum est, sciri voluntatem Dei in Lege revelatam, iuxta dicta: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae non possidebunt regnum Dei. Lex enim ideo patefacta est in creatione, et deinde saepe repetita, ut sciatur, quod sit Deus, et qualis sit, et quod velit nos esse conformes suae sapientiae, quod sit vindex. Et huic notitiae addit testimonia in quotidianis et horribilibus poenis scelerum.

Secundo etiam immensa bonitate Deus propter Filium et per eum revelavit voluntatem de remissione peccatorum et reconciliatione in Evangelio, iuxta dictum: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Hanc ipsam ob causam tradita est promissio gratiae, quia ratio naturalis non videt hanc admirandam voluntatem Dei de remissione. Et haec revelatio de reconciliatione et restitutione humanae naturae per Filium, discernit Ecclesiam ab omnibus gentibus. Ideo sciendum est, hanc revelationem opponendam esse naturali et Academicae dubitationi.

Sed opponit hoc argumentum humana ratio: Addita est conditio Legi: Hoc fac et vives. Cum igitur non satisfiat Legi Dei, dubitandum est, etc. Respondeo. Et hoc ipsum in revelatione Evangelii considerandum est, ideo immensa misericordia missum esse Filium, ut nos a maledictione Legis redimeret, et gratis propter Filium donari reconciliationem. Quanquam autem poenitentia necessaria est (sive parva, sive magna), tamen remissio non pendet ex dignitate nostra, sed propter Mediatorem et gratuita et certa est. David post lapsum agens poenitentiam, statuit se vere recipi in gratiam audita hac voce: Dominus abstulit peccatum tuum. Eadem est vox Evangelii ad singulos agentes poenitentiam. Et mandatum immutabile est, ut Filio Dei credamus: Hunc audite. In hac brevi responsione fontes considerentur, patefactio et discrimen Legis et Evangelii, discrimen voluntatis revelatae, et non revelatae, etc.

IX. Argumentum.

Prorsus simile argumentum est, quod huc detorquetur ex capite 9. Ecclesiastae non recte enarrato. Nescit homo, an amore vel odio dignus sit.

Respondeo. Haec sententia prorsus congruit cum doctrina de Fide, quam recitavimus, quia revocat homines in iudicando a spectaculis humanorum eventuum in hac vita ad verbum. Non iudicet homo de favore et odio Dei ex secundis aut adversis rebus in hac vita, ut: David non iudicet se abiectum esse a Deo, etiamsi est expulsus regno. Achab non iudicet se placere Deo, etiamsi est Rex potens et victor. Sed David iudicet ex verbo Dei, se placere Deo, quanquam exulet, quia dictum est: Dominus abstulit peccatum tuum. Achab iudicet se displicere Deo, quanquam est Rex potens et gloriosus, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui facit idolum, quod est abominatio Deo.

Perspicuum est igitur dictum Salomonis prorsus congruere cum nostra sententia, quae iubet de voluntate Dei ex verbo iudicare. Nec difficile est copiose refutare enarrationes Papistarum. Insaniunt enim, si hoc dicunt, non scire homicidas et adulteros, an sint digni odio Dei. Manifeste igitur apparet, ipsorum interpretationes esse tetram corruptelam.

Sed regula universalis teneatur: De voluntate Dei ex verbo ipsius iudicandum esse. Et verbum Dei universaliter omnes damnat, qui non sunt conversi ad Deum, iuxta dicta 1. Corinth. 6. Nolite errare, idololatrae, homicidae, adulteri, etc. non sunt haeredes vitae aeternae. Item: Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum. Rursus universaliter recipit Deus omnes, qui in conversione seu poenitentia credunt in Filium, iuxta dicta: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Hae regulae summae semper in conspectu sint, quae multis aliis sententiis lucem afferunt.

X. Argumentum.

Cum dictum sit: Delicta quis intelligit, Nemo potest omnia sua peccata scire.

Ergo possibile est, hominem habere delictum ignotum, propter quod displiceat Deo.

Quare non est affirmandum, quod placeat Deo.

Respondeo. Nego consequentiam, et ratio est, quia firmissime retinenda est regula: Omnis conversus ad Deum, recte tenens fundamentum, debet

credere, se placere Deo, etiamsi habet delicta ignorantiae, sicut in omnibus hominibus magna haeret infirmitas. Ac propterea traditur doctrina de remissione propter Filium, iuxta dictum: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Quia in nobis non est integra impletio Legis.

XI. Argumentum.

Nemo placet Deo, nisi habens novas virtutes, ortas a Spiritu sancto.

Nemo potest affirmare, se habere illas virtutes, quia possunt esse virtutes similes ortae a ratione.

Ergo nemo potest affirmare, se placere Deo.

Respondeo. Nego minorem, quia in vera conversione seu poenitentia utrunque debemus affirmare, et quod detur remissio propter Mediatorem, et simul vivificemur per Filium, dato Spiritu sancto, erecti voce Evangelii. Et quanquam intueri mens fide Mediatorem debet, non novitatem in nobis, tamen simul in veris doloribus sentit hanc consolationem, iuxta haec dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item: Clamamus Abba Pater. Et recte inquit Augustinus: Credens scit se credere, scilicet in doloribus sentiens consolationem.

De hoc argumento non solum adversarii dimicant, sed etiam piae mentes apud sese quaerunt, an Deo placeant, cum sentiant infirmitatem, nec sentiant illustres motus laetitiae in Deo.

Et Stenckfeldius turbat pias mentes his clamoribus: Ideo statuas te iustum esse, quia sentis in te Deum habitare, te habere ingentes motus laetitiae in Deo. Sic abducit homines a conspectu Mediatoris, et a promissione, ad Novitatem propriam.

Contra has imaginationes teneatur hic verus ordo: Cum dolores non sunt simulati in poenitentia, corda intueantur non virtutes in nobis, sed Mediatorem in verbo ostensum, et cogitatione scriptae promissionis se sustentent, et sciant, se voci Evangelii debere assentiri, et non quaerere alias illuminationes. Hoc cum faciunt, experiuntur consolationem. Estque hoc discrimen inter assensionem philosophicam et fidem. Sequitur assensio experientiam in Philosophia. Ut medicus expertus zinzibere calefieri ventriculum, postea hoc affirmat. Sed in divina consolatione prius assentiendum est verbo externo, deinde sequitur sensus consolationis. Haec in veris exercitiis poenitentiae et invocationis discenda sunt.

XII. Argumentum.

Remittite et remittetur vobis.

Ergo nostra condonatio meretur remissionem peccatorum.

Respondeo. Nego consequentiam, quia fallacia est a non causa ut causa. Quia in illo dicto prior pars est praeceptum seu praedicatio poenitentiae. Altera pars est promissio, de qua ex Evangelio scire necesse est, quod propter Mediatorem gratis detur remissio credentibus. Nec valet consequentia: Nostra contritio est necessaria. Ergo est causa remissionis. Et perspicua est refutatio de hoc dicto. Quia si cogitandum esset, propter nostram condonationem dari remissionem, fieret incerta reconciliatio. Quanquam enim conversi repugnant odiis, tamen aliqua cicatrix seu imbecillitas in nobis manet.

Haec simplex responsio congruit ad multa dicta, in quibus primum concio poenitentiae proponitur, deinde promissio, ut apud Danielem: Libera te a peccatis iustitia et eleëmosynis erga pauperes, et erit sanatio delictorum tuorum. Prior pars praecipit emendationem, nec tantum loquitur de eleëmosynis, sed de conversione iuxta omnia praecepta, id est, agnoscas verum Deum, qui se patefecit in Israël, et promisit remissionem propter venturum Dominum, etc. Deinde sit et gubernatio tua iusta, non sis crudelis contra captivam Ecclesiam Dei. Sic intelligatur concio Regia de magnis rebus, et de nostra conversione. Postea promissio consideretur de remissione peccatorum, de reconciliatione hominis Ethnici, et polluti horribili idolomania. Nec dubium est ab ipso Daniele hanc promissionem copiosius enarratam esse, et Regi dictum esse, cur detur promissio, per quem restituatur iustitia et vita aeterna, et promissionem fide accipiendam esse. Eadem responsio est ad concionem Iesaiae 1. Definite male facere, si peccata vestra sunt ut coccinum, eritis candidi ut nix.

XIII. Argumentum.

Maxima virtus maxime iustificat.
Dilectio est maxima virtus,
Ergo maxime iustificat.

Respondeo. Concedo totum argumentum de iustitia Legis. Sed quia non habemus integram iustitiam Legis, Evangelium concionatur de alia, et docet imputari credenti iustitiam propter Mediatorem. Haec est simplex et vera responsio, quae prolixius explicari potest, si quis postulat. Ac sciendum est, longe aliud esse, loqui de collatione virtutum inter sese, aliud de remissione peccatorum, et reconciliatione coram Deo.

XIIII. Argumentum.

Si vis in vitam ingredi, serva mandata.
Ergo et fieri Lex potest, et bona opera merentur vitam aeternam.

Respondeo breviter: Intellige, serva mandata, scilicet complectendo Evangelium. Nam Christus finis est Legis. Ac semper legalibus dictis necesse est addere vocem Evangelii, quod docet fide reconciliari hominem, et simul inchoari obedientiam, accepto Spiritu sancto, et placere inchoatam obedientiam propter Mediatorem, etiamsi languida et infirma est. Haec ἐπιείκεια expressa est, Roma. 8. Idem igitur vult dictum Pauli: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Hinc non sequitur, Legi satisfieri in hac vita, quia vox Evangelii expresse dicit: Sensus carnis non est subditus Legi, ac ne potest quidem subdi. Ac non sequitur, Bona opera esse meritum vitae aeternae, quia fides praelucens gratis accipit propter Mediatorem remissionem peccatorum, et haereditatem vitae aeternae.

XV. Argumentum.

Qui non diligit, manet in morte.
Ergo non sola Fide sumus iusti.

Respondeo. Nego consequentiam, quia est fallacia a non causa, ut causa. Etsi enim verissimum est, dilectionem esse in converso, tamen dilectio non est causa seu meritum remissionis peccatorum, seu iustificationis, seu reconciliationis. Ut, verissimum est, Qui non movetur, non vivit, nec tamen sequitur, motum causam esse vitae, sed vita est immediata causa motus: Ita fides agnoscens misericordiam Dei propositam propter Mediatorem, ostendit bonitatem Dei, qua cognita, accenditur dilectio Dei, et cor subiicit se Deo. Haec responsio ad similia dicta congruit. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. Concedo totum. Quia verum est, oportere in reconciliato fidem et dilectionem esse, sed non sequitur, dilectionem esse causam seu meritum reconciliationis.

XVI. Argumentum.

Naturalia sunt immutabilia,
Dubitatio de reconciliatione est naturalis, ut nunc quidem nascimur.
Ergo est immutabilis.

Respondeo. Concedo esse immutabilem in hac depravatione, sine voce Evangelii, et sine auxilio divino. Sicut Adam non solum in dubitatione mansisset, sed etiam oppressus esset aeterna desperatione, si promissio gratiae non prolata esset ex sinu aeterni Patris, et per verbum Deus flexisset cor Spiritu sancto ad assensionem, et sic in illa consolatione Filius voce Evangelii primos parentes retraxisset ex morte. Hoc exemplum intueamur, quod ostendit, quomodo fiat haec consolatio et liberatio a dubitatione, et docet promissionem Evangelii non esse natura notam, et discernendam esse a Lege et ab aliis naturalibus notitiis.

XVII. Argumentum.

Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.
Ergo propter dilectionem fit remissio.

Respondeo. Duplex est absolutio. Altera privata conscientiae luctantis cum ira Dei. In hac absolutione necesse est intelligi, quod fide accipiatur remissio, non propter nostras virtutes. Ideo et hic inquit Dominus: Fides tua salvam te fecit. Nec nititur fides dilectione nostra, sed tantum misericordia promissa propter Mediatorem. Nec existere dilectio potest, nisi sit apprehensa remissio. Huc pertinet dictum: Huic omnes Prophetae testi-

monium perhibent, salvos fieri per nomen eius, omnes, qui credunt in eum.

Altera est absolutio publica coram Ecclesia. In hac conspici necesse est ab aliis testimonia conversionis, ut hic Christus Pharisaeo ostendit, cur eam recipiat, quia extent testimonia conversionis.

Si cui haec solutio non placet, utatur altera: Usitatae sunt Synecdochae, Remittuntur ei multa, quia conversa est. Et tamen Synecdoche explicanda est. Cum multae sint partes conversionis, contritio, fides, dilectio, spes, bonum propositum, tamen sciendum est, dari remissionem, non propter dignitatem harum virtutum, sed propter Mediatorem. Haec declaratio sumitur ex Paulo dimicante de particula Gratis fide propter Mediatorem.

XVIII. Argumentum.

Vita aeterna nominatur merces,
Ergo est debita pro operibus.

Respondeo brevissime. Phrasis nota est, Mercedem dici non tantum compensationem debitam, sed fructum qui sequitur. Deinde verum est, vitam aeternam, etiamsi propter aliud datur, tamen etiam esse mercedem, quia compensat benefacta, ut patrimonium est merces officiorum filii, etiamsi accipitur propter aliam causam.

Considerandum et hoc est. Saepe utuntur Prophetae phrasi Legis, ubi tamen interpretatio ex Evangelio sumenda est. Ut, Reddet unicuique secundum opera sua, ubi tota conversio intelligitur, et tamen sciendum est, fide primum gratis reconciliationem accipi, postea placere Deo fidem et inchoatam obedientiam. Et pias mentes semper sonare decet dictum Iacob: Minor sum cunctis miserationibus tuis.

XIX. Argumentum.

Iacobi 2. Videtis igitur, quod ex operibus iustificatur homo, non fide tantum.

Respondeo. Manifestum est in Iacobo Fide tantum intelligi notitiam historiae, de qua notitia dicit: Daemones credunt et contremiscunt. Fatemur autem, neminem esse iustum sola illa notitia, sed Paulus loquitur de fide, quae est agnitio et fiducia misericordiae, quae pacem affert cordibus, ut inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et discrimen in vera conversione intelligitur, in qua fides vincit veros pavores, et est motus Spiritus sancti, quo corda vivificantur, et accenditur vera invocatio, qua clamamus, Abba pater, ut dicitur in Zacharia: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Non igitur pugnat Iacobus cum Paulo, sed de alia re loquitur.

Deinde cum ait: Ex operibus iustificamur, phrasis intelligenda est. Non enim hic iustificari est reconciliari, sed postea habentes bona opera iustificantur, id est, approbantur, habentes iustitiam operum, quae in reconciliatis iam placent Deo.

XX. Argumentum.

Iustificare est ex iniusto iustum facere.
Iustus est habens iustitiam, id est, obedientiam integram, seu conformitatem cum Deo.
Ergo non sola Fide iustificamur.

Respondeo ad maiorem. Iustificare iuxta doctrinam Evangelii primum est ex reo non reum facere. Nam hoc agitur in veris doloribus, quaeritur remissio peccatorum et reconciliatio. De hac re dimicat conscientia. Ideo Actor. 10. dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Sic clamat Propheta: Salvum me fac propter misericordiam tuam. Etsi autem verum est, in hac consolatione, cum fide eriguntur corda, et retrahuntur ex inferis, simul dato Spiritu sancto inchoari obedientiam, et habitare Deum in corde renato, tamen semper haec consolatio praeluceat, quod credens placeat propter Mediatorem. Ideo Iustificare primum hic significat ex reo non reum facere, et hanc relationem in verbo iustificare comprehendit Paulus, cum inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et nititur fides obedientia Christi, non propria novitate. In infinitum enim anteferenda est Christi obedientia nostrae novitati, sicut Paulus inquit: Iustificati sanguine ipsius.

Quare necesse est retineri exclusivam, Sola fide, seu Gratis?

Propter quator causas. Primum ut tribuatur honos debitus Filio Dei, quod haec sola hostia sit

pretium pro nobis, iuxta dictum: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Secundo, ut conscientiae habeant firmam consolationem, iuxta dictum Roma. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Si enim penderet remissio ex dignitate nostrorum operum, semper esset incerta, opprimerentur perterrefactae mentes desperatione.

Tertia causa est, ut conspiciatur discrimen Legis et Evangelii, quia particula Gratis fide propter Mediatorem, praecipue discernit Legem et Evangelium.

Quarta, ut invocatio fieri possit, quae impeditur conspectu nostrae infirmitatis. Ideo accedendum est ad Deum fiducia solius Mediatoris, iuxta dictum: Per hunc habemus accessum. Item Ephes. 3. In hoc habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius, etc.

DE BONIS OPERIBUS
quaestiones tres.

I. Quae opera docenda et facienda sint.
II. Quomodo placeant Deo.
III. An maneant in sanctis peccata in hac vita, et quae peccata.

De prima quaestione.

Quae opera docenda et facienda sunt?

Respondeo. Praecepta in decalogo recte intellecto, iuxta dictum Ezechielis 20. In praeceptis meis ambulate, et facite ea. Ideo enim Deus immensa bonitate etiam vocem Legis Moralis in Ecclesia semper inde usque ab Adam sonare voluit, ut arguat peccatum, et ostendat, quae opera et qui cultus Deo placeant, ut regantur corda verbo Dei in fide et operibus, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et in cap. 15. Numeri: Non sequantur cogitationes suas, et oculos meretricios, sed memores praeceptorum Domini faciant ea, et sint sancti Deo: Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti. Et cum Iohannes inquit: Peccatum est, quidquid contrarium est Legi, vult sciri, normam esse operum Legem Dei. Et statim addit: Qui facit peccatum, ex Diabolo est. 1. Corinth. 6. Scortatores, Idololatrae, adulteri etc. regnum Dei non possidebunt.

Execrandi sunt igitur ἀντίνομοι, qui nolunt doceri Legem Moralem in Ecclesia, et fingunt omnes suos impetus esse motus Spiritus sancti, et nolunt gubernari Lege Dei. Haec deliramenta Antinomorum sunt horrendi furores diabolici, quales fuerunt olim similium sectarum multarum, adversus quos muniamus nos verbo Dei: In praeceptis meis ambulate. Item: Pater sanctifica eos in Veritate, sermo tuus est Veritas. Petamus etiam ardentibus votis, ut ipse Filius Dei gubernet nos, ne contagiis errorum polluamur, sicut precatur Propheta: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Secunda quaestio.

Quomodo placent bona opera Deo?

Respondeo. Placent in conversis ad Deum hoc modo. Primum necesse est credere, quod persona sit reconciliata Deo propter Christum gratis, fide, non propter dignitatem nostram.

Secundo sciendum est, nos non satisfacere Legi, sed haerere in nobis multa interiora peccata, dubitationes et malas inclinationes, peccata ignorantiae et omissionis. Et deploranda est nostra immundicies, et repugnandum dubitationibus et affectibus.

Tertio sciendum est, tamen oportere in nobis esse inchoatam obedientiam iuxta praecepta Dei, et hanc Deo placere in reconciliatis propter Mediatorem, sicut dictum est, Offerte Deo hostias spirituales, placentes Deo propter Iesum Christum.

Tertia quaestio.

Manentne peccata in Sanctis in hac vita?

Respondeo. Sunt et manent peccata in renatis in hac vita, videlicet, non delicta contra conscientiam, sed interiora mala, multum caliginis et dubitationum, multae ignorantiae, omissiones, pravae inclinationes, et flammae malorum affectuum, quibus tamen repugnant sancti Spiritu, retinentes timorem Dei, fidem et invocationem, nec ruentes contra conscientiam, sed deplorantes nostram infirmitatem, ac petentes et credentes remissionem,

iuxta dictum: Si Spiritu mortificabitis actiones carnis, vivetis. Item: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant.

Quae peccata non sunt in Sanctis? id est, propter quae illi, qui fuerunt renati, amittunt gratiam et Spiritum sanctum, et rursus fiunt rei aeternae poenae?

Responsio. Propter peccata contra conscientiam, et lapsus contra fundamentum, id est, contra articulos fidei, renati amittunt Spiritum sanctum, et fiunt rei aeternae poenae, et nisi rursus ad Deum convertantur, ruunt in aeternas poenas, ut Adam vere fuit reus aeternae irae propter lapsum. Et Paulus inquit 1. Corinth. 6. Scortatores, adulteri, homicidae etc. non possidebunt regnum Dei. Item Galatas 5. Manifesta sunt opera carnis, Adulterium, scortatio, idololatria etc., qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Et Matth. 12. expresse dictum est: Redit Spiritus nequam, etc. Et 2. Petri 2. Cum redeunt ad vomitum ut canes, fiunt eis postrema deteriora prioribus.

Aliqui autem rursus per poenitentiam redeunt ad Deum, ut Adam, Aaron, David, Manasse, et alii multi.

DE PECCATO BLASPHEMIAE.

Differuntne peccatum contra conscientiam, et Blasphemia?

Respondeo. Prorsus differunt. David habuit magna et tristia delicta contra conscientiam, et tamen non fuit Blasphemus. Nam peccatum contra conscientiam est genus, id est, violatio cuiuscunque mandati, quae fit a sciente et volente.

Sed singularis species est Blasphemia, quae est contra conscientiam oppugnare agnitam veritatem a Deo patefactam, vel perseverantia in Epicureo contemptu Dei, vel desperatio, aut anteferre peccatum meritis Filii Dei, contra dictum: Exuberat gratia supra delictum, sicut Cain inquit: Maius est peccatum meum, quam ut remitti possit. Non fuit autem Blasphemia in illis, qui redeunt ad poenitentiam, ut in Aaron, Manasse, Petro, Paulo.

Et nos regulam tenere debemus: Omne peccatum remitti agenti poenitentiam, et fide amplectenti promissionem Gratiae, promissae propter Filium Dei, iuxta iuramentum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, etc. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Quomodo differt doctrina de Iustificatione in Ecclesiis nostris, a Papistica doctrina?

Multipliciter differt. Sed tres praecipuae antitheses sint in conspectu.

I. Primum Papistae dicunt, oportere homines mereri remissionem peccatorum propriis operibus, et coram Deo iustos esse propriis operibus.

II. Secundo dicunt Papistae, cum nemo sciat, quando satis operum habeat, semper maneas in dubitatione, an sis in gratia.

III. Tertio dicunt Papistae: Homo potest in hac vita Legi Dei satisfacere, et impletione Legis divinae meretur vitam aeternam de condigno. Et quidem dicunt Monachi: homo non renatus Spiritu sancto, potest efficere dilectionem Dei, et mereri remissionem peccatorum.

Contra hos Ethnicos errores, qui delent lucem Evangelii de beneficiis Filii Dei, clare docent Ecclesiae nostrae:

I. Primum, neque mereri homines remissionem peccatorum propriis operibus, neque coram Deo iustos esse propriis operibus.

II. Secundo, Propter Filium Dei gratis homines in conversione accipere remissionem peccatorum, et reconciliationem, sola Fide, et sic homines certo iustos esse, id est, reconciliatos Deo propter Mediatorem fide. Nec manendum esse in dubitatione, sed fide vincendam esse dubitationem. Qui vero iubent manere in dubitatione, prorsus delent Evangelium de promissione Gratiae et de Fide, et tantum Ethnica somnia docent, et extinguunt lucem doctrinae de Filio Dei, et impellunt homines in desperationem, et aeternum exitium.

III. Tertio, certissimum est, in hac vita neminem habuisse neque habere integram Legis impletionem, nisi ipsum Mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christum. Sed tunc erit integra Legis impletio, cum Deus erit omnia in beatis, id est, cum lucebit in eis Deus, ita ut non simul sint reliquiae peccati. Notae sunt enim sententiae Roma. 7. et octavo. Et dictum Psalmi: **Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.**

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

Ecclesia visibilis in hac vita, est coetus visibilis amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, et recte utentium Sacramentis, in quo coetu Filius Dei efficax est, et voce Evangelii et Spiritu sancto multos regenerat ad vitam aeternam. Sunt tamen in eo coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

Contra.

Articuli fidei non sunt visibiles.
Ecclesiam esse est articulus fidei.
Ergo Ecclesia non est visibilis.

Respondeo ad maiorem. Concedo, articulos fidei, scilicet propositiones, non esse visibiles, seu, ut est usitata phrasis, Complexum non est visibile, tamen subiecta in multis propositionibus visibilia esse necesse est. Ut, cum dico: Sol est creatura Dei. Nos sumus resurrecturi, propositiones fide accipiuntur, sed tamen subiecta sunt visibilia.

Sic cum dicitur: Ecclesia est populus Dei, in quo Deus vere colligit coetum, cui dat remissionem peccatorum, et iustitiam, ac salutem aeternam. Haec propositio est articulus fidei, et subiectum, id est, homines amplectentes Evangelium, sensu agnoscuntur, cum certa signa incurrant in oculos et aures, quae discernunt eos ab aliis hominibus.

Non igitur de Ecclesia loquimur, ut de Idea Platonica, sed monstramus Ecclesiam, iuxta dicta: Dic Ecclesiae. Hic necesse est intelligi visibilem Ecclesiam. Item: In omnem terram exivit sonus eorum, etc.

Quae sunt signa Ecclesiae propria?

Signa non fallacia simul haec tria sunt:
I. Consensus in doctrina Evangelii incorrupta, scilicet in fundamento.
II. Legitimus usus Sacramentorum.
III. Obedientia Ministerio debita iuxta Evangelium.

An necesse est, singulos homines salvandos fieri cives verae Ecclesiae?

Respondeo. Prorsus necesse est, singulos salvandos iunctos esse cum vera Ecclesia, fide, confessione, invocatione Dei, et voluntate servandae Ecclesiae, seu coniunctionis in Ecclesia, iuxta dicta:

1. Corinth. 1. Non sint inter vos schismata.
Ebraeos 10. Non deserentes congregationem vestram.
Galatas 1. Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.
Psalmo 26. Unum petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.
Psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine.
Psalmo 91. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, florebunt, etc.
Romanos 8. Quos vocavit, hos et elegit, etc.

Quae res sunt necessariae ad unitatem Ecclesiae?

Consensus in fundamento, videlicet in doctrina Evangelii incorrupta, et in usu Sacramentorum legitimo, et obedientia debita Ministerio, iuxta Evangelium.

Testimonia manifesta sunt de doctrina 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Item Galat. 1. Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

De obedientia, 1. Corinth. 1. Non sint inter vos schismata. Et Ebraeos 10. Non deserentes congregationem vestram. Item: Obedite his qui praesunt vobis, scilicet in his, quae sunt propria Ministerii iuxta Evangelium.

Sed similitudo rituum, qui sunt ab hominibus instituti, nequaquam necessaria est, ideo contra superstitionem multa testimonia tradita sunt. Romanos 14. Regnum Dei non est esca et potus, sed iustitia, pax et gaudium in Spiritu sancto. Nam qui in his servit Christo, placet Deo, et approbatus est hominibus. Item Colossenses 2. Nemo iudicet vos in cibo, potu, etc.

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia?

Sacramentum in Novo Testamento, ut Ecclesia loquitur, est ritus divinitus institutus, additus promissioni in Evangelio traditae, ut sit testimonium et pignus exhibitae et applicatae promissionis Gratiae. Ideo vetustas dixit: Sacramentum est signum Gratiae.

Quare additi sunt ritus promulgationi promissionis?

Multae causae sunt, sed maxime illustres sunt hae duae. Quia cum Deus colligat Ecclesiam edita promissione, et tantum illi fiant haeredes vitae aeternae, qui promissioni de Mediatore credunt, vult etiam illustri testimonio visibili omnibus hominibus ostendere promissionem, et in iis applicare, qui eam fide amplectuntur, id est, testificari quod promissio ad ipsos pertineat. Nam promissio generalis est. Fides autem et usus Sacramenti applicant eam ad singulos credentes. Ita primum Sacramenta sunt signa voluntatis Dei erga nos, videlicet commonefacientia nos de promissione, et applicantia, id est, testificantia quod promissio ad nos pertineat.

Altera causa est, quod cum velit Deus omnes salvandos inseri Ecclesiae, et adiungi ministerio Evangelii, sicut dictum est: Quos elegit, hos et vocavit, tradidit ritus manifeste discernentes Ecclesiam ab omnibus gentibus. Et ut agnosceretur Ecclesia, et ipsi ritus testimonia essent, qui ostenderent, velle Deum nos esse auditores vocis Evangelii, nec eos, qui non audiunt vocem Evangelii, nec fiunt cives huius coetus vocatorum, esse electos. Ita vult Deus Ecclesiam conspici oculis, et visibilem esse, ut cogitemus, ubi sit doctrina ipsius quaerenda?

Sunt igitur Sacramenta signa confirmantia fidem erga Deum, quia sunt testimonia applicationis, sicut Paulus nominat Circumcisionem *σφραγίδα δικαιοσύνης*, id est, sigillum iustitiae, quia testabatur, promissionem pertinere ad Abraham. Deinde sunt signa societatis Ecclesiae et confessionis.

Consideratis autem principalibus finibus, postea Allegoriae et significationes aliae addi possunt. Ut, Circumcisio fuit in illa arcana parte corporis, ut esset miranda admonitio de venturo semine. Ac simul multa significabat, videlicet ex posteris Abrahae venturum esse salutare semen, de quo antea dictum fuerat: Semen mulieris conteret caput serpentis. Significabat item Circumcisio, in hac generatione carnali nasci naturam hominum ream, immundam, et praecidendam, hoc est, morti addictam, sed propter promissum semen iuxta verbum Ecclesiam habituram esse novam et aeternam iustitiam et vitam.

Sic Baptismus principaliter significat, nos mergi in sanguinem Christi, et ablui a peccatis. Postea significat etiam, Ecclesiam mergi in afflictiones.

Coena Domini significat principaliter, nos esse membra Christi, et inseri eius corpori, et ablui nos ipsius sanguine. Est igitur testimonium et exhibitae promissionis Evangelii, et applicatae ad singulos. Deinde est commonefactio de gratiarum actione. Ideo nominatur *εὐχαριστία*, et sicut Cyprianus optime dicit, est commemoratio dati et accepti.

Est item nervus publicae congregationis. Item testimonium mutuae dilectionis et concordiae in eadem Ecclesia, sicut antiquitas foedera fecit societate ceremoniarum et mensae. Unde et nomen *σπονδαὶ*, id est, libationes, pro foederibus usurpabant. Item, Vetustas dixit: *τοὺς ἅλας καὶ τὴν τράπεζαν μὴ παραβαίνειν*. Ita in Ecclesia societas huius pulcherrimae communis manducationis intelligatur vinculum esse communis concordiae, quo copulati omnes unum simus in ipso Christo, et non distrahamus Ecclesiam furoribus opinionum, ambitionum et odiorum, Sed semper initio principales fines considerentur.

[DE BAPTISMO.]

Quid est Baptismus?

Est instituta a Filio Dei mersio in aquam, cum pronuntiatione verborum: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, testificans, quia hoc testimonium divinitus institutum est, eum qui cum hac pronuntiatione verborum mergitur, reconciliari Deo propter Christum, et sanctificari Spiritu sancto ad vitam aeternam.

Quae est sententia verborum Baptismi?

Ego baptizo te in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, id est, Ego minister hoc ritu testificor

in nomine, id est, mandato divino, Te, qui sic mergeris, recipi a vero Deo in gratiam, qui est aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, et Filius, et Spiritus sanctus, et recipi te propter Filium, et sanctificari te Spiritu sancto.

Et comprehendenda est correlativa sententia: Ego testificor te recipi in nomen, id est, agnitionem et invocationem veri Dei, qui est Pater aeternus Domini nostri Iesu Christi, et Filius et Spiritus sanctus, et recipi te propter Filium redemptorem Ecclesiae, et sanctificari credentes Spiritu sancto, quem agnosces et invocabis, et palam vicissim testaris hoc Baptismo, te omnia commenticia numina execrari.

Suntne infantes baptizandi?

Respondeo. Infantes sunt baptizandi. Confirmatio haec est ex Evangelio sumpta.

Omnes salvandos oportet inseri Ecclesiae in hac vita, iuxta dictum: Quos elegit, hos et vocavit. Unde regula tradita est: Extra Ecclesiam non est salus.

Ad infantes pertinet promissio gratiae et salutis aeternae.

Sunt igitur baptizandi et inserendi Ecclesiae.

Minor manifesta est, quia Dominus inquit: Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum coelorum. Item: Non est voluntas Patris mei, ut pereat unus de parvulis istis. Haec dicta manifeste affirmant, ad infantes pertinere promissionem gratiae et vitae aeternae. Et loquuntur de infantibus in Ecclesia.

Nec facienda est confusio Ethnicorum et Ecclesiae, quasi etiam inter blasphemos sint membra Ecclesiae, sed retinendae sunt sententiae: Quos elegit, hos et vocavit. Item: Ubi sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Et in Psalmo: Beati qui habitant in domo tua Domine. Item: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, florebunt.

Ad hos igitur infantes pertinet promissio, qui sunt in Ecclesia, hos recipit propter Mediatorem, cuius nomen super eos invocatum est, et in his Deus efficax est, et sanctificat eos Spiritu suo sancto, pro ipsorum captu, quia haeredes vitae aeternae sanctificari Spiritu sancto necesse est, iuxta dicta: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, etc. Item, I. Corinth. 15. Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, scilicet, sine regeneratione.

Grati igitur hoc beneficium Dei agnoscamus, quod vere in Ecclesia recipit infantes, et laetemur in coetu vocatorum electos esse, et sciamus voluntatem Dei esse, ut quam primum aetas doctrinae capax est, semina Evangelii eis instillentur, iuxta dictum Eph. 6. Educate pueros in disciplina et doctrina Domini.

Hic ad confirmationem adiungantur et testimonia primae Ecclesiae. Origenes expresse inquit in 6. capite ad Romanos: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etiam parvulis dare Baptismum. Sciebant enim illi, quibus arcana mysteriorum commendata fuerunt, quod sint in omnibus genuinae sordes peccati, quas per aquam et Spiritum sanctum aboleri oportet.

Sciamus autem, Baptismum non tantum esse foedus Infantium cum Deo, sed omnium adultorum, omni tempore, qui etiamsi lapsi sunt, tamen rursus ad Deum convertuntur. Quia in conversione homo per fidem verissime et integre restituitur per Mediatorem in possessionem promissionis Gratiae et haereditatis vitae aeternae, iuxta dictum Matth. 18. Remittes septuagies septies.

Certo igitur sciant conversi, ipsis renovatum esse foedus Baptismi, et ad ipsos pertinere promissionem Baptismo additam: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Et sicut aliis promissionibus, ita verbis de Baptismo dictis se vere confirment, sciant se receptos esse ab hoc vero Deo, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, et quidem propter Filium Mediatorem, et sanctificari se Spiritu sancto ad vitam aeternam.

Sciant rursus Baptismum ipsis stipulationem esse bonae conscientiae erga Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei, ut scriptum est in Epistola Petri, id est, sciant tunc mutuum foedus esse factum inter Deum et baptizatum. Deus recipit te propter Filium resuscitatum, et per eum, et propter eum delet tua peccata, et sanctificat te ad vitam aeternam. Tu vicissim agnoscis, hunc vere esse Deum, qui se in hoc Filio resuscitato patefecit, et hunc verum Deum invocas fiducia Filii. Ita fit stipulatio bonae conscientiae, et mutua obligatio, Dei et hominis baptizati, quae est rata et efficax propter Filium Dei resuscitatum, regnantem, et verissime colligentem Ecclesiam in genere humano per Evangelium. Eadem stipulatio et mutua obligatio rata est conver-

sis ad Deum, quia integre restituuntur in possessionem promissionis gratiae, et haereditatis vitae aeternae.

Recitatur vetus dictum: Post naufragium humanae naturae duas tabulas salutis hominibus datas esse, Baptismum et amissa prima tabula Poenitentiam. Hoc dictum apparet traditum esse contra Novatianos, qui negabant, lapsos post Baptismum rursus converti posse ad Deum. Et necesse fuit refutari Novatianos, sicut vox Filii Dei manifestissima refutatio est, cum inquit: Septuagies septies remittes. Sed tamen dictum vetus non absurde intelligatur, quia non sic amittitur prima tabula, ut non recuperetur, sed revera in totam arcam Noae recipiuntur conversi, id est, in possessionem integram promissionum Ecclesiae propter Mediatorem.

Hic etiam commonefaciendi sunt homines de omnibus furoribus Anabaptistarum, et tenenda regula: Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos, id est, ex manifeste falsis dogmatibus, quae sunt testimonia non fallacia, unde sciri potest, eos fascinatos esse a Diabolo. Et sint in conspectu praecipui eorum errores, quos breviter recitabo.

ERRORES ANABAPTISTARUM.

Valde prodest extare veras historias certaminum Ecclesiae, ut rectis iudiciis omnium temporum confirmemur, et videamus, quales furores in impiis sectis significaverint eas a Diabolo ortas esse. Etsi autem non est una consentiens Anabaptistica, sed multiplex et monstrosa Chimaera, et alii magis, alii minus tetras opiniones habent, tamen omnium communes sunt furores, inde usque a Carpocrate, Marcione, Pepusianis et Manichaeis. Ac nisi historiae scriptae essent a Iustino Clemente, et Epiphanio, fide dignissimis, nemo nunc crederet, fuisse tales furores aetatis proximae Apostolis, quales nostra aetas vidit in Monasteriensi tragoedia. Sed sciamus, omnibus temporibus horribiliter Diabolos turbare Ecclesiam, et muniamus nos adversus Diabolorum insidias, vera cognitione doctrinae, precatione et iudiciis verae Ecclesiae, quae manifestos furores hominum fanaticorum refutavit.

Omnes fanatici, Carpocrates, Marcion, Pepusiani, Manichaei, damnaverunt Politicum ordinem vitae humanae, Magistratus, Iudicia, distinctiones dominiorum. Et aliqui damnaverunt prorsus coniugia. Aliqui contra docuerunt, Uxores debere communes esse, ut Carpocrates. Et horribilia exempla recitantur in historiis. Ita deleverunt secundam tabulam Decalogi.

Ratio autem iudicare potest, nequaquam ex Deo esse, docentes contraria mandatis Decalogi, quae etiam rationi nota sunt. Cum autem similia multa docuerint et doceant Anabaptistae nostra aetate, manifestum est, sectam ipsorum esse furorem Diabolicum. Itaque propter haec manifesta signa execrandi et fugiendi sunt, sicut scriptum est: Si quis aliud Evangelium docet, Anathema sit. Item: Si quis dicit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, etc.

Refutationes autem horum errorum firmae et perspicuae notae sint omnibus, praesertim recte instituti saepe de eis admoneantur.

Errores contra primam tabulam sunt magis tetri, sed sunt obscuriores, et magna confusio est opinionum.

Aliqui blasphemias Serveti contra tres personas divinitatis circumferunt. Multi prorsus nihil dicunt de discrimine personarum, quid sit Filius, cur nominetur λόγος et imago aeterni Patris, quid sit Spiritus sanctus.

Omnes Anabaptistae fingunt, nullum esse peccatum Originis, et propterea negant, Infantes baptizandos esse.

Postea de Iustificatione alii velut Monachi fingunt, se iustos esse suis operibus, videlicet externa disciplina, patientia, torvitate, desertione civilis vitae, conturbatione distinctionis dominiorum et simili barbarie.

Alii Enthusiastici fingunt, se iustos esse afflatibus divinis, quos tamen non habent, sed imaginantur, afflatus esse suas speculationes, vel simulata suspiria. Et interdum accedunt Diaboli impulsiones, quibus velut attoniti seu τετυφωμένοι stupefiunt, et edunt inusitatas voces, sicut Anabaptistae in urbe Monasteriensi in mediis plateis cadentes, vociferati sunt, se rapi mirandis motibus.

Hi Enthusiastici seu fanatici deinde addunt hunc perniciosissimum errorem: Affirmant Deum non efficacem esse cogitatione verbi scripti, ut prorsus abducant homines a verbo Dei scripto.

Cum autem homines abducti sunt a verbo scripto, praecipue tria ingentia mala sequuntur:

I. Amissio certae doctrinae, Legis et articulorum Fidei.
II. Amissio consolationis.
III. Extinctio verae Fidei, seu exercitiorum Fidei

Primum amittitur doctrina, quia cum mens non regitur verbo scripto, homines fanatici fingunt opiniones, ut libet, contra Legem et articulos Fidei, sicut multi fecerunt in Adulteriis.

Secundo, in veris doloribus non sustentant se scripta promissione, et sic ruunt in desperationem.

Tertio, neque sciunt neque discunt, quid sit Fides, quia quaerunt afflatus, non sustentant se cogitatione scripti verbi, cum dictum sit: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.

Constantissime igitur explodenda sunt deliria Stenckfeldii, et similium, qui abducunt homines a scripto verbo, et negant Deum efficacem esse cogitatione scripti verbi.

Semper autem in conspectu sint firma testimonia. Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Romanos 1. Item: Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo. Item: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei, etc.

Sciamus autem, Filium Dei λόγον adesse cogitationi verbi scripti, et per hanc immediate efficacem esse, iuxta dictum Iohannis 8. τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ad Hebraeos 4. Vivus sermo Dei efficacior est gladio, et iudicat cogitationes, et non est abscondita creatura coram eo. Iohannis 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et Proverbiorum 8. dicit Sapientia: Fui cum eo artifex, et delectationes meae cum filiis hominum. Antea vero dicit: Clamo in vertice civitatis. Ita iungit verbum vocale, et Filium Dei, qui immediate efficax est in ministerio Evangelii. Ideo regnum Christi est immediate ipsum esse efficacem in ministerio Evangelii, et eum colligere et servare Ecclesiam.

Qui igitur abducunt homines a verbo scripto, simul abducunt ab ipso Filio Dei, et sunt hostes regni Christi. Haec diligentissime consideranda sunt, et invitantur bonae mentes ad amorem et studium lectionis et cogitationis verbi scripti, et ad vera exercitia Fidei, cum cogitabunt, sic, et non aliter, efficacem esse Filium Dei, videlicet cogitatione verbi scripti.

Cum autem inquit Dominus: Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos, vult in qualibet secta totum doctrinae corpus considerari. Ac si qua secta defendit insignes errores, manifeste pugnantes cum Lege divina et Evangelio, sciamus eam sectam agitari a Diabolis, et fugiendam esse.

Est autem horribilis error in secta Anabaptistica, quod tollit discrimen inter peccata, quae haerent in Sanctis, non contra conscientiam et inter lapsus contra conscientiam. Et fingit, ruentes contra conscientiam tamen esse iustos, et retinere Spiritum sanctum. Hic furor Antinomorum late vagatus est, etiam apud alios. Sed manifeste damnatur illustribus testimoniis divinis.

1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Item 1. Corinth. 6. Scortatores, Adulteri, Homicidae, etc. non possidebunt regnum Dei.

Romanos 8. Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

Item de Aaron: Dominus voluit conterere eum.

DE POENITENTIA.

Etsi nomen POENITENTIA magis congruit ad contritionem, seu pavores et dolores, tamen Ecclesia sic nominat conversionem ad Deum, quae et dolores et consolationem continet, seu mortificationem et vivificationem, ut Paulus nominat. Et interdum narrationes Evangelicae sic loquuntur: Gaudium est Angelis de uno peccatore, poenitentiam agente.

Nec tamen λογομαχίας movemus, si quis aliter vult loqui, non pugnamus cum eo. Retinemus bono consilio vocabulum in Ecclesia notissimum, ut res citius intelligatur, et magis perspicua sit refutatio errorum et labyrinthorum, quibus Monachi multis seculis doctrinam de Poenitentia corruperunt.

Quid est Poenitentia seu conversio ad Deum?

POENITENTIA seu CONVERSIO ad Deum est contritio, id est, verus pavor et dolor cordis propter peccata nostra, et fide in Christum accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, iustificationem et vivificationem, et inchoare novam obedientiam.

Quot sunt partes Poenitentiae?

Tres sunt: Contritio, Fides, et nova obedientia. Hanc partitionem docendi causa bono consilio sic tradidimus, et petimus eam sine calumniis intelligi.

Quid est Contritio?

Est vere expavescere agnitione irae Dei adversus peccata nostra, et dolere, quod Deum offendimus, iuxta haec dicta: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea. Et Iesaiae 66. Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, et trementem sermones meos. Et Ieremias inquit: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, id est, consternatus sum.

Qui sunt praecipui errores Papistarum de Contritione?

Duo sunt praecipui errores Papistarum de Contritione. Prior est quod dicunt: Oportere esse sufficientem Contritionem, cum nulla possit esse sufficiens. Et ubicunque crescunt dolores sine consolatione et fide, ruunt homines in aeternum exitium.

Alter error est manifesta contumelia contra Christum, quod fingunt, Contritionem mereri remissionem.

Estne Contritio necessaria?

Respondeo. Est necessaria aliqua Contritio, quia in iuramento dicitur: Vivo ego, non volo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Oratio copulativa est, et utrunque affirmat. Vult fieri conversionem, et promittit vivificationem. Significat autem in eo dicto Conversio non simulatum dolorem, et mutationem prioris propositi.

2. Corinthios 7. Contristati estis ad poenitentiam, et tristitia secundum Deum, poenitentiam ad salutem non poenitendam efficit.

Romanos 6. Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne serviamus peccato.

Item: Initium sapientiae, Timor Domini.

Supra citatum est dictum Iesaiae: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, et trementem sermones meos.

Item: Scindite corda vestra.

Item: Deus ignis consumens est.

Deus variis calamitatibus hanc miseram naturam ideo oneravit, ut iram adversus peccatum agnoscamus, et perterrefacti confugiamus ad Mediatorem. Iesaiae 28. Vexatio dat intellectum. Psalmo 118. Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

Contra.

De ignoto non potest esse dolor.
Multa et magna peccata, quae tamen non novimus, remittuntur.
Ergo non est necessaria Contritio.

Respondeo ad maiorem: De ignoto non potest esse dolor, scilicet in specie. Deinde ad minorem respondeo: Multa et magna peccata, quae tamen non novimus, scilicet in specie, remittuntur, sicut scriptum est: Delicta quis intelligit? Sed in genere notum est, in hac depravata massa caliginem et dubitationes esse, et multas errantes flammas, ut sentimus. Ideo Propheta in Psalmo simul complectitur haec mala: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Necesse est igitur, aliquem verum dolorem in nobis esse, in quo cum fide erigimur, accipimus remissionem peccatorum.

Nec disputandum est, an sit sufficiens dolor, quia non pendet remissio ex merito, aut magnitudine doloris, sed certissimum est, nullum esse sufficientem dolorem, et cum crescit dolor sine consolatione, homo ruit in aeternum exitium. Experimur autem omnes, in vera conversione luctam ingentem esse, et non sine magno certamine apprehendi consolationem fide, sicut inquit ille: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Item: Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Item: Spiritus opitulatur infirmitati nostrae.

Quid interest inter timorem Servilem, et timorem Filialem?

Respondeo. Timor Servilis est pavor et sensus irae Dei, sine fide, id est, sine fiducia misericordiae accedente ad Deum, et sine consolatione, erigente corda in doloribus inferorum, ut pavor in Saule, Iuda et similibus, qui fit horribilis fremitus adversus Deum, et fugit Deum, de quo dicitur 1. Iohannis 4. Perfecta dilectio foras eiicit Timorem.

Timor Filialis est pavor et sensus irae Dei, sed cum Fide, id est, cum fiducia misericordiae, accedente

ad Deum, qua liberantur corda ex doloribus, et clamant at Deum, Abba pater, inter ipsos dolores, quos tamen vincit consolatio, sicut David in excellentibus doloribus tamen erigitur, ut cum inquit Psal. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te, Deus meus. Item: Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in eum, quoniam adhuc confitebor eum, Salutare vultus mei, et Deus meus.

Talis est Sanctorum contritio in hac tota vita. Et huc pertinet dictum: Timor Domini initium sapientiae. Alias descriptiones timoris Servilis et Filialis volens omitto, quas otiosi disputatores fingunt: Timorem filialem esse, qui non timet poenas. Sed sciamus, mixtos esse hos ingentes motus in sanctis, Timorem et sensum poenae, et Fidem accedentem ad Deum. Quia vult Deus sanctos aliquo modo intelligere iram adversus peccata, ut Ieremiae 13. dicitur: Postquam ostendisti mihi, percussi foemur meum, confusus sum et erubui, converte me et convertar. Item Iesaiae 28. Facit alienum opus, ut faciat proprium.

Contra.

In prima Epistola Iohannis capite 4. dicitur: Timor non est in dilectione, sed perfecta dilectio foras pellit timorem.
Ergo non est in Sanctis Timor.

Respondeo. Usitata interpretatio est dicti Iohannis: Timor non est in Dilectione, scilicet, Servilis. Recte sic dicitur. Sed haec non de otiosis speculationibus intelligantur, sed sciamus, Timorem servilem nominari fugam et fremitum adversus Deum, sine Fide, ut fugiunt Cain, Saul, Iudas. Cain inquit: Maius est peccatum meum, quam ut remittatur.

Hunc timorem inquit Iohannes eiici, scilicet, quia Fide corda eriguntur, ut, quanquàm sunt in dolore, tamen eluctentur, et simul accedant ad Deum, sicut inquit Paulus: Gratia exuberat supra delictum. Et Psalmo 13. Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remittis mihi impietatem peccati mei.

Accedente autem Fide, Timor fit filialis, et simul accenditur Dilectio, quae fides affert pacem, qua cor acquiescit in Deo, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Et deinde dicitur: Dilectio Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, etc. Et tamen simul adhuc corda quatiuntur dubitationibus et magnis doloribus. Et semper repetenda est precatio: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Item: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Item: Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Interea simul dolor de peccato fit purior, et Timor fit ordinata reverentia erga Deum. Et nos loquimur de motibus, qui sensu percipiuntur in hac vita, in qua sensus irae Dei etiam in Sanctis affert tristem consternationem, sed ex qua eluctantur erecti voce Evangelii et Fide.

DE FIDE.

In conversione necesse est fieri mentionem, non solum horrendi doloris, qui nominatur Contritio, sed etiam consolationis, quia Deus inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, Sed ut convertatur, et vivat. Et manifestum est, Filium Dei missum esse, non ut oppressi ira Dei ruamus in aeternum exitium, sed ut reconciliati propter ipsum, et liberati ab ira Dei et aeternis poenis, rursus donemur iustitia et vita aeterna, et Deus palam se nobis communicet, et sit omnia in omnibus, sicut inquit Christus: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ideo necesse est, Fidem poni alteram partem conversionis, sicut Paulus loquens de conversione nominat Mortificationem et Vivificationem.

Ac necessario taxamus Monachos, apud quos in doctrina de Poenitentia prorsus est silentium de consolatione et fide. Imo expresse iubent dubitare, an recipiamur in gratiam, et manere in hac dubitatione. Contra has perniciosissimas tenebras, ut magis conspici possit consolatio et doctrina de Fide, nobis usitatum est, numerare Fidem partem conversionis, quae certe complectitur Mortificationem et Vivificationem.

Si quis amans rixarum moverit λογομαχίας, non pugno: Sed sic loquimur, quia haec distributio est utilis commonefactio de Fide. Et certe veteres descriptiones non sunt sufficientes. Poenitentia est plangere praeterita delicta, et plangenda non facere. Hic enim non fit consolationis mentio.

Quod autem Gratis Fide propter Mediatorem accipiatur remissio peccatorum, et Iustificatio seu

Reconciliatio et Vivificatio, quae fit per Filium donato Spiritu sancto, et haereditas vitae aeternae, manifesta testimonia sunt:

Actorum 10. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Hic Petrus recitat testimonium divinae patefactionis, repetitum in universa Ecclesia, subinde missis Prophetis, quorum voci Deus etiam illustria testimonia addidit. Hunc consensum Catholicae Ecclesiae et tanquam perpetuam Synodum, citat Petrus, ut breviter summam doctrinae Propheticae ostendat, et discernat propriam Evangelii vocem ab omnibus impiis, Ethnicis et Pharisaicis opinionibus, et significet, vocem Evangelii non esse novam, sed omnibus temporibus in vera Ecclesia propagatam esse.

Adiungantur autem Petri dicto et alia testimonia saepe alibi repetita, videlicet in cap. 3. 4. et 5. ad Romanos propositio de Iustitia fidei, et confirmatio, ubi dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Et ex Iesaia: Notitia servi mei iusti iustificabit multos, etc.

Est autem FIDES assentire omni verbo Dei nobis tradito, et in hoc promissioni gratiae, et est fiducia promissae misericordiae, qua cor propter Mediatorem, et per eum liberatur ex doloribus inferorum, et accedit ad Deum, et invocat eum, clamans Abba pater, et hac vera consolatione acquiescit per Filium, dato Spiritu sancto, ut dicitur Galatas 3. Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem: Et, Iustus fide sua vivet.

Ut autem haec vera Fides recte intelligatur, necesse est, semper in conspectu esse admonitionem Bernhardi, in qua dixit: Credere te oportet, Tibi remitti. Scit Diabolus, remitti aliquibus hominibus peccata, et multi homines, ut Saul et Iudas, credunt aliis remitti. Quare haec necessaria admonitio sit infixa mentibus nostris: Credas tibi ipsi remitti peccata. De hac fide loquitur Paulus Romanos 4. cum docet, promissionem fide accipi. Non accipiunt promissionem, qui credunt, eam aliis, non sibi, offerri, sicut in Epistola Iohannis scriptum est: Qui non credit in Filium, accusat eum mendacii.

Cum igitur recitas articulum Symboli: Credo remissionem peccatorum, intelligas non tantum aliis, sed Tibi quoque dari. De hac fide dicitur: Iustificati Fide pacem habemus. Nec alia consolatio quaerenda est, sed hac fide in Deo propter Mediatorem acquiescendum est. Sic accipitur Spiritus sanctus, iuxta dictum in Zacharia: Effundam super domum David Spiritum Gratiae et Precum. Quia tunc testificatur Spiritus sanctus in cordibus, quod simus in Gratia, quia in ea consolatione sentimus, nos eripi ex doloribus inferorum. Nec iam fugimus Deum, sed invocamus, et ad eum accedimus. Et tunc verissimum est, Filium Dei adesse, et efficacem esse in cordibus, et verbo ostendere Patris praesentiam, et misericordiam, et dare Spiritum sanctum, sicut inquit: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui volet Filius revelare. Item: Ego sum vitis, vos palmites, etc.

Repetenda est etiam doctrina de exclusiva. In vero agone semper disputat mens de dignitate: Video me non esse dignum reconciliatione, non habere benefacta, qualia habuerunt Aaron, Petrus, David, quos Deus recepit, sentio multum in me dubitationum esse, et errantium cupiditatum. Haec tentatio quotidie omnes pios in invocatione languefacit, ut trepidi fugiant. Has trepidationes nominat Paulus peccata, quae per Legem existunt. Sed contra has tentationes erigamur voce Evangelii, de gratuita remissione propter Filium. Paulus inquit: Ideo ex fide Gratis, ut sit firma promissio, Roma. 4. Sic et supra dictum est de promissione, Sola fide iustificamur, id est, gratis propter Filium Dei, per Christum. Semper in conspectu sit vox Pauli: Gratia exuberat supra peccatum. Quantacunque sunt peccata, tamen certum est, Filium Dei potentiorem esse.

Quid nominatur Nova obedientia?

Necesse est in hac vita ante mortem corporalem fieri conversionem ad Deum, iuxta dictum Apoca. 2. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam. Et ad Corinthios: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Cum igitur post contritionem remissio peccatorum Fide accepta est, sequatur nova obedientia, quae propriissime est, iuxta Pauli definitionem, Militare bonam militiam, id est, retinere Fidem, et bonam conscientiam. Talis cursus habet magna certamina, sed sciamus, adesse invocantibus Filium Dei, sicut inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis, et ego reficiam vos. Item, Ego sum vitis, vos palmites. Item: Spiritus opem fert infirmitati nostrae. Item: Deus est, qui facit, ut velitis et perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Et in his certaminibus renati transformantur ad imaginem Dei, ut lux in mentibus fiat similis verbo Dei.

Quae fuit impia doctrina Novatianorum de Poenitentia?

In urbe Alexandria Meletius fuit, qui negavit, post Baptismum lapsis in manifesta scelera remitti peccata. Eundem errorem Novatus Romae sparsit. Et cum uterque magnos coetus superstitiosorum hominum haberet, applaudentium huic phanatico dogmati, magna dilaceratio Ecclesiarum facta est, et fuit diuturnum schisma. Et superbe nominarunt se illi hypocritae καθαρούς. Sed sit in conspectu refutatio.

Petrus post tristem lapsum receptus est a Christo. Item: Incestus apud Corinthios post poenitentiam receptus est a Paulo. Et adolescens educatus a Iohanne. Et Galatarum Ecclesiae in Apocalypsi revocantur ad poenitentiam. Et Petrus Episcopus Alexandrinus refutavit Meletium exemplis prioris Ecclesiae. Certissimum est igitur, lapsos iterum converti posse ad Deum, et cum redeunt ad poenitentiam, fide accipere remissionem peccatorum. Haec exempla ad dulcissimam regulam congruunt, Matthaei 18. Remittite septuagies septies, Ubi mentio fit numeri non exigui, ut cogitent omnes pii, non leves sordes haerere in omnibus hominibus, et multos lapsus accidere etiam praestantibus hominibus, sicut acciderunt Adam, Aaroni, Moisi, Davidi, Iosiae, Petro et aliis. Simus igitur memores dicti: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et pie dictum est: Ante tuos oculos nil nisi culpa sumus. Sed sciamus conversionem necessariam esse, et non perseverandum esse in delictis contra conscientiam, sicut inquit Dominus: Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Quod ipsum dictum etiam refutat Novatianos, quia Christus hortatur Apostolos ad poenitentiam.

Quomodo numerant Papistae partes Poenitentiae?

Recensent et ipsi tres partes, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem.

I.

De Contritione.

Contritio necessario recensetur, ut supra dictum est, quia necesse est, non perseverare in sceleribus contra conscientiam, sed dolere propter nostram immundiciem, et delicta actualia, iuxta dictum 2. Corinth. 7. Tristitia quae secundum Deum est, poenitentiam efficit ad salutem. Item: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Item: Ubi habitabit Dominus? In Spiritu contrito, et tremente sermones meos. Supra autem dictum est, Papistas addere duos errores praecipuos, videlicet, quod oporteat sufficientem esse contritionem, et quod mereatur remissionem. Hos perniciosos errores taxari necesse est.

II.

De Confessione.

Primum scias vocabulum Confessionis non uno modo usurpari in scriptis Propheticis et historiis Ecclesiae. In Psalmo 31. Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati mei.

Hic et saepe alibi confessio significat veram contritionem erga Deum, qua homo immediate coram Deo dolet, se habere peccata, et fide petit remissionem culpae, et mitigationem poenarum, sicut in Daniele dicitur: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Item Micheae 7. Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Haec confessio immediate ad Deum reipsa contritio est, et necessaria est.

Ad hanc accommodari potest dictum Chrysostomi, quod recte intelligatur: οὐδὲν οὕτως ἵλεων ποιεῖ τὸν θεὸν, ὥσπερ ἡ ἐξομολόγησις, nihil sic placatum facit Deum, sicut confessio.

Secunda significatio est, Confessio offensionis, et petitio reconciliationis apud homines offensos, ut dicit Iacobus: Confitemini mutuo peccata vestra, id est, Sanate inter vos offensiones, sicut Matth. 5. dicitur: Vade prius, et reconcilieris fratri tuo. Haec confessio apud offensos etiam est pars contritionis seu novae obedientiae, in talibus negotiis, quae non sunt occulta. Hae significationes in scriptis Propheticis et Apostolicis recte discernendae sunt a decreto Pontificio, quod praecipit confessionem, id est, enumerationem delictorum etiam arcanorum, faciendam administrantibus Sacramenta. De hac enumeratione quaeritur, qua occasione recepta sit, et paulatim cumulata, et an sit necessaria?

Unde est confessio, quae est enumeratio apud administrantes Sacramenta?

Respondeo. Hic ritus ortus est a spectaculis publicae poenitentiae, quam sic nominarunt. Nam

polluti sceleribus, quae passim nota erant, cum redituri ad Ecclesiam petebant se recipi, commemorabant sua delicta, ut, sicut tunc consuetudo erat, per aliquot dies starent in templo, cum signis reatus, et deinde publice reciperentur.

Hoc spectaculum nominabatur publica poenitentia, et pertinebat tantum ad pollutos sceleribus, quae passim nota erant, et nequaquam merebatur remissionem peccatorum, neque culpae neque poenae, sed commonefactio erat apud alios homines, ut essent diligentiores in cavendis lapsibus et cogitarent de magnitudine peccatorum, etc. Item, Exploratio erat, quae ostendebat, istos serio petere remissionem.

Estne enumeratio omnium aut aliquorum delictorum necessaria?

Respondeo. Nulla enumeratio delictorum necessaria est, quia manifestum est, nusquam extare praeceptum divinum de Enumeratione singulorum. Et enumeratio omnium est impossibilis, sicut scriptum est: Delicta quis intelligit? Sed petitio Absolutionis privatae retinenda est propter multas gravissimas causas. Nam vox Evangelii et multis et singulis, qui ad Deum convertuntur, et consolationem petunt, remissionem peccatorum annuntiat, iuxta dictum: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Et nihil dubium est, Sacramenta vere esse applicationem generalis promissionis ad singulos, sicut Paulus inquit, Circumcisionem fuisse sigillum iustitiae, id est, commonefactionem de promissione, et testimonium applicationis.

Praeterea retento ritu privatae Absolutionis magis in Ecclesia conspicitur discrimen Legis et Evangelii, et ostenditur testimonium ipsis exemplis, quod in Evangelio mandatum traditum sit de remissione peccatorum, sicut Petrus Alexandrinus ritum publicum citavit contra Novatianos.

Contra.

Iudex non potest absolvere, nisi causa cognita.
Pastor est Iudex.
Ergo necesse est fieri cognitionem, ad quam necessaria est Enumeratio.

Respondeo. Nego minorem. Pastor enim est minister Evangelii, habens mandatum, ut Evangelium annuntiet, seu multis, seu singulis. Et haec absolutio fit ratione ministerii, et est consolatio coram Deo. Alia est absolutio in criminibus, quae nota sunt, quae fit ratione iurisdictionis, quae distinguenda est a principali ministerio, et recipit eum, qui fuerat reus publicorum criminum coram Ecclesia. Haec alibi copiosius declarantur.

III.
De Satisfactionibus.

Nomen Satisfactionis a spectaculo publicae poenitentiae sumptum est. Nam ut supra dixi, mos fuit in Ecclesia vetusta, pollutos atrocibus et manifestis sceleribus, cum se recipi petebant, collocare in loco certo templi spectandos in veste lugubri. Sicut nostro tempore interdum Anabaptistae deposito errore ita recepti sunt, ut aliquot diebus ante templum starent in conspectu populi, et signa suae poenitentiae ostenderent.

Hic mos nequaquam existimabatur mereri remissionem peccatorum, seu culpae seu poenae, sed erat spectaculum publicum, institutum ad alios commonefaciendos, ut cogitarent, similes lapsus vitandos esse. Erat etiam qualiscunque exploratio, an illi serio peterent se recipi, Fuit in omnibus rebus Vetustas severior, quam haec ultima et delira mundi aetas. Ideo excommunicati propter caedes, postea arcebantur a convictu aliorum hominum, et gerebant certa signa reatus, ut alii homines scirent, eorum consuetudinem vitandam esse.

Hic mos haud dubie a primis patribus acceptus est: Nam et apud Ethnicos, apud quos veteris disciplinae vestigia retenta sunt, eadem consuetudo mansit. Orestes interfecta matre gessit signa reatus, ut, ubicunque vagabatur, caeteri homines a convictu eius abstinerent. Haec signa postea in absolutione amota sunt. Sic et Adrastus apud Herodotum gessit signa reatus.

Talibus exemplis vetustas commonefacere alios homines voluit, ut magis abhorrerent a sceleribus.

Huius vetusti moris vestigium fuit spectaculum satisfactionum, ut nominabatur. Graeci nominaverunt ἐπιτίμια, id est, castigationes. Sed postea superstitione creverunt ritus, et accesserunt stultae et impiae opiniones. Ac Monachi, quia fontes ignorabant, portentosas opiniones de Satisfactionibus finxerunt. Haec historica valde prodest omnibus notissima esse, facilius enim postea disputationes de Satisfactionibus diiudicari possunt. Primum autem refutatio haec tenenda est.

In furto restitutio rei alienae necessaria est, iuxta regulam: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Et Paulus inquit: Qui furatus est, iam non furetur.
Restitutio autem est Satisfactio.
Ergo Satisfactiones sunt necessariae.

Cate- | chesis Pveri- | lis, Recognita | a Philippo | Melanth. | Vite bergae | 15 40. (sic) Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est, inter quas etiam est Christi crucifixi imago, inferiori tituli parti interposita, quo loci nomen annorumque numeri in duas partes sic dirimuntur: *Vite* | *bergae* / 15 | 40. — (In fine:) *Vitebergae excv- | debat Nic. Schir.*[lentz.] | *Anno* 1. 5. 43. 11 plagg. litt. A—L sign., prima 2 foll. non num., seqq. 86 foll. num., ult. fol. non num., 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ᵃ [fol. 1ᵃ] — L 8ᵃ Catechesis, cum 31 annott. margin., Cuius fini Clausula subiuncta est; fol. L 8ᵇ vacat.) **)

Cate | chesis | Pverilis Recog- | nita a Philippo | Melanth. | Vitebergae | 1543 (Hic titulus fere iisdem figuris ligno incisis cinctus est, ac titulus Ed. praecedentis, ab illo autem eo differt, quod Christi crucifixi imago omissa est.) — (In fine:) *Vitebergae excv- | debat Nico. Schir.* | *Anno* 1. 5. 43. 11 plagg. litt. A—L sign., prima 2 foll. non num., seqq. 86 foll. num., ult. fol. non num., 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ᵃ [fol. 1ᵃ] — L 8ᵃ Catechesis, cum 27 annott. margin., in cuius fine Clausula addita est; fol. L 8ᵇ vacat). ***)

Cate- | chesis Pve- | rilis. | Recognita à Phi- | lippo Melanth. | Vitebergae Ex- | cudebat Nico. Schirl. | 1543 (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est, quae a figuris praecedentium Editt. diversae sunt) — (In fine:) *Vitebergae excv- | debat Nico. Schir.* | *Anno* 1. 5. 44. 12½ plagg. litt. A—N (N½ plag.) sign., 100 foll. non num., 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ᵃ — N 4ᵃ Catechesis, cum 265 annott. margin., quarum maxima pars sunt voces e textu repetitae et loci Scripturae S.; in fine Clausula addita est; fol. N 4ᵇ vacat). †)

Cate- | chesis Pverilis, | recognita à Philippo Melan- | thone. (Infra haec sunt tria foliola et idem Insigne Blumii typographi, quod supra in Ed. Lipsiensi anni 1540. descripsi, punctis autem in eo omissis. *Lipsiae | Michael Blvm | excudebat.* | *Anno M. D. XLV.* 10 plagg. litt. A—K sign., 2 foll. non num., 152 pagg. num., ult. 2 foll. alba, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis epistola ad lectorem [praefatio]; fol. A 3ᵃ — K 6ᵇ [pag. 1 — 152.] Catechesis, cum 31 annott. margin.) ††)

— — (Idem Index?) *Lipsiae* 1547. 8½ plagg. 8. †††)

Cate- | chesis Pverilis, | recognita à Philippo | Melanthone. | Vitebergae. | Anno M. D. XLIX. (Hic titulus, cuius lineae 1. 2. 5. rubro colore expressae sunt, figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) *Vitebergae | Ex officina literaria | Georgii Rhav. | M. D. XLIX.* 10 plagg. litt. A—K sign., prima 4 foll. non num., seqq. 75 foll. numeris 3—77 numerata, ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3ᵃ — K 7ᵃ Catechesis, cum 31 annott. marg., in fine Clausula subiuncta est; fol. K 7ᵇ — 8ᵇ vacant). †*)

---

vollkommenen Arbeit? Wahrscheinlich erhielt er sie von jemand, der als Zuhörer Melanchthons diese Vorlesung, welcher er mehr die erotematische, als akroamatische Form gegeben, nachgeschrieben hatte, zur Herausgabe, deren er sie werth hielt. Dieß war nicht der einzige, und nicht der erste Fall, daß auf diese Art Aufsätze Melanchthons in das Publicum kamen, wie sich leicht beweisen ließe, wenn es nöthig wäre. Einen eigentlichen Catechismus kann man diese Arbeit nicht nennen, aber, wie die Benennung mit Bedacht gewählt ist, eine Catechesis" u. s. w.

*) Haec Ed. ex Biblioth. ducali Guelferbyt. mihi ad manus est.

**) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo.

***) Hanc Ed. ex Biblioth. ducali Guelferbyt. in manibus teneo, etiam in Biblioth. senat. Norimb. exstat. Haec aut subsequens Ed. quoque in Bibliothecis regiis Berolin et Dresdensi invenitur.

†) Haec Ed. in meis libris est. — Recensetur in Hirschii Millenario III. p. 75. nr. 767.

††) Hanc Ed. ex Biblioth. regia Berolin. in manibus habeo.

†††) Hanc Ed., quae in Biblioth. senat. Norimb. est, nondum vidi.

†*) Haec Ed. ex Biblioth. ducali Guelferbyt. ad meas manus est.

— — (Idem Index?) *Lipsiae* 1549. 9 plagg. 8.*)

Cate- | chesis Pve | rilis, | Recognita à Phi- | lippo Melanth. | Vitebergae | Excudebat Iohan- | nes Crato, | Anno M. D. LI. (Hic titulus figuris ligno incisis cinctus est.) 10 plagg. litt. A — K sign., 79 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 a — K 7 b Catechesis, cum 30 annott. margin.; fol. K 8 vacat). **)

— — (Idem Index?) *Budissinae* 1551. 8.***)

Catechesis | Pverilis, Recogni- | ta A Philippo Me- | lanthone.

(Infra haec, Melanthonis imago figuris cincta, cui subscriptum est hoc epigramma:)

Ioan. Cregelivs

Quem deus innumeris virtutum dotibus auxit,
Pictus ibi vera fronte Melanthon adest.
Ingeniosa manus potuit depingere vultum.
Quae mentem pingat non quoque Apellis erit.

Lipsiae. | In officina Georgii | Hantzsch | M. D. LV. 9 plagg. litt. A—I sign., 71 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 a — I 7 b Catechesis, cum 25 annott. margin.; fol. I 8 vacat). †)

Cateche- | sis Pverilis. | Recognita | A | Philippo Melanth. (Infra haec, Melanthonis imago circulis cincta) *Wittebergae | Excvdebat Iohannes | Crato | Anno M. D. LVII.* 10 plagg. litt. A—K sign., 79 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 a — K 7 b Catechesis, cum 21 annott. margin.) ††)

Cateche- | sis Pveri- | lis. | Recognita | A | Philippo Melanth. (Infra haec, Melanthonis imago circulis inclusa) *Vitebergae | Excvdebat Iohannes | Crato. | Anno M. D. LVIII.* 10 plagg. litt. A—K sign., 79 foll. non num. ult. fol. album. 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 a — K 7 b Catechesis, cum 20 annott. margin.). †††)

Cateche- | sis Pverilis. | Recognita | A | Philippo Melanthone. (Infra haec, Melanthonis imago circulis inclusa). *Budissinae. | Per Iohannem | Wolrab. | Anno. M. D. LXI.* 10 plagg. litt. A—K sign., 79 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2 Melanthonis praefatio; fol. A 3 a — K 7 a Catechesis; fol. K 7 b — 8 b vacant). †*)

Ex his Editionibus illa, quam Brentius a. 1540 curavit, recusa est in *Operum Melanthonis*, quae *Basileae apud Ioan. Hervagium* 1541. in Fol. prodierunt, Tomo III. p. 211—258., Ioannis Brentii praefatione praefixa p. 211 sq.; p. 213—258. Catechesin cum 10 annotatt. margin. exhibent. Ipsius Melanthonis vero Editio extrema Witebergensis a. 1558. repetita est in eius *Operum Collectione*, quam *Wittebergae Io. Crato* a. 1562—1564. in Fol. excudit, Parte I. p. 1—27. cum Melanthonis praefatione, quae in folii proxime praecedentis non num. B ij pagina aversa legitur. Catechesi in margine 122 annotationes appositae sunt. In horum Operum *altera Editione*, quam *Witebergae haeredes Io. Cratonis* a. 1580. in Fol. excudebant, hic liber cum iisdem annott. margin. in Parte I. p. 1—27., praefatio Melanthonis in fol. proxime praecedente non num. B ij b reperitur. — De hoc libro legatur Strobelii tract. Verdienste Melanchthons um die Katechetik, in Ioh. Rud. Gottl. Beyeri Allgem. Magazin für Prediger (Leipzig 1783—96. 12 Bde) Tom. IX. fasc. 6., cuius legendi occasio mihi non data est.

Quaedam huius libri Editiones latinae etiam in germanicam linguam translatae sunt. Ex prima Ed. confecta interpretatio prodiit hisce Editionibus:

Philipps Melanchthons Handtbüchlein, wie man die kinder zu der geschrifft vnd lere halten sol. Witiemberg M. D. XXiiii. 3 plagg. 8. †**)

---

*) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresdensi et senat. Norimb. asservatur.

**) Haec Ed. in Biblioth. senat. Hamburg. et in meis libris est.

***) Haec Ed. olim, Catalogo teste, in Bibliotheca Orphanotrophei Halensis erat. — Fortasse vero annorum numerus 1551. calami errore scriptus est pro 1561., quo anno Editio infra recensenda prodiit.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Heidelberg. in manibus habeo.

††) Haec Ed. in Biblioth. regia Dresdensi et in meis libris est.

†††) Hanc Ed. ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus habeo.

†*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

†**) Haec Ed. recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 359. nr. 9 et a Panzero in l. Annalen der ältern deutschen Litt. T. II. p. 296. nr. 2386.

— — (Idem Index] Wittemberg 1527. 3 plagg. 8. *)

Ex eadem vel ex Ed. anni 1532. aut anni 1536. facta esse videtur haecce:

Ein buchlin fur die leyen vnd kinder. Phil. Melanchthons handtbüchlin, wie man die kinder zu der geschrifft vnd lere halten sol. Straßburg bey Wolffg. Köpphel. sine anni indicio. 5 plagg. 8.

Ex Ed. Witeberg. anni 1543. Casp. Bruschenius hanc interpretationem perfecit:

Catechismus, das ist, ein Kinderlehr Ph. Melanthonis, aus dem Latein ins Deutsch gebracht durch Gaspar Bruschen. Leipzig 1544. 20 plagg. 8. **)

Catechismus, das ist, ein Kinderlehr Herrn Ph. Melanthonis, auß dem Latein ins Deutsch gebracht durch *Gaspar Bruschen Poeten*. Nürnberg Hans Güldenmundt 1544. 8. 20 (?) plagg. ***)

— — (Idem Index) Nürnberg, sine anni indicio. 20 plagg. 8. †)

— — (Idem Index) Nürnberg 1567. 8. ††)

Nota. Ab illa Catechesis puerilis interpretatione german. „Phil. Mel. Handtbüchlein ꝛc." inscripta, diversae est haecce: Manual oder | Handtbüchlin, Darin- | nen die fürnembste Haubtartickel der | warhafftigen Christlichen Lere, in Frage | vnd Antwort gestellet seind, gemehrt, | Sonderlich mit einer nötigen Frage vnd | klarer Unterrichtung von den graden der | Sipschafft vnd Schwagerschafft, | welche im Freyen verbo- | ten seind. | *Philip. Melant.* | Gedruckt zu Franckfurdt | am Mayn, bey Peter Braubach, nach der Geburt Christi | M. D. LV. Jar. $14^3/_4$ plagg. 8. min. Hic enim liber, quem ex Biblioth. senat. Hamburg. in manibus habeo, non Catecheseos puerilis, sed Examinis Ordinandorum interpretationem continet, vide Prolegomena in hoc Examen supra proposita.

Praeter has *interpretationes germanicas* h. l. memoranda est haecce *expositio huius libri ab* Alexandro Alesio scripta:

Epitome | Expositi- | onis Catechismi | D. Philippi Melanthonis | Relata ad Interro- | gationes et Re- | sponsiones, | Vt vere sit id | quod dicitur Catechesis: cui addita est | expositio symboli, et orationis Dominicae, | ut nihil, quod ad iustam formam Ca- | techismi pertinere uideatur, | desiderari possit. | Ab Alexandro Alesio, | S. Theologiae D. | Psal. CXIX. | Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis. | Francoforti | ad Viadrum in Officina | Ioannis Eichorn, | Anno | M. D. L. — (In fine:) *Excudebat | Iohan. Eichorn Francforti ad | Viadrum, Anno | M. D. L.* 7 plagg. litt. A — G sign., prima 4 foll. non num., seqq. 52 foll. num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ Alesii epistola nuncupat. ad Modestinum, Christophorum et Abrahamum Ludovici Fachsii filios; fol. A 5ᵃ — G 8ᵃ Epitome expositionis Catechismi D. Phil. Melanthonis, relata ad interrogationes et responsiones, in cuius fine Clausula addita est; fol. G 8ᵇ vacat). †††)

Ab hac Melanthonis catechesi distinguendae sunt duae aliae, in quarum titulo item Melanthonis nomen occurrit:

1. Othonis Brunfelsii *Catechesis* anno 1529. primum edita, cum hocce titulo:
Catechesis Puerorum, in fide, in literis, et in moribus. Ex Cicerone, Quintiliano, Plutarcho, Angelo Politiano, Rodolpho Agricola, Erasmo, Philippo Melanch. atque aliis probatissimis quibusque autoribus, Tomis digesta quatuor, per Othonem Brunfelsium. Argentorati 1529. 8. Haec Catechesis Iac. Sturmio, Nic. Kniebsio, et Iac. Meyero, Senatoribus, urbis Argentinae Scholarum praefectis dedicata est.). †*)

— — (Idem fere Index). *Coloniae Anno M. D. XXXII.* 8. 10 plagg. (In hac altera Ed. dedicatio prioris anno 1529. scripta repetita est). †**)

---

*) Haec Ed. et subsequens in Biblioth. senat. Norimb. asservantur.

**) Haec Ed. in eadem Biblioth. senat. invenitur.

***) Hanc Ed. recenset Riederer in Feuerlini Biblioth. symbol. ab ipso edita I. p. 370.; de plagularum numero addit: „nicht gar ein Alphabeth."

†) Sic haec Ed. affertur in Catalogo librorum Melanthonis, qui in Biblioth. senat. Norimb. sunt. Nescio, utrum haec eadem sit ac proxime praecedens, an illius repetitio.

††) Haec Ed. affertur in Mart. Lipenii Bibliotheca reali theologica. Tom. I. (Francof. ad M. 1685. Fol.) p. 250.

†††) Haec Epitome in meis libris est.

†*) Haec Catechesis affertur a von der Hardt l. l. I. p. 262.

†**) Haec altera Ed. recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 386. nr. 42.

Catechesis puerorum, in fide, literis et moribus. Ex probatissimis quibusque authoribus. Per Othonem Brunfelsium. Francof. apud Christi. Egenolphum. sine anni indicio. 8. 13 plagg. (cum dedicatione primae Editionis a. 1529.). *)

In hoc libro, teste Feuerlino, nonnisi Tomus III. et IV. sunt proprie catechetici argumenti.

2. *Catechesis* ex Corpore doctrinae Philippico a Professoribus Wittembergensibus Crypto-Calvinistis, inprimis Christophoro Pezelio contexta, quae vulgo *Catechismus Crypto-Calvinianus Wittembergensis* nuncupatur. Haec primum a. 1571. prodiit sic inscripta:

Catechesis ex Corpore doctrinae Christianae Ecclesiarum Sax. et Misn. quae sunt subiectae ditioni Ducis El. Sax. edita in Acad. Witeberg. et accommodata ad usum Scholarum puerilium. Witebergae 1571. 10½ plagg. 84 foll. non num., 8. **)

Cateche- | sis | Continens Expli- | cationem simplicem, | et breuem, Decalogi, Symboli Apostolici, | Orationis Dominicae, Doctrinae de Poe- | nitentia, et de Sacramentis, con- | textam ex | Corpore Do- | ctrinae Christianae, | Qvod amplectvntvr ac | tuentur Ecclesiae regionum Saxonicarum et | Misnicarum, quae sunt subiectae ditio- | ni Ducis Electoris Saxo- | niae etc. | Edita in Academia | Witebergensi. et accommodata ad | vsum Scholarum pu- | erilium. | Cvm gratia et pri- | uilegio. | Witebergae. | Anno M. D. LXXI. — (In fine:) *Witebergae | Excvdebat Iohan- | nes Schwertel.* | 1571. 9½ plagg. litt. A—K (K½ plag.) sign., prima 8 foll. non num., seqq. 136 pagg. num., 8. min. (fol. A 1 b loco privilegii exhibet insignia Electoralia Saxon.; fol. A 2 a — 8 b Decani, Senioris et Doctorum Theologicae facultatis in Academia Witembergensi epistola ad omnes pios et doctos viros, gubernantes studia iuventutis in Scholis puerilibus, Witebergae Cal. Ian. 1571. scripta; fol. B 1 a — K 4 b [pag. 1 — 136.] Catechismus cum 8 figuris ligno incisis textui interpositis, in fine Clausula adiuncta est). ***)

Catechesis | Continens Ex- | plicationem sim- | plicem et brevem, Decalogi: | Symboli Apostolici: | Orationis Dominicae: | Doctrinae de | Poenitentia et de | Sacramentis: | Contextam ex scriptis reuerendi viri D. Phi- | lippi Melanthonis, et | Corpore Do- | ctrinae Christianae, | Qvod amplectvntvr ac | tuentur Ecclesiae regionum Saxonicarum et Mis- | nicarum, quae sunt subiectae ditioni Ducis | Electoris Saxoniae etc. | Edita in Academia Wi- | tebergensi: et accommodata ad usum | Scholarum puerilium. | Et iam denvo recognita | addita consignatione, in quibus partibus scriptorum | D. Philippi extent loca, hactenus ab aliqui- | bus impugnata in hac Catechesi. | Cvm gratia et privilegio. | Witebergae M. D. LXXII. — (In fine:) *Witebergae | Excvdebat Iohan- | nes Schwertel.* | 1571. (sic) 9½ plagg. litt. A—K (K½ plag.) sign., prima 8 foll. non num., seqq. 136 pagg. num., 8. min. (fol. A 1 b eadem insignia Elector. ac Ed. proxime praecedens continet; fol. A 2 a — 8 b Praefatio eadem ac in illa legitur, scripta Witeb. Cal. Ian. 1571.; fol. B 1 a — K 4 b Catechismus cum iisdem 8 figuris, quae in praecedente Ed. inveniuntur, et 19 annotationibus marginalibus.). †)

— — (Idem Index) *Witebergae M. D. LXXII.* — (In fine:) *Witebergae, excudebat Iohann Schwertel.* 1572. 9½ plagg. 8. ††)

Germanice hic Crypto-Calvinianorum Catechismus bis prodiit sic inscriptus:

Kurtze vnd nöthige Fragen vnd Antwort, so neben dem Catechismo des Ehrw. Herrn Doct. Mart. Lutheri für kleine Kinder vnd schlechte einfeltige Leute mögen gebraucht werden, welche andere lange Auslegungen nicht fassen noch behalten können. Wittenberg 1571. 8. †††)

Christ. Pezelii kurtze vnd Notwendige Fragen, so neben dem Catechismo Lutheri in der Kirchen zu Wittemberg gebraucht werden, auch Form einer gemeinen Danckfagung vnd Gebets, aus den Schrifften *Phil. Mel.* Wittem-

*) Hanc Ed. Riederer alteri a Feuerlino recensitae l. l. adscripsit.

**) Sic, ut suspicor, minus accurate haec Ed. recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 182. nr. 1046, ubi haec adscripsit: „Haec editio constat 10½ plagulis, et caret numeris paginarum et foliorum, ut ferme prior videatur tribus editionibus a D. Balthasare recensitis in Greifsw. Wochen-Blättern 1743., p. 336 sqq. conf. D. Loescheri Hist. Mot. P. III. p. 144, ubi etiam Pezelius e consilio Langueti hunc Catechismum scripsisse dicitur, consilia tamen Peuceri addenda sunt e pag. 161."

***) Haec Ed. altera anni 1571. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est. — Recensetur in Ioh. Vogtii Catalogo libror. rar. Ed. 3. (Hamburgi 1747. 8.) p. 182.

†) Hanc Ed. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo; etiam in Biblioth. senat. Norimb. haec vel subsequens invenitur. — Recensetur a Feuerlino l. l. I. p. 182.

††) Hanc alteram anni 1572. Editionem, quae a proxime praecedente eo tantum differre videtur, quod etiam in fine annorum numerum 1572. habet, Riederer ad illam a Feuerlino recensitam. l. l. adscripsit, et Vogtius l. l. in recensione sua attulit.

†††) Haec Ed. recensetur a Voigtio l. l. p. 182. Conf. Gregor. Langemack Historiae Catechet. T. II. p. 331 sqq. et 373.

berg, durch Hans Lufft, 1573. 8. (Post Catechismum ante Formulas Precum haec leguntur verba: Ende der Fragstück, den Einfeltigen zu gut gestellet a. 1571.). *)

Huius *catechismi crypto-calv.* historiam et fata legas apud Hutterum in *Concordia concorde* cap. II. p. 138 sqq., Rethmeyerum in *Histor. Ecclesiast. Brunsvic.* P. III. p. 373., Leuckfeldium in *Histor. Heshusiana* p. 94 sqq. Ioh. Melch. Krafftium in prodromo *Historiae versionis german. Biblior.* cap. 2 §. 3. p. 15—18. et in Hist. vom Exorcismo p. 402 et alios. — Ad hunc librum spectant haecce scripta: Ausschreiben der theol. Facultät zu Wittemberg wegen des ausgegangenen Catechismi. Wittemberg 1571. 2 plagg. 4. (in Biblioth. senat. Norimb.) — Bericht eines gottseeligen Lehrers von dem Wittemberger Catechismo. 1571. 2 plagg. 4. (in eadem Bibl.) — Index Cinglianorum quorundam errorum in Catechesi Witebergensi annotatus a Ministris ecclesiae Hallensis in Saxonia. 1571. 1 1/2 plagg. 4. (in eadem Bibl.) — Einhellige Bekentniß vieler hochgelarten Theologen vnd fürnemer Kirchen in etlichen Fürstenth. der alten Augsb. Conf. von dem newen Wittenb. Catechismo u. s. w. Ihena Anno M.D.LXXII. 54 plagg. 4. (in eadem Bibl.).

His memoratis, ad Melanthonis Catechesin redeamus, quam hic ex *Editione Witebergensi anni* 1558. recudendam curamus, quoniam haec ipsius Melanthonis extrema est. Priusquam vero ad librum ipsum aggredimur, Brentii et Melanthonis *praefationes* exhibemus, quippe ex quibus et editoris et auctoris de hoc libro iudicia optime cognoscantur.

1. Brentii praefatio in duabus Editionibus anni 1540. ab eo curatis Catechesi praefixa.

Ioannes Brentius Lectori S. D.

Nihil opus esse arbitror, hunc libellum κατηχήσεως longa concione commendare. Nam si autoris tantum nomen indicavero, nihil reliquum erit, quod apud verae pietatis studiosos commendationi desit. Scripsit enim hunc libellum Philippus Melanthon, quo uno verbo duas illas virtutes de hoc libello praedico, quae ad docendam religionem maxime omnium requiruntur. Altera est, ut quod doces, perspicua methodo doceas. Hac autem virtute Philippus ita valet, ut vix habeas quem ipsi conferas. Altera est, ut quod doces, pie, et quemadmodum Paulus ait, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως doceas, quod certe hic libellus ita praestat, ut ad docendam pietatem, nihil magis pium; nihil saluti utilius afferri queat. Etsi enim profiteatur titulo suo puerilem tantum doctrinam, attamen ea talis est doctrina, ut ex ipsa fiant vere filii Dei, cives coelestes, et haeredes regni Christi. Magnae sunt admirationi veterum Philosophorum libri, qui docent civiles virtutes, et pollicentur ἐφόδιον ad senectutem, ac remedia adversus omnes animi perturbationes, sed quod illi prolixe quidem pollicentur et conantur, perficere autem revera non possunt, id parvus hic libellus egregie absolvit. Continet enim summam eius doctrinae, quae non tantum docet civilem honestatem, nec affert tantum ἐφόδιον ad senectutem, sed docet veram iustitiam coram Deo, et affert ἐφόδιον per omnia adversa, per mortem ipsam, ad perpetuam vitam et foelicitatem. Adolescentes omnino non sunt a studio verae philosophiae, quam Ethnici tradiderunt, abducendi. Habet enim ea philosophia suam dignitatem, habet suam utilitatem. Sed ut recte et utiliter philosophentur, primum omnium hac Christiana doctrina imbuendi sunt. Nisi enim haec pietatis fundamenta probe iacta fuerint, nullum, quod superstruxeris aedificium constabit. Nec fieri potest, ut vera Evangelii doctrina, quae hoc tempore, divino beneficio in ecclesia renovata est, conservetur, nisi pueritia et adolescentia in his praecipuis religionis nostrae capitibus diligentissime erudiantur. Vetus dictum est, convicia cuncta dixeris, cum ingratum hominem dixeris. Quare, si noluerimus erga Deum ingrati esse, necesse habemus magno studio contendere, ut pueri haec pietatis rudimenta non discant tantum, sed etiam ediscant et semper in ore habeant. Maiores nostri diligenter curarunt, ut pueri domi recitarent decalogum, symbolum, quod vocant, apostolorum, et orationem dominicam. Ac non dubito, quin Deus in tam horrendis tenebris, quibus doctrina religionis hactenus obruta fuit, hoc domestico Catechismo ecclesiam conservarit. Quid enim, obsecro, in publicis templis docebatur, praeter Missas, Indulgentias, commendationes humanorum meritorum, Invocationes sanctorum, et alias id genus nugas et impietates? Nec alia erat publica ecclesiae facies, quam quae quondam in Israel regnante cultu

*) Sic haec Ed. affertur a Feuerlino l. l. p. 182. nr. 1048. — Non prodiisse Catechismum hunc germanicum, Loescherus arbitratur in Hist. Motuum P. III. p. 153.

Baalitico. Quare, qui servati sunt, quo minus has impietates corde suo adoraverint, hi certe divina clementia, per domesticum catechismum, qui pueris purus ac simplex initio tradebatur, servati sunt, ut hic catechismus, optimo iure, a vita nostra religio dicendus sit. Et omne nunc studium nostrum in hoc solum collocatur, ut homines per renovatam Evangelii doctrinam revocentur ad eam religionem, quam maiores nostri ab apostolis acceperunt, et nobis domi tradiderunt, hoc est, ut, quemadmodum propheta ait, cor filiorum convertatur ad patres ipsorum. Nec aliud conatur Satan per impios Pontifices et tyrannos, qui Evangelion persequuntur, quam ut rursus hunc catechismum in ecclesia obscuret. Multa quidem alia sunt, quae impii praetexunt persecutioni, ut ingeniosus artifex est Satan, ad transfigurandum se in angelum lucis. Sed mihi crede, hoc agunt, ut catechismum, hoc est, decalogum, symbolum apostolorum, et orationem dominicam e medio tollant. In decalogo docemur agnoscere peccatum, et corruptionem nostram. At qui docent merita humana expiare peccatum, et vires humanas implere posse legem Dei, hi gravitatem peccati obscurant. Tollunt igitur decalogum, etiamsi verba ipsa inviolata relinquant. In Symbolo apostolorum credis in Christum pro te passum et mortuum, propter quem habeas Deum patrem, placatum, et remittentem peccata. In oratione dominica invocas Deum, patrem, et petis per clementiam patris in filio exhibitam debitorum remissionem. At qui docent et urgent, quod persecutores Evangelii faciunt, Deum remittere peccata, non propter Christum filium suum, per fidem, sed propter merita nostrorum operum, hi nec Deum patrem, nec filium eius vere agnoscere docent, ideoque, quantum in ipsis est, abolent, tam symbolum apostolorum, quam orationem dominicam. Quare cum defendis eam doctrinam Evangelii, quam DOMINUS hoc tempore ecclesiae suae clementer restituit, scito te ad retinendum decalogum, Symbolum apostolorum, et orationem dominicam, pro vera patria religione, ac coelesti salute pugnare. Non pudeat autem nos omni, quo possumus, studio pueros hac catechesi erudire. Plato dicit *τὸν τῆς παιδείας ἐπιμελητὴν* esse maximum summorum in civitate magistratum. Et addit: *παντὸς γὰρ δὴ φυτοῦ ἡ πρώτη βλάστη καλῶς ὁρμηθεῖσα, πρὸς ἀρετὴν τῆς αὐτοῦ φύσεως, κυριωτάτη τέλος ἐπιθεῖναι τὸ πρόςφορον.* Nostrae literae testantur angelos esse custodes puerorum. Quod si angeli serviunt pueris, quanto magis nos debemus eis cum omni officiorum genere, tum praecipue eruditione pietatis servire. Horum, inquit, est regnum coelorum. Pertinet igitur ad ipsos coelestis doctrina, quam cum hic libellus docte et pie explicet, *ἀμφοτέραις χερσὶν* ab omnibus pietatis studiosis excipiendus, et ad manum semper habendus est. Vale.

2. **Melanthonis** praefatio libro suo in Editione Witebergensi a. 1540—1543. praefixa et in sequentibus Editt. repetita.

Philippus Melanthon pio Lectori S. D.

Utinam Typographi in deligendis materiis, quas edunt, diligentiores essent, ac non tantum sui compendii, sed etiam publicae utilitatis rationem haberent, praesertim in edendis scriptis de doctrina Christiana. Extant aliorum libelli, qui haec elementa pietatis continent, quae initio pueris proponuntur in Catechesi, ut vulgo vocant. Cum autem prosit, pueros ad unam, simplicem et similem doctrinae formam adsuefieri, optarem ex illis libellis eum tantum versari in manibus iuventutis, qui est locupletior caeteris. Nunc subinde alii novi nascuntur, non perinde foeliciter scripti. Hunc vero libellum, qui mei nominis titulo editus est, prorsus nollem esse publicatum. Etsi enim inter Scholasticos quaedam de his elementis pietatis fere in hanc sententiam disserui, tamen nec scripsi ipse totum libellum, nec recognovi. Et quaedam dicta sunt, quae congruunt ad iuventutem, quae in piis Ecclesiis versatur, non inter adversarios. Ideo optarim Brentium, qui et eruditione excellit et egregia pietate praeditus est, si tamen vidit has pagellas ante editionem, limam adhibuisse, et quaedam mutasse. Postquam autem editus est sine emendatione, cum abolere totum libellum non possim, duxi recudendum esse, et pauca quaedam dicenda distinctius. Tenue scriptum est, quod si quis putabit utile esse pueritiae, non prohibeo, quo minus utatur. Sed optarim in hoc genere aliorum legi uberiores libellos. Bene vale pie Lector.

CATECHESIS PUERILIS.

Ex Editione Witebergensi anni 1558.

Quid significat Catechesis?

Verbum graecum κατηχέω est erudio seu doceo. Olim autem erant in Ecclesia non solum Episcopi et Pastores, sed etiam κατηχηταὶ, quorum erat proprium munus erudire novitios, priusquam baptisabantur. Unde Catechesis adhuc dicitur, quaedam prima institutio, in qua compendio traditur summa Evangelii. Talis autem docendi ratio erat. Non solum proponebant κατηχηταὶ doctrinam, sed ab auditoribus reposcebant dictata, quod in docendo utilissimum est. Ita enim exploratis auditoribus animadverti potest, quid quisque intelligat, et errantes admoneri possunt. Et haec ratio docendi, in qua dictata reposcuntur, proprie est κατηχεῖν, maximeque prodesset in Ecclesia manere hanc consuetudinem, explorare rudiores, ut iudicia de necessariis rebus formarentur. Prodest et illud, unam quandam simplicem et certam formam doctrinae extare, et tenere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, et sunt consentanei scripturae, sicut et Paulus praecipit Timotheo, ut conservet ὑποτύπωσιν sanae doctrinae, id est, certam formam. Nam dissimiles et ambigui modi loquendi pariunt multas (cum alius aliud intelligit) dissensiones. Saepe etiam pariunt errores.

DECALOGUS.

Quid praecipit primum Praeceptum?

Apte orditur Lex ab agnitione Dei. Nam primum praeceptum docet esse Deum, et requirere obedientiam, benefacere obedientibus et punire inobedientes. Ac simul tradit modum, quo Deus vult apprehendi, et cultum, quo coli. Docet enim Deum esse verbo et aliquo ipsius testimonio apprehendendum. Ideo sic ait: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Quasi dicat: Ecce, hunc Deum agnosces et coles, qui tibi hoc verbum proponit, et qui tibi proposuit testimonium de se, scilicet hoc ipsum opus, quod eduxi populum ex Aegypto. Ita et nos debemus apprehendere Deum verbo, quod nobis datum est, et testimonio, scilicet, quia exhibitus est nobis Christus. Hunc Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, agnoscere et colere debemus. Cultus vero sunt timor et fides, et perfecta dilectio. Est enim emphasis in particula, Deus tuus, id est, curans te. Zelotes, id est, qui non patitur alteri tribui gloriam Dei, non patitur alios Deos confingi aut invocari. Visitans iniquitatem etc. hic requirit timorem. Rursus requirit fidem et dilectionem, cum ait: Faciam misericordiam diligentibus me. Sicut et alibi declaratur hoc praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Item, Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. Ita primum praeceptum tradit et modum agnoscendi Dei, et veros cultus. Suntque veri et primi cultus interiores, timor, fides et dilectio. Et quia magis intelligi possunt hi motus timor et fides, ideo cum quaeritur, quid praecipiat primum praeceptum, commodissimum est respondere, timorem Dei et fidem. Quomodo autem fides pariat dilectionem, alias dicetur.

Satisfaciuntne homines huic Praecepto?

Lex Dei requirit perfectam obedientiam, perfectum timorem, perfectam fiduciam Dei, perfectam

dilectionem Dei, iuxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Sed quia natura hominis corrupta est vitio originis, ideo haeret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quae magis amat carnalia, quam Deum. Ideo haec infirma natura nunquam potest satisfacere huic legi, et semper accusat nos haec lex. Nunquam enim tantum timemus aut diligimus Deum, quantum oportuit. Imo ne inchoari quidem potest obedientia huius praecepti, nisi prius audiamus Evangelium de Christo, et de remissione peccatorum.

Quomodo inchoatur haec obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere Evangelium de Christo, et de remissione peccatorum. Non enim possunt humana corda Deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum. Cum igitur perterrefacti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter Filium Dei, Iesum Christum, qui pro nobis factus est victima. Hac consolatione eriguntur mentes, et incipiunt credere et confidere Deo, quod sit nobis propitius. Agnoscunt igitur ipsius misericordiam, et statuunt nos recipi, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his, qui agunt poenitentiam, sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et haec obedientia tantum inchoata est, placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filii. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex, nisi agnito Christo placeat, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus: Lex stabilitur per fidem. Sed de hac inchoata obedientia infra iterum dicendum erit, nunc attigi tantum, ut consideretur, quatenus obediant pii huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic praecepto nosse, et profiteri ea quae docet Symbolum, et observare externam disciplinam, in cultu huius Dei, quem praedicat Evangelium. Haec obedientia est civilis disciplina, qualis esse etiam potest in Hypocritis, Sed oportet in corde verum timorem, veros pavores, et rursus veram fidem et consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant eum per hoc signum, quod nobis propositum est, id est, per CHRISTUM, et per hoc verbum nobis datum, hi vere agnoscunt Deum, quemadmodum monemur in hoc praecepto.

Quae sunt peccata contra primum Praeceptum?

Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum timore aut fide.

Primus gradus est Epicureorum, videlicet esse ἀθέους, negare quod sit Deus, aut quod sint ei curae res humanae.

Secundus est Idololatrarum, tribuere creaturis honorem Dei, videlicet omnipotentiam, invocationem etc. Sicut Gentes fingebant esse multos Deos, et nunc Sancti invocantur.

Tertius est Iudaeorum, Mahometistarum et omnium haereticorum, qui non apprehendunt Deum iuxta verbum Dei propositum, sed fingunt sibi suos Deos, contra verbum Dei. Item, confidunt certis ordinationibus contra ordinationem et mandatum Dei.

Quartus est Magicorum, qui faciunt pacta cum Diabolo, credunt Diabolo contra mandatum Dei. Item confidunt certis ordinationibus contra ordinationem et mandatum Dei.

Quintus est eorum, qui alligant Deum ad certas statuas humana autoritate positas, aut etiam vim ipsis statuis tribuunt. Nam Esaias docet, credendum esse, quod in omni loco pariter exaudiat Deus agentes poenitentiam. Item impietas est, alligare Deum humana autoritate ad certas statuas, aut certa opera, humana autoritate excogitata.

Sextus est Hypocritarum, qui quamvis non sunt palam ἄθεοι, tamen vivunt in carnali securitate, et contemnunt iudicium Dei, nec habent verum timorem Dei. Item, magis diligunt opes aut voluptates, aut gloriam, quam Deum. Item, non agnoscunt, quod Deo debeatur gratitudo et obedientia, quia sit Creator, et quod fruimur eius beneficiis.

Septimus est desperatio et odium Dei, quemadmodum Saul desperat, et cum vidit se abiectum, irascitur Deo, et odit Deum.

Octavus est impia fiducia propriae iustitiae coram Deo, ut Pharisaei illius Luc. 18. Nam Hypocritae dupliciter peccant. Non intelligunt iudicium Dei adversus peccatum. Itaque non vere timent Deum. Rursus etiam transferunt gloriam, quam debebant Christo, in propria opera et propriam dignitatem.

Nonus, dubitatio perpetua in animis, an exaudiamur, an Deus respiciat nos, an Deus velit nobis ignoscere. Huic dubitationi repugnant sancti, et fide se erigunt. Sed in impiis manet dubitatio et diffidentia, quae et ipsa gignit contemptum et odium Dei, quia imaginatur Deum aut otiosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affligat hanc naturam infirmam, nec velit eam liberare.

Decimus est impatientia. Nam Deus subiecit humanam naturam afflictionibus. Quare Patientia est obedientia erga voluntatem Dei.

Econtra, Impatientia est, repugnare voluntati Dei, et irasci Deo, et crudelitatem aut iniustitiam Deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatientiam esse peccatum contra primum praeceptum, iuxta illud: Irascimini et nolite peccare. Nam haec admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori et iracundiae repugnare. Etsi autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, et subiiciunt se voluntati Dei.

Undecimus, negligere et contemnere verbum Dei, deficere a vera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala, hominum gratiam, seu quascunque alias causas.

Duodecimus, fiducia propriae potentiae et sapientiae, ut Sennaherib confidebat sua potentia se eversurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Denique generaliter peccata sunt contra primum mandatum omnis contemptus Dei, videlicet deficere a Deo, et contra mandata Dei facere atque ita praeferre creaturas Deo. Quare in omni peccato simul inest violatio primi praecepti. Nam omnis inobedientia est contemptus Dei, seu deficere a Deo.

E regione colligantur bona opera primi praecepti. Credere omnes articulos fidei, nec assentiri Epicureis, Idololatris, Mahometistis, Haereticis, non tribuere sanctis honorem Dei, non invocare sanctos, non alligare Deum ad certas statuas. Non facere pacta cum Diabolo, non confidere observationibus contra ordinationem divinam. Habere verum timorem Dei, et veram fiduciam erga Deum, propter Dominum nostrum Iesum Christum, Diligere Deum, hoc est, agnoscere, quod Deo debeatur gratitudo et obedientia, quia sit Creator, quia fruamur beneficiis eius, quia per Filium suum nos redemerit etc. Ac propterea non esse faciendum contra mandatum Dei, propter voluptates, opes, gloriam aut ullam creaturam. Non habere fiduciam propriae iustitiae, sed petere misericordiam, et certo credere, quod per misericordiam propter Christum, Pater sit nobis propitius. Repugnare impatientiae, et agnoscere, quod obedientia in cruce sit praestanda Deo. Non confidere potentia aut sapientia, sed auxilium Dei in omnibus negotiis petere. Non deficere a verbo Dei propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Haec sunt opera primi praecepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse et obedire. Ita omnia bona opera aliorum praeceptorum fiunt opera primi praecepti. Et virtutes proprie pertinentes ad primum praeceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et haec opera atque virtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt vere spirituales cultus.

Quae est poena violati primi praecepti?

Toti Decalogo additae sunt promissiones et comminationes, etsi non repetuntur nominatim in singulis praeceptis.

Primum igitur sciendum est, aeterna morte puniri violationem Decalogi, sicut Christus inquit Matth. 5. Nisi iustitia vestra abundaverit etc. Item, Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

Secundo accedunt et poenae temporales. Estque primo praecepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem etc. Quod enim dicit vagari poenas per multos, intelligatur de temporalibus. Itaque magnitudo poenarum commonefaciat nos, ut fugiamus Idololatriam et impios cultus, et conemur obedire huic praecepto. Et exstant exempla, ubi Deus propter peccata maiorum delevit et ipsos et posteros. Ut Saul cum tota posteritate deletus est. Propter idololatriam Salomonis regnum Israël distractum est, et secuta perpetua discordia duorum regnorum, et impii cultus in Israël instituti sunt. Ita unum peccatum peperit et infinitas calamitates et infinita peccata. Haec exempla recitantur, ut magnitudinem irae Dei adversus peccata consideremus, et Deum timeamus. Horrendum est enim poenas vagari per multos propter unius peccatum. Ita unus fit reus exitii multorum.

Sed obiiciet aliquis: Filius non portabit iniquitatem patris, haec comminatio minatur filiis propter maiorum delicta, ergo est iniusta? Respondeo ad Maiorem. Maior debet intelligi de iudicio magistratus. Is tantum autorem delicti debet punire, non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non videt, quantum mali sit in contemptu Dei, imo hoc peccatum ducit esse honestissimum. Ita Deus sancit poenam supra humanum captum, et ipsius decretum eo est iustum, quia ipse decrevit. Deinde et hoc addendum est, poena aeterna non infligitur, nisi propter proprium

peccatum. Sed poenae temporales vagantur per plures. Sic Ezechiel docet de Evangelio, quod tradit exceptionem huius sententiae legis. Ezechiel enim accommodat sententiam illam ad iudicium spirituale, Filius non portabit iniquitatem patris, videlicet si intelligatur de aeternis poenis. Haec enim est propria Evangelii doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus poenitentiam. Item, quod nemo aeterna poena puniatur, nisi propter proprium peccatum. Item, quod etiam temporales poenas mitiget Deus propter poenitentiam. Itaque has duas interpretationes hic observemus, videlicet alteram de poenis temporalibus, alteram de exceptione Evangelica, videlicet comminatio est vera, et manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit Evangelium, scilicet, qui agunt poenitentiam. Impiis vero haec comminatio non est abolita, Lex Dei est aeterna. Quare et haec sententia adversus impios manet et durat omnibus temporibus. Ideo punit Deus mundum, erroribus, bellis, dissipationibus rerum publicarum, et aliis ingentibus calamitatibus, praecipue propter peccata contra primam tabulam.

Quae est promissio addita primo Praecepto?

Promissio est in his verbis: Faciens misericordiam in millia diligentibus me. Ut enim idololatris minatur poenas, ita econtra pro veris cultibus promittit ingentia beneficia, sicut pacem, victorias, defensionem, fertilitatem, foelicitatem in consiliis et rebus gerendis. Sed de promissionibus legalibus haec quatuor moneri oportet. Primum quomodo contingat praemia, cum promissiones sint conditionales, et legi non satisfiat. Secundum addi debet doctrina Evangelii de cruce et spiritualibus praemiis. Tertium quo ordine petenda sint praemia corporalia. Quartum quod expectatione praemiorum sit exercenda fides.

DE PRIMO.

Promissiones legis sunt conditionales, dantur enim praemia pro nostra obedientia. Quanquam autem re ipsa nemo legi satisfacit, tamen quia Deus approbat inchoatam obedientiam propter Christum, ideo etiam praemia dat pro illa obedientia, sicut clare inquit Christus: Merces vestra copiosa est in coelis.

DE SECUNDO.

Evangelium interpretatur legem, docet enim de cruce, videlicet in hac vita pios affligi, et tamen post hanc vitam habituros esse praemia. Praeterea in hac vita docet contingere piis praemia spiritualia, et quaedam corporalia, quia Deus vult etiam in hac vita conservare Ecclesiam.

Ex lege hoc argumentum sumitur: Iustum est, ut piis dentur praemia, impiis poenae, Pii sunt subiecti cruci, Ergo iniuste affliguntur. Hic respondendum est ad Maiorem: Maior est sententia legis, quam postea Evangelium interpretatur, quod docet ordinationem Dei esse, ut differantur praecipua praemia et praecipuae poenae. Praeterea docet ideo pios in hac vita subiectos esse cruci, quia adhuc habent reliquias peccati, quas oportet per mortem aboleri, tametsi sunt imputatione iusti. Quanquam igitur sancti in hac vita subiecti sunt cruci, tamen afficientur praemiis post hanc vitam, Praeterea multa etiam redduntur in hac vita. Et quanquam lex non satis clare concionatur de spiritualibus praemiis, tamen ex Evangelio discamus proposita esse pro bonis operibus praemia spiritualia, quae etiam in hac vita contingunt, videlicet incrementa plurimarum virtutum et donorum, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Et docet idem parabola de negotiantibus in Evangelio. Promittit Christus et corporalia praemia, cum inquit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item, Accipietis centuplum, sed cum persecutione. Et Paulus: Pietas habet promissionem praesentis vitae et futurae. Quia enim Deus in hac vita etiam vult conservare Ecclesiam, addit etiam corporalia praemia. Huc pertinet historia Davidis, Ezechiae, et similium Regum, qui gloriosis victoriis ornati sunt adversus idololatras, sicut promittit Deus: Glorificantes me glorificabo.

DE TERTIO.

Deus iussit peti et expectari etiam corporalia praemia. Sed modum, quo daturus est Deus, nos praescribere illi non debemus. Item gradus servandi sunt, ut gloriam Dei pluris faciamus quam nostram utilitatem. Quare non debemus a Deo deficere, etiamsi differt, aut non videtur dare praemia. Non enim in totum removenda est mentio praemiorum, sed gradus servandi sunt, quia constat mandatum Dei esse, ut praemia ab ipso petamus.

DE QUARTO.

Etiam corporalia praemia ideo proponuntur, ut earum expectatione fides exerceatur. Quare recte discamus uti his promissionibus. Nam haec expectatio praemiorum corporalium fit cultus Dei, cum fide et suo loco petuntur et expectantur, sicut Psalmus ait: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Ut autem intelligi possit, quomodo exerceatur fides, primum humanae mentis coecitas consideranda est. Adeo enim non cernit mens humana praesentiam Dei, ut somniet casu evenire bona et mala, nec sentiat Deum poenas infligere, aut bona dare. Hac caligine et his tenebris oppressae sunt humanae mentes. Ideo Deus, ut hunc errorem evellat ex animis nostris, proponit promissiones et comminationes. Et saepe inquit se dare bona, ut agnoscamus ipsius beneficia esse. Cum audis hanc promissionem: Date et dabitur vobis, interroga tuum animum, an vere expectet bona a Deo. Obstrepit enim humana infirmitas, et clamitat se nescire, an consilio Dei certa bona nobis contingant, sed casu potius sine delectu obiici videntur bona et mala, piis et impiis. Primum igitur fides est cultus Dei, et opus primi praecepti, statuere, quod bona et mala contingant consilio Dei, quod Deus puniat, quod iuvet. Hic primus fidei gradus est, quem in his promissionibus exercere debemus. Deinde accedant et alii gradus. Etsi enim dictum est: Date et dabitur vobis, tamen mens tua reclamat, et disputat, Deum non tanti facere hoc tuum opus, ut propterea aliquid det, praesertim cum alioqui etiam indignus sis et peccator. Et hae sunt causae, cur tales promissiones minus moveant plurimos homines, quia alii cogitant simpliciter casu evenire bona et mala, alii cogitant Deum non tanti facere nostra opera, ut reddat praemia, ita duplex est impietas. Econtra igitur erudiendus est animus, cum audit hanc promissionem: Date et dabitur vobis, primum ut vere statuat, bona nobis a Deo dari et non contingere casu. Secundus gradus fidei est proprie Evangelicus. Statuendum est enim, quod haec nostra obedientia non placeat propter propriam dignitatem, sed placeat in his, qui fide reconciliati sunt propter Christum. Quare Deus certo promissionem suam servaturus est. Haec fides, quae sentit divinitus dari bona, item quae sentit Deo placere nostrum opus propter Christum, invitat certe, ut demus libentius, et expectat vicissim a Deo bona, Ita opus nostrum fit quoddam sacramentum, quod admonet nos divinae promissionis. Quare et tales promissiones diligenter inculcandae sunt animis, et ipsorum operum utilitas intelligenda est, et in ipsis operibus fides se exuscitat ac lucet. Quare etsi petuntur corporalia bona, tamen quia fide Deus agnoscitur, et haec suo loco petuntur, talia opera sunt spirituales cultus Dei, sicut docet sententia Psalmi, supra citata.

Quidam indocti cum non docent petere corporalia, tollunt magnam partem cultuum Dei, scilicet invocationem et exercitia fidei in communi vita. Imo sciendum est, totam vitam corporalem et omnia negotia et pericula, debere esse occasiones invocationis et exercendae fidei. Et quanquam vita corporalibus subiecta est afflictionibus, tamen ipsam quoque curat et gubernat Deus, ut conservet Ecclesiam. Ideoque plenae sunt talium exemplorum historiae Genesis et Regum, quae ob hanc ipsam causam nobis propositae sunt, ut intelligamus similia pericula gubernari a Deo, et similiter a nobis requiri invocationem, iuxta illud: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Haec in genere de comminationibus et promissionibus in toto Decalogo scire prodest.

DE SECUNDO PRAECEPTO.

Aptissimus ordo est praeceptorum, Primum enim docet de interiore cultu mentis. Secundum de significatione externa, quae fit invocatione et docendo. Nam hi sunt primi cultus exteriores. Est autem propter brevitatem negative positum et prohibet abusus divini nominis. Ergo e regione quaerendum est, quos bonos usus praecipiat.

Quos bonos usus divini nominis praecipit?

Sex, videlicet, invocationem, gratiarum actionem, glorificationem, confessionem, doctrinam, fidem Iurisiurandi. Invocatio oritur ex fide, quia enim credimus, quod sit Deus, quod exaudiat, quod velit salvare, ideo invocandus est.

Discamus igitur hoc loco praeceptum Dei esse, ut invocemus et exoremus ipsum. Et hunc cultum inter summos esse, quem soli pii praestant.

Quomodo fit hoc praeceptum?

Non potest fieri sine agnitione Christi, quia in invocatione obstrepit nobis indignitas nostra, et

conscientia agnoscens peccata sua, non audet sperare et petere bona a Deo. Ideo necesse est scire, quod propter Christum Pater sit propitius et ignoscat nobis, quod propter ipsum certo exaudiamur, et quod ipse sit pontifex, qui interpellat pro nobis, et nostras preces offert Patri. Haec fides in Christum in oratione addenda est, ita et hic videmus, legem non fieri sine Christo.

Gratiarum actio est externa professio, quae etiam oritur ex primo praecepto. Nam supra praecipitur, ut mens agnoscat Deum esse Creatorem, Salvatorem, et autorem omnium bonorum, Ac propterea deberi ei gratitudinem et obedientiam. Hic igitur praecipitur externa praedicatio beneficiorum Dei, ut alios invitemus, ut et ipsi sentiant Deum esse Creatorem, Salvatorem, autorem beneficiorum, et incipiant eum timere, et illi credere.

Glorificatio est, vitare blasphemias et scandala, et referre omnes actiones eo, ut exempla nostra praeluceant aliis, invitent eos ad pietatem, ornent gloriam Dei, reddant gratiorem et commendatiorem doctrinam, sicut praecipit Christus: Luceat lux vestra coram hominibus.

PECCATA CONTRA SECUNDUM PRAECEPTUM.

I. Omittere invocationem Dei, et gratiarum actionem.

II. Invocare idola et sanctos.

III. Falsam doctrinam spargere aut defendere, et veram depravare, calumniari, obscurare.

IIII. Impios cultus instituere aut retinere.

V. Non confiteri veram doctrinam, cum interrogamur.

VI. Non docere Evangelium, ubi postulat vocatio.

VII. Non consulere ambigenti Ecclesiae, nec diiudicare ambiguas controversias, si postulet vocatio. Nam hoc est praecipuum Episcoporum officium, curare, ut diiudicentur ambiguae controversiae. Nam dubitatio est horribilis carnificina conscientiarum, et parit desperationem et impietatem.

VIII. Pugnant cum hoc praecepto et blasphemiae, maledicta adversus Deum, quae sunt varia, ut sermones Epicurei, quibus impii et securi superbe derident Deum, et iudicant Evangelium esse fabulosum. Item maledicta Hypocritarum adversus verum Deum, et veros cultus Dei, ut impiae voces Pharaonis et Rabsacis, et Pharisaeorum adversus Christum et Apostolos. Item maledicta desperantium. Denique omnes sermones, quibus concutitur fides in infirmis, et deformatur gloria Dei, sicut hoc tempore homines callidi saepe alienant animos hominum ab Evangelio calumniis artificiose excogitatis.

IX. Violant secundum praeceptum et periuria, primum quia utuntur nomine Dei, cum peccent, praetextu nominis divini conantur tegere peccata. Secundo, cum Deus ibi tanquam testis invocetur, periurus laedit gloriam Dei, quia quantum in ipso est, Deum facit falsum testem. Tertio periurus clare profitetur se contemnere iudicium Dei, quia iurans imprecatur sibi iram Dei, si fallat. Cum igitur fefellit sciens ac volens, palam contempsit iudicium Dei. Hunc manifestum contemptum et Deus punit, et debent leges magistratuum punire. Cum igitur tam multa peccata sint in periurio, consuetudo saepe iurandi sine magna causa et gravi deliberatione valde periculosa est.

X. Violant hoc praeceptum et execrationes, quia in his invocatur Deus contra suum mandatum, ut noceat aliis. Hic abusus quam sit flagitiosus, clarius perspici potest, si consideretur quam multa peccata sint in execratione. Primum est irreverentia. Nam nuncupare Deum, est invocare Deum. Est autem Deus serio et magna reverentia invocandus. Ita et nomen appellandum est serio et reverenter. Plerumque effundit execrationes vanitas quaedam aut iracundia sine reverentia. Secundo, Deus non est invocandus, ut noceat illis, quos praecepit a nobis amari. Iam in illis vulgaribus execrationibus invocatur Deus contra mandatum suum, ut noceat illis, quibus debemus bona precari. Prophetae interdum execrantur ac maledicunt, sed tantum blasphemis et obstinatis, qui non desinunt persequi veram doctrinam et veros cultus. In re tanta fit serio imprecatio seu execratio. Et magnitudo huius exempli admoneat nos, ne transferamus execrationes ad vulgaria negotia, quia in usu temerario recidunt in caput eius, qui abutitur nomine Dei.

XI. Violant secundum praeceptum et mores mali omnium, quorum exempla nocent aliis. Item deformant Evangelium.

An liceat iurare Christianis?

Respondeo: Concessum est Christianis iusiurandum. Id primum exempla ostendunt, quia Paulus aliquoties iurat, ut 2. Corinth. 1. Ego testem Deum invoco adversus animam meam etc. Et Hebr. 6. Omnis controversiae finis est iusiurandum. Et Lex inquit: In nomine Dei tui iurabis. Cum igitur Lex docet iurare et extant exempla, constat, quod liceat dare iusiurandum. Sed hic obiicitur dictum Christi Matth. 5. Ego autem dico vobis, non iurate omnino etc. Respondeo simplicissime: Necesse est τὸ ῥητὸν in Matthaeo non ita acerbe intelligi, ut tollat et dissipet iudicia et Respublicas, quia Evangelium manifeste approbat in aliis locis politias et iudicia, Quare tota illa concio Christi loquitur de privata cuiusque mundicie, non loquitur de politiis et negotiis vocationum. Improbat igitur iuramenta, quae sine vocatione dantur, et sine mandato magistratus. Interim non prohibet iuramento uti, quod defert magistratus, aut quo uti cogit vocatio, ut Paulus iurabat propter vocationem. Imo ex aliis scripturae locis et exemplis discamus iuramentum ἐπακτὸν, aut quod fit vocante vocatione, licitum esse. Evangelium enim non abolet politias et iudicia. Est autem iuramentum vinculum iudiciorum et politiarum. Sicut ad Hebraeos clare dicitur: Omnis controversiae finis est iusiurandum. Ergo Evangelium etiam talia iuramenta concedit. Quare iuramenta delata a iudice, vel facta propter vocationem, sunt concessa, et sunt cultus Dei, iuxta illa verba legis: In nomine Dei iurabis. Econtra, sine causa iurare, est abusio nominis Dei, quia nomen Dei invocatur sine reverentia. Hunc abusum Christus vult tollere, ideo addit, quod amplius est, a malo est, id est, ab irreverentia, videlicet, cum iuratur sine causa, sine vocatione, sine mandato. Alii respondent, Christum non prohibere simpliciter iuramenta, sed iuramenta facta non per nomen Dei, quia honos Dei non est transferendus ad creaturas. Nam in iuramento tribuitur Deo, quod sit iudex et inspector cordium. Tribuitur etiam potentia puniendi. Haec non sunt tribuenda creaturis.

Quae est comminatio addita huic praecepto?

Expressa comminatio est, scilicet, Qui vane usurpaverit nomen Dei, hunc non habebit Deus insontem, propter hoc dictum: Deus conservat in hoc mundo poenam periurii. Estque haec vox testimonium, quod Deus periuros puniat multis magnis calamitatibus, etiam cum magistratus non puniunt eos. Ideo omnes historiae plenae sunt exemplorum, quae testantur tristes exitus fuisse illorum, qui iusiurandum aut foedera violaverunt. Et sunt infinitae sententiae scriptorum de poena periurii, ut apud Tibullum:

Ah miser et si quis primo periuria caelat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

Huiusmodi sententiae sunt acceptae a patribus et comprobatae experientia. Denique sunt vox Decalogi. Cum igitur huic secundo praecepto annexa sit comminatio, sciamus semper in iuramento contineri duas res. Altera est, quod Deus citatur testis. Altera est, quod iurans imprecatur sibi poenam. Ideoque invocat Deum, ut puniat fallentem. Haec enim est sententia cuiuslibet iurisiurandi: Invoco Deum ac peto, ut, si fallo, vere me puniat. Et hac ipsa forma olim concipiebantur ἐπάραι in foederibus. Est igitur duplex peccatum in periurio, scilicet quod Dei gloria laeditur, cum citatur tanquam falsus testis, et quod periurus contemnit Deum, nec putat fore ultorem. Hanc horrendam impietatem sciamus non fore impunitam, et iuraturi toto pectore metuamus illam imprecationem, et sciamus haud dubio ratam fore, propter hoc testimonium secundi praecepti. Quare magna religione serventur iuramenta. Praeterea sciendum est Deum hic minari poenas, non solum periuris, sed etiam blasphemis, sicut exempla testantur publicas blasphemias, ut Rabsacis et similium, manifestis poenis statim punitas esse. Sic et Cherinthum balneae oppresserunt, cum ibi contumeliosos sermones diceret in Christum. Ut autem comminatio proposita est blasphemis et periuris, ita econtra intelligatur promissio proposita iis, qui ornant gloriam Dei, sicut in libro Regum dicitur: Glorificantes me glorificabo. Quare haud dubio iuvat pios, qui blasphemias prohibent, qui pios cultus defendunt, et tollunt impios cultus. Item, qui periuria puniunt, Item, qui reverenter servant Iusiurandum. Quare et Hesiodus dixit: ἀνδρὸς δ᾽ εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Debentne Magistratus punire periuria?

Pertinet ad officium magistratuum punire periuria. Et ratio in promptu est. Magistratus debet tueri omnia vincula societatis et iudiciorum, Iura-

mentum est praecipuum vinculum politici status, Ergo eius autoritas maxime defendi debet per Magistratus. Quare omnium gentium leges constituerunt supplicia in periuros. Et Lex XII. Tabularum laude dignissima est, quae falsum testem de saxo Tarpeio deiici iubebat. Porro haec ratio de Magistratu sumitur tantum a corporali necessitate, ideo alia ratio, quae sumitur a gloria Dei, addenda est. Nam Magistratus non tantum est defensor corporis, sed etiam gloriae Dei, quod ad externam disciplinam attinet. Tenendum est igitur hoc Argumentum: Magistratus est custos totius legis, quod ad externam disciplinam attinet, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis, prophanis etc. Ergo debet punire delicta externa adversus omnia praecepta. Puniat igitur et periuria et alias contumelias externas nominis divini, videlicet, Epicureos sermones, atroces execrationes, et tollat idololatrias et cultus, quos intelligit esse impios. Item puniat haereticos serentes falsa et impia dogmata, postquam res a piis et doctis rite iudicata est. Hae poenae omnes sunt officia huius praecepti, et habent exemplum in lege, Levit. 24. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte morietur.

An illicita iuramenta sint servanda?

Illicita iuramenta intelligi debent, in quibus promittitur aliquid, quod est peccatum, aut sine peccato praestari non potest. Ut si quis promitteret sciens se facturum iniustam caedem. Talia iuramenta non sunt servanda. Primum autem peccat iurans de re illicita, quia Deus non vult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. Deinde maius peccatum est praestare talia iuramenta, sicut Herodes simulavit se coactum iureiurando, interficere Iohannem. Hinc facile est iudicium de votis Monachorum. Irrita sunt vota, in quibus haerent impiae opiniones, quae laedunt gloriam Christi, et transferunt beneficium Christi in opera ab hominibus excogitata, videlicet, cum fingunt Monasticas ceremonias esse cultus Dei, qui mereantur remissionem peccatorum etc.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Quid praecipit tertium praeceptum?

Observationem Sabbati, hoc est, conservationem ceremoniarum, quae sunt divinitus traditae. Sabbatum enim institutum fuit causa docendi. Ideo Lex diserte inquit: Sanctificabis diem Sabbati, id est, in res sanctas collocabis, videlicet, ad celebrandas publicas ceremonias, et audiendum verbum Dei. Haec sunt vera opera Sabbati. Item, iam diligenter considera ordinem praeceptorum primae Tabulae. Primum praeceptum concionatur de cultibus interioribus, de timore, fide et dilectione Dei. Secundum de externa testatione, scilicet, invocatione. Tertium de ceremoniis et usu ceremoniarum, scilicet, quod conservandae sint propter ministerium verbi. Oportet enim existere aliquas ceremonias, quae sunt notae et testimonium verbi Dei. Non poterat magis concinnus ordo excogitari.

Estne abrogatum praeceptum de Sabbato?

Respondeo: Genus quod in hoc praecepto continetur, non est abrogatum, quae quidem est principalis sententia huius praecepti, et continet causam finalem institutae speciei, Species vero est abrogata, hoc est, semper Deus requirit conservationem ceremoniarum, sicut eas praecipit. Prodest autem aliquos esse certos dies destinatos ceremoniis, et ministerio verbi.

Hoc genus est immutabile, et est principalis sententia huius praecepti. Sed species, videlicet, ut septimus dies observetur, abrogata est, quia Christiani sunt liberi a ceremoniis Mosaicis. Interim tamen genus, quod in hoc praeceptore quiritur, est morale. Ac propterea quod ad hoc genus attinet, Christiani tenentur hoc praecepto, quia Deus praecepit omnibus hominibus, ut suum officium singuli conferant ad conservationem publici ministerii. Ita quidam erudite dicunt: Tertium praeceptum, quod ad genus attinet, est morale et perpetuum, sed quod ad speciem attinet, id est, septimi diei observationem, est ceremoniale. Et de hac ceremonia iudicandum est, sicut de caeteris ceremoniis Iudaicis. Ergo peccant, qui contumaciter negligunt politicum ministerium et ceremonias divinitus institutas. Primum, quia nolunt uti beneficio Dei, quia Deus ibi nos erudiri et exerceri vult. Deinde, quia officium suum non conferunt ad conservationem publici ministerii. Postremo, quia exemplo suo alios abducunt a ceremoniis, et minuunt earum reverentiam. Haec peccata non sunt extenuenda, Ideo docendi sunt homines de observatione huius praecepti. Sed quoniam Evangelium non alligat nos ad diem certum, piae conscientiae erudiendae

sunt, ut sciant non esse peccatum sine contemptu et extra casum scandali aliquando non interesse publicis ceremoniis. Iudaei enim habuerunt praeceptum divinum de die et de opere. Nos habemus praeceptum divinum de opere, sed non habemus praeceptum de die certo. Contemptus est autem, si quis nunquam aut raro intersit. Nam is aut contemptu doctrinae aut aliquo doctrinae odio abest. Scandali casus varii sunt, sed praecipuus est, si quis suo exemplo noceat aliis.

PECCATA CONTRA HOC PRAECEPTUM.

I. Contemnere ministerium Evangelii. Nunquam aut raro audire Evangelium.

II. Non uti Sacramentis.

III. Contumelia afficere Sacramenta, eaque vel omnino ex Ecclesia tollere, vel conferre ad impios abusus, ad quaestum aut impietatem. Sicut Missae ad quaestum turpem et impietatem collatae fuerunt.

IIII. Abolere ministerium verbi, aut in docendo negligentem esse, etc.

V. Instituere impias ceremonias, quae obscurant veram doctrinam, et officiunt vero ministerio.

VI. Dies festos conferre in convivia et ludos, non ad piam meditationem. Sicut enim publicas ceremonias, et Evangelium festo die publice audire debemus, ita praestandum est, ut sobrii et apti simus ad piam meditationem.

VII. Abducere alios exemplo a publicis ceremoniis, et praebere occasionem, ut levius de eis sentiant.

VIII. Operas, quae impediunt ministerium verbi, et ceremoniarum, die festo contumaciter exercere.

IX. Abolere ministerium verbi, vel quia ministri indigne tractentur, vel quia eripiatur victus ministris.

X. Abolere studia utilia ad conservationem ministerii.

Opera huius Praecepti.

I. Ministerium verbi Dei, et Sacramenta, tanquam summa dona Dei magnifacere, conferre studium ad ea intelligenda, ornanda et conservanda. Invitare exemplo alios, ut rectius et honorificentius de ministerio publico sentiant.

II. Iuxta vocationem praestare diligentiam in docendo etc. et conservare doctrinae puritatem.

III. Publicas conciones frequenter audire, pie uti Sacramentis.

IIII. Retinere veros usus ceremoniarum, nec contaminare eas impiis opinionibus, aut conferre ad quaestum.

V. Dies festos conferre ad publici ministerii celebrationem. Item in piam meditationem, et exempla, quae invitent alios ad pietatem. Itaque Christus non violavit sabbatum curandis aegrotis, quia illa opera non impediebant ministerium. Imo erant testimonia, quibus ornabatur et confirmabatur Evangelium. Fuerunt itaque propria et vera Sabbati opera.

VI. Tueri ministros Evangelii. Item studia quae prosunt ad conservationem ministerii.

Haec sunt vera opera huius praecepti, quorum magnitudinem pios intelligere convenit.

Violaruntne Maccabaei Sabbatum pugnando?

Cum Christus inquit: Magis volo misericordiam, quam sacrificium, docet officia dilectionis superiora esse ceremoniis. Ergo in casu, ubi non simul poterant servari otium Sabbati, et necessaria defensio populi, magistratus recte fecit, quod pugnavit, praesertim cum defenderet non solum corpora civium, sed ipsum ministerium. Est autem defensio ministerii opus Sabbati. Proinde necessaria officia dilectionis anteferenda sunt ceremoniis, sed ita, ne ceremonia penitus aboleatur, Et officium illud dispensationem, non abrogationem legis habeat, et ceremonia alio tempore conservetur. Ita homines occupati rebus administrandis necessaria officia dilectionis anteferant ceremoniis. Magistratus cum propter ceremonias in aliquo necessario casu negligit officium, peccat. Et tamen ipse quoque alio tempore ceremoniam conservet. Haec diiudicatio iam facilior est nobis, postquam ex Evangelio scimus aliquam concedi libertatem de die. Excusat Christus discipulos, cum vellerent spicas, quia faciebant opus dilectionis, et tamen tale, quo non impediebatur ministerium verbi. Talia officia, quae non sunt mali exempli diebus fe-

stis, non sunt reprehendenda, modo ut ministerio publico suum honorem tribuamus.

ALIA QUAESTIO.

Quid sentiendum est de ordinationibus Ecclesiasticis?

Regula tenenda est, quae extat apud Esaiam, et a Christo repetita est: Nullum opus esse cultum Dei, quod Deus non praecipit suo verbo. Nam ne erremus de voluntate Dei, et de veris cultibus, Deus tantum illos cultus approbat, quos ipse suo verbo instituit. Sicut Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Ac statim horrenda caligo offunditur hominum animis, cum obstrepit opinio ex consiliis humanis posse iudicari de voluntate Dei, et institui cultus. Hoc initium fuit in mundo idolorum. Hic error depellit mentes a vera consolatione, quia abducit eas a verbo Dei, et a vera doctrina fidei. Intelligunt autem impii cultum Dei opus, quod meretur condonationem peccatorum, et alia praemia divinitus, Sed vera definitio est, cultum Dei esse opus mandatum a Deo et Deo placens, cuius finis est proximus, ut Deus per id opus honore adficiatur.

Teneatur ergo regula, Ceremonias institutas ab hominibus non esse cultus Dei, nec mereri condonationem peccatorum, nec alia praemia.

Porro ut constat fugienda esse idola, ita tales traditiones abiiciendae sunt, quae proponuntur cum hac superstitione, quod sint necessariae, aut quod ritus illi sint cultus, aut placent Deum, aut mereantur praemia, ut messis ubertatem, victoriam, depulsionem morborum, aut similia. Constat enim ita crevisse idola, dum animi ignari doctrinae de fide, confugientes ad ceremonias, quaesiverunt auxilium in variis periculis. Ideo alius testatus se petere bonas tempestates, invocavit Iovem tonantem. Alius testatus se petere victoriam, invocavit Martem bellatorem. Deinde positae sunt statuae, additi certi ritus, per quos putabant Deum placari. Sic initio crevit idolomania, quam postea imitatus est orbis in invocatione sanctorum, et aliis superstitiosis traditionibus, Monastica, ieiuniis, missarum applicatione. De his superstitionibus omnibus servanda est regula: Fugite idololatriam. Caeterum sunt aliqui utiles ritus, quorum finis est politicus, videlicet, quia efficiunt ordinem seu εὐταξίαν in hac communi vita. Est enim intellectus ordinis homini proprius, et actiones humanae in hac varietate aetatum et negotiorum, postulant discrimina quaedam temporum, locorum, et exercitiorum, ut in scholis distinctae sunt classes, sunt gradus lectionum. Ita ut sciat populus, quando conveniendum sit ad audiendas conciones, et ad usum Sacramentorum, aliqui dies nominatim his rebus destinati sunt. Hic ordo potest sine superstitione servari. Et quia servit ministerio Evangelii, non est violandus. Et qui violant, ita ut vel propter odium Evangelii absint a concionibus, vel alios abducant suo exemplo, graviter peccant. Nec iuventuti concedenda est licentia negligendi publicas ceremonias. Nam consuetudo illa adfert prophanitatem Ethnicam. Ideo disciplinae causa sunt cogendi, ut intersint publicis ceremoniis, et audiant conciones, ut his primis exercitiis adsuefiant ad reverentiam verae religionis, et ad discendum Evangelium.

De Obligatione.

Vulgares libelli recitant tria opera Sabbati, Interesse ceremoniis publicis, precationem et oblationem. Cum enim conveniebat Ecclesia, singuli offerebant aliquod munus. Ex hac collatione primum aliqua pars ministris dabatur. Reliqua distribuebatur pauperibus. Hunc morem fuisse et historiae et veteres Canones et multa vestigia testantur. Inde enim et appellationes quaedam factae videntur, ut Missa, quod Hebraeis significat tributum seu collationem. Et ἀγάπη significat eleemosynas et hoc nomine interdum pro ipsa Synaxi abusi sunt, quia ibi eleemosynae distribuebantur. Manavit autem exemplum a populo Israel. Nam sacrificaturi afferebant victimam, et partem dabant sacerdotibus. Ideoque scriptum est: Non apparebis vacuus coram me. Recte igitur numeratur oblatio inter opera Sabbati, sed collationis finis immediatus et proprius sit primum, ut ministros iuvemus, deinde, ut pauperibus opitulemur. Talis oblatio hoc fine facta placet Deo. Hic autem complecti debemus omnia officia erga ministros. Exigua quaedam significatio est reverentiae erga ministerium vulgaris consuetudo offerendi, sed tamen haec quoque laudanda est ob eam causam, quia exemplum admonet, quod ministris debeamus gratiam et mercedem. Sciamus autem deberi eis omni tempore alia maiora officia. Caeterum superstitiosa opinio in oblationibus improbanda est, qualis fuit Ethnicorum et multorum nostris temporibus, qua ingentia donaria attulerunt in templa non hoc fine, ut ministros iuvarent aut pauperes, sed quia sentiebant Deo placere hoc ipsum opus, tanquam cultum et honorem peculiarem, et mereri se gratiam hoc opere, sicut hac

impia opinione etiam Iudaei cumulabant sacrificia. Quare reprehendit Psal. 49. has superstitiosas oblationes.

DE ALLEGORIA SABBATI.

Propria et simplex sententia praecepti est, quam recitavimus de conservando ministerio et ceremoniis. Sed alia quaedam allegoria Sabbati traditur. Quia enim Mosaici ritus abrogati sunt, quidam quaerunt significationem, et aiunt Sabbatum esse vocationem, cum videlicet patimur Deum agentem in nobis, ideo Sabbatum intelligunt de patientia. Non improbo hanc allegoriam, sed longius accersita est, et non debet obscurare alteram sententiam de conservatione ministerii, quae quidem longe praestantius opus est, quam patientia. Deinde lex non tantum iubet quiescere, sed iubet vacuum diem sanctificare, hoc est, praecipit opera certa necessaria ad illustrandam et propagandam gloriam Dei. Caeterum illud verum est, quod sanctum significat allegorice statum illum instauratae naturae post resurrectionem, in quo non solum cessabunt labores corporis, sed etiam calamitates et peccata, non erimus occupati civilibus officiis, corpora non edent aut bibent, erimus liberi a peccatis, et a morte, talis quies erit illa nova vita. Sed non tantum erit quies, sed accedet sanctificatio, quae est praecipua pars Sabbati, quia in illa quiete fruemur notitia Dei, et glorificabimus Deum. Haec est allegoria vera Sabbati, sicut docet Epistola ad Hebraeos. Et Esaias inquit: Erit sabbatum perpetuum. Quia vero sabbatum illud inchoatur per Evangelium, ideo etiam allegoria sabbati transfertur ad tempus revelati Evangelii, in his etiam inchoatum est sabbatum, in quibus inchoata est illa nova et aeterna vita. Nec inutilis est collatio considerare, quod Sabbati opus adumbret vitam aeternam. Monet enim in vita aeterna non solum quietem futuram esse, sed talem quietem, in qua homines notitia Dei fruentur, et Deum glorificabunt. Sed ut Allegoria ad futuram vitam pertinet, ita meminerimus in hac vita, opus esse hoc externo sabbato, videlicet ministerio verbi Dei et ceremoniarum. Id nunc intelligendum est et praestandum omni cura, ut obediamus, et illa summa beneficia Dei scilicet ministerium verbi et ceremonias intelligamus, veneremur et conservemus.

DE QUARTO PRAECEPTO.

Quid praecipit quartum Praeceptum?

Praecipit ut propter Deum obediamus parentibus, magistratibus, doctoribus et caeteris, quibus parentes suam vicem commiserunt. Primum autem ordinem considera. Prior tabula tradidit opera, quibus cum Deo proprie agimus et quae sunt instituta ad spargendam et propagandam notitiam Dei. Secunda tabula continet officia, quae serviunt proximo, et huic societati hominum necessaria sunt, in qua oportet existere gubernatores. Ideo primum sancitur lex de obedientia. Oportet et vitam, coniugia, res defendi, esse contractus et iudicia. Ideo adduntur caetera praecepta: Non occides, Non moechaberis, etc.

Suntne opera secundae tabulae cultus Dei?

Duplex obedientia est omnium sequentium legum, impia et pia. Impia est, cum homines sine timore Dei, sine agnitione Christi et vera fide praestant externa officia, quae leges imperiorum honestae flagitant, ut obtemperent legibus civitatum suarum. Plato, Aristoteles, Marcellus, Cicero aut similes. Haec obedientia, etsi disciplinae necessaria est, tamen nondum est inchoatio praecepti divini, nec est cultus Dei.

Alia est pia obedientia politica, seu exterior seu interior, cum videlicet intelligunt pii, se divina voce subiectos esse parentibus et legitimis magistratibus ac doctoribus. Itaque addunt timorem Dei, obtemperant propter Deum, et agnoscunt Filium Dei Salvatorem, et fide statuunt propter Filium Dei placere inchoatam obedientiam. Dictum est autem supra, omnia praecepta ad primum esse referenda. Sic fiunt opera politica cultus Dei, cum accedunt timor Dei, et agnitio Filii Dei Salvatoris nostri, et fides, Cumque referuntur politica officia ad gloriam Dei, hoc est, ut Deo obediamus, et his officiis eius gloriam ornemus, ac notitiam propagemus aut conservemus.

Haec regula fit illustrior propositis exemplis. Scipio et David gerunt res similes, uterque defendit suam Rempublicam ingenti virtute, et clarissimis victoriis. Porro Scipio non habet hunc finem propositum, ut doctrina de Deo propagetur aut conservetur, non refert suas victorias ad illustrandam gloriam Dei. Sed David ideo suscipit certamina et labores, ut defensa patria conservetur vera doctrina de Deo, ac propagetur. Ita singulorum officia in tota vitae societate intueantur Deum. Quia hanc ipsam ob causam ad societatem conditi sumus, ut alii alios de Deo, et de rebus bonis doceant. Ideoque Deus tam variis vinculis et officiis

homines inter se copulavit, ut illa ipsa officia sint exercitia confessionis, et monstrent, quid de Deo sentiamus. Huc pertinet dictum Christi: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur Pater coelestis. Proponit finem, ad quem referri omnes actiones debent, videlicet, ut innotescat ac celebretur Deus. Et cum inquit: Luceat lux vestra, vult in ipsis factis conspici confessionem et sententiam nostram de Deo. Ideo dimicat Machabaeus, ut testetur se approbare doctrinam de Deo traditam populo Israel. Ideo Paulus perfert aerumnas et supplicium, ut testetur se approbare Evangelium de Filio Dei. Sic omnino nostra officia in societate civili sint directa ad confessionem. Ostendant, quid sentiant Principes in imperando, Senator in dando consilio, Populus in obtemperando, singuli in contrahendo. Voluit Deus multiplices esse actiones vitae, ut essent occasiones exercendi timoris Dei, fidei et confessionis. Haec est causa vera varietatis actionum humanarum, quae quidem fiunt cultus Dei, si sunt divinitus praeceptae, ac reguntur verbo Dei, et accedunt timor Dei, et agnitio Filii Dei ac fides, et referuntur ad gloriam Dei, ut dictum est. Monachi vituperant officia politica, eisque detraxerunt honestissimum titulum ac veram laudem, videlicet cultus Dei. Et hoc praeconium transtulerunt ad ceremonias, aut monasticas superstitiones. Hunc errorem saepe reprehendunt Prophetae, ut Oseas: Misericordiam volo, non sacrificium. Item Esaias: Iudicate viduae etc. Sed contenti simus Christi testimonio, qui honorifice ornat secundam tabulam, inquiens Matth. 22. Secundum autem SIMILE HUIC, Dilige proximum sicut te ipsum. Consideranda est enim Emphasis in verbo Simile. Haud dubie taxabat opinionem Hypocritarum, qui se efferebant propter ceremonias, et levius sentiebant de civilibus officiis, qualis arrogantia nunc quoque in Monachis est, et caeteris, qui magno pretio Missas vendunt. At Christus monstrat veros cultus. Omnes fatebantur primum praeceptum concionari de cultibus Dei, Hic addit Christus, simile esse praeceptum de dilectione proximi. Ergo Deus non minus vult coli officiis secundae tabulae quam primae. Haec vox Christi exuscitet nos, ut maiore studio haec civilia officia praestemus, quia inquit. Hoc mandatum simile est alteri, docet flagitari haec officia, et placere Deo non minus, quam ea, quae docet prima tabula. Sed intueri debent, ac referri ad eius gloriam, ut dictum est.

Quae sunt parentum, magistratuum et aliorum gubernatorum officia?

Mirum videri potest, cur nominatim expresserit officium subditorum, cum videatur prius fuisse dicendum de officio gubernatoris. Sed causa haec est, quia officium gubernatoris expressum est in ipsis praeceptis reliquis prioribus et sequentibus, parentes et magistratus vult esse custodes harum legum, et iuxta has leges regere eos, quibus praesunt, curent eos doceri de Deo, et assuefieri ad veram invocationem Dei et ceremonias divinitus traditas, ali et coherceri, ne polluantur caedibus, libidinibus, furtis, mendaciis. Hanc esse summam officii parentum et magistratuum facile potest intelligi. Itaque cum lex ipsa esset vox gubernatoris, non fuit opus addere, quid sit faciendum magistratui. Ac semper tenenda est haec eruditissima definitio, quae extat apud Aristotelem: Magistratus est custos legis. Ita dicimus parentes esse custodes legis in oeconomica disciplina, magistratus publici sunt custodes legis in publica civitatis gubernatione, quam tueri oportet suppliciis corporum. Etsi autem Decalogus breves habet sententias, tamen sciendum est, ingentem molem negotiorum et operum comprehendi. Paulus etiam breviter officia parentum complexus est, inquiens: Educate filios in doctrina et castigatione Domini. Tria beneficia coniungit, ut alant, ut erudiant, ut castigent, iuxta doctrinam coelestem.

De cura alendi etiam praecipiunt humanae leges, et puniunt crudelitatem parentum, qui velut corvi deserunt parvos natos, eosque non alunt. Sed quia homines nascuntur, ut notitia de Deo propagetur et celebretur, ideo non satis est natorum corpora fovere, sed etiam addenda est doctrina, praecipue tradita a Deo, sicut hic inquit Paulus. Et alibi ait scriptura: Narrate ea filiis vestris. Curent parentes tradi liberis praecipue doctrinam coelestem de Deo, de lege Dei, de Evangelio ac beneficiis donatis generi humano propter Filium Dei, Iesum Christum, Servatorem nostrum, de venturo iudicio, de vita aeterna. Deinde etiam tradant aliquam artem vitae utilem, literas aut aliam.

Sicut in alio loco hortatur Paulus, ut pii discant artes honestas, ut possit eorum esse usus in gubernatione Reipublicae et aliis honestis negotiis huius communis vitae ad Titum ultimo: *Μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι.* Discant nostri honestis officiis praeesse ad necessarios usus, ne sint inutiles, id est, discant literas, religionis doctrinam, iura, medicinam, aut alias artes laude dignas, exerceant se in militia, ut servire Ecclesiae et Reipublicae possint. Non vult Paulus Christianos se abdere in specus, et esse inutilia terrae onera, ut Monachi olim suo otio consulebant et suae tranquillitati, sed vult nos suscipere

labores et pericula ad communem societatem hominum iuvandam, quam Deus instituit. In his occupationibus luceant fides, confessio, obedientia erga Deum, et vera benevolentia erga caeteros homines. Quomodo potuisset innotescere ac propagari coelestis doctrina, nisi Prophetae, Apostoli et caetera lumina Ecclesiae, gessissent magistratus, adiuvissent cives, devinxissent sibi honestos homines piis officiis? Ideo iubet disci artes, quarum usus vitae communi necessarius est. Ex his satis intelligi potest, quarum artium doctrinam parentes liberis tradere debeant.

Pertinet eadem cura et ad magistratus. Intueantur hi quoque Decalogum, curent proponi civibus veram doctrinam de religione. Recte constituant Ecclesias et scholas. Puniant Epicuraeos, idolorum cultores, defensores impiorum dogmatum, periuros, deditos magicis praestigiis. Pacem, pudicitiam, facultates defendant, iudicia exerceant, ut caetera praecepta docent: Non occides, Non moechaberis, Non furtum facies, Non dices falsum testimonium. Et finis sit pacis, non ut perfrui voluptatibus homines possint, sed ut doceri Ecclesiae, Dei notitia in terris conservari, disciplina retineri et regi mores possint. Hic est finis, propter quem pax expetenda est, non ut in otio voluptates quaeramus.

Quare et Paulus ad Timotheum de hoc fine concionatur, cum iubet precari pro Magistratibus, ut tranquillam et quietam vitam agamus, in omni pietate et honestate. Curent igitur Magistratus depelli latrocinia, retineant pacem, Ad quos fines? ut conservetur pietas et honestas, id est, ut doceri Ecclesiae, institui iuventus, et mores regi possint.

Nam haec domestica gubernatio cum satis per se sit negotiosa, habet opus pace. Tumultus et trepidationes publicae impediunt discentes, non possunt convenire homines certis temporibus. Non possunt magistratus leges de disciplina condere, iudicia exercere, quaerere idoneos gubernatores, dare stipendia, inspicere operas, publicos reditus et aedificia tueri, nisi sit tranquillitas. Ideo Deus restituit aliquando pacem imperiis, ut interea rursus instaurari Ecclesiae, scholae, disciplina, studia, leges possint. Haec qui putat sine magnis et variis laboribus mediocriter posse perfici, valde errat. Ideo opus est domestica pace, qua tamen quia homines plerumque abutuntur, ut est natura hominum prona ad voluptates, et facile abiicit timorem Dei, praesertim cum poenae non sunt in conspectu, ideo Deus punit impietatem hominum frequentioribus et atrocioribus bellis ac seditionibus. Haec breviter de officiis magistratuum admonuisse satis sit, quorum summam ita facillime comprehendemus animo, si Decalogum intuebimur, et cogitabimus magistratum huius divinae tabulae custodem esse.

Cur textus inquit: Honora patrem et matrem?

Honos duo complectitur, Interiorem reverentiam, et externam obedientiam.

Sunt autem obiecta duplicia, personae, ut parentes, magistratus, doctores. Alterum obiectum est, ipse ordo politicus divinitus institutus, qui conservante Deo legem suam, retinet societatem civilem. Est enim ordo ille, ipsa legis divinae in externa disciplina conservatio. Ac secundum obiectum prius aspiciatur. Non dubium est, ordinationi ac legi Dei honorem deberi. Ut autem hae gratissimae vices temporum, diei et noctis, aestatis ac hyemis, et leges motuum coelestium vere sunt ordinatae a Deo, sic vere Deus est autor totius societatis humanae, devinxit homines inter se, coniugio, procreatione et educatione liberorum, mutuis contractibus et officiis, imperiis, addidit legis notitiam, tanquam munimentum huius societatis. Nec tamen aut constitui, aut durare imperia possent, nec exequi legem Dei homines sine divina ope possent. Ideo Deus excitat et adiuvat gubernatores, et suam legem ipse exequitur, gubernat et armat manus magistratuum in puniendis iniustis caedibus, flagitiosis libidinibus, furtis, ut conservari societas possit. Cumque hanc ipsi magistratus dissipant, videlicet, cum tyranni monstrosis libidinibus se polluunt, rapiunt aliorum coniuges aut liberos, exercent iniustam crudelitatem, defendunt manifestam idololatriam, mutat Deus ipse imperia, ac excitat vicinos reges aut populos, qui tyrannos puniant, et leges ad honestam disciplinam restituant. Ita excussis imperio Chaldaeis et Assyriis, summa potentia ad Cyrum translata est, qui punivit tyrannos, defendit Ecclesiam restituit leges, iudicia, disciplinam. Deleto Antonio Deus tradidit habenas imperii Augusto. Deus evexit Constantinum oppressis tyrannis Diocletiano, Maximiano, Maxentio. In hanc sententiam ait Daniel: Deus constituit et transfert regna.

Cumque has ordinationes sine personis consideramus, videlicet hominum consociationem, coniugium, civiles coetus, imperia, iudicia, leges, disciplinam, magis apparent et ordinis pulchritudo et utilitas. Ac videmus in hoc ipso ordine lucere sapientiam Dei, et mirificam bonitatem seu beneficentiam erga nos. Delectant oculos vulgi spectacula. Quod potest autem cogitari pulchrius spectaculum hoc ordine, si animo secernamus vitia, quae diabolus ac hominum improbitas et infirmitas admiscent? Quam est honesta societas mariti, uxoris, liberorum, cum inter se amant, iuvant, certant officiis, invocant una voce Deum, curant propagari

et conservari Dei notitiam et veros cultus? Quid est civitatis forma iucundius, in qua recte constitutae sunt Ecclesiae, magistratus tuentur disciplinam, cives obtemperant, sunt concordes, habent suos coetus verae religionis et iudiciorum causa, habent congressus honestissimos in templis, in curia, in scholis, colunt studia literarum, quaerunt victum honestis artibus, quibus vita opus habet, cultura agrorum, mercatura, opificiis, aedificant, muniunt urbes adversus latrocinia. Et civium omnium voluntates spectant ad hunc finem, ut in hac societate recte colatur Deus, et Deo obediatur, propter hanc causam defendunt patriam communi animo et consilio. Quod spectaculum iucundius hoc ordine cogitari potest?

Sed incurrunt in oculcs vitia et confusiones oeconomiarum et politiarum, contumacia liberorum adversus parentes, coniugum discordiae. Et in imperiis tyrannides superiorum, negotiatorum fraudes, libidines principum et vulgi, doctorum dissensiones, magistratuum negligentia, et alia multa incommoda. Qualia monstra interdum regnant, ut Nero, Sardanapalus et similes.

Hac tetra specie deformatur ordinatio Dei, ne vere conspiciatur, nec putetur haec societas civilis, Dei munus esse. Sed existimentur homines sine Dei consilio concurrisse, ut se defenderent contra bestias aut latrocinia, ut multi prophani arbitrantur, imperia casu oriri, ruere, transferri ab aliis gentibus ad alias.

Hic docenda est iuventus, ut discernat ordinem, leges, contractus, iudicia, a vitiis deformantibus societatem, Nam vitia a Diabolo et humana infirmitate oriuntur, ut haec dicta monent: Diabolus est mendax et homicida. Item, Deus non est autor ἀκαταστασίας, id est, dissipationis imperiorum Item, Qui facit peccatum, ex Diabolo est.

Primus igitur honos est, de quo hic praecipitur, agnoscere res ipsas, videlicet, coniugium, oeconomias ac politias a Deo institutas esse, et eius auxilio conservari, ac lucere in his ordinationibus Dei praesentiam, sapientiam, bonitatem et amorem erga nos. Et agnoscentes haec beneficia gratias agere Deo autori debemus, eumque orare, ut conservet, et depellat Diabolum, qui dissipare hanc harmoniam conatur. Ad hunc gradum honoris pertinet et praedicatio seu celebratio harum rerum, ut iuventus discat eas a Deo ortas esse, et assuefiat, ut piis precibus a Deo petat horum munerum conservationem. Est et grati animi, libenter obedire propter Deum, cavere mala exempla et scandala, quibus bonae ordinationes dissipantur, et leges obruuntur, denique officiis res tam utiles tueri. Hactenus breviter dictum est de priore obiecto.

Alterum obiectum honoris, personae sunt, parentes, doctores, et qui imperia tenent. Horum est dissimilitudo ingens. Sed regulam hanc sequi omnes debebant: Parentes et caeteri gubernatores sint viva lex, id est, custodes Legis divinae. Quis autem non intelligit eas personas amandas aut honore afficiendas esse, per quas Deus impertit tanta beneficia, religionem veram, leges, iudicia, pacem, generi humano?

Tales fuerunt gubernatores, Moises, Iosue, Samuel, David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Cyrus, Constantinus, Theodosius. Est igitur alter honos, qui personas intuetur, agnoscere hoc quoque Dei munus esse, habere parentes, qui officium suum faciunt, bonos doctores, salutares principes. Nam ordinatio ipsa seu leges sine custode seu executore, sunt infirmae, ut dicit graecus versus: Ἰσχυρὸν ὁ νόμος, ἢν ἄρχοντα ἔχῃ. Valida res lex est, cum principem habet. Ad hunc gradum honoris pertinent haec officia, gratiarum actio pro talibus personis, precatio pro eis, obedientia, reverentia personae debita, veritas, seu candor et aequitas in legibus et actionibus earum iudicandis, condonatio aliquarum imbecillitatum.

II. De gratiarum actione et precatione mandatum extat I. Tim. 2. Certum est enim, sapientes, iustos et foelices gubernatores singularia Dei dona esse, ut Salomon gravissime dicit, Ut oculus videat, et auris audiat, Deus facit utrumque. Oculus significat gubernatorem, auris populum audientem, ut ergo haec sint in officio, id est, ut magistratus sit vigilans et intentus, et ut prospiciat communi utilitati, et ut adsit autoritas, quae moveat caeteros, ut adsentiantur bene monenti, et obtemperent volentes, haec haud dubie Dei opera sunt. Quare si qua regio civitas aut Ecclesia habet mediocres gubernatores, agat Deo gratias, pro tanto munere, et sedulo oret, ut Deus regat ac adiuvet eos, quia profecto vera est sententia Iohannis: Non potest sibi homo quicquam sumere, nisi datum ei sit de coelo. Nulla gubernatio foelix est, nisi Deo iuvante, Quare David inquit: Benedictus Deus: qui docet manus meas ad praelium. Item: Qui dat salutem Regibus. Et Salomon inquit: Qui potest regere tantam multitudinem populi? Da ergo mihi cor sapiens.

III. De obedientia praeceptum extat Rom. 13. Necesse est obedire magistratibus, non solum propter iram, id est, non solum propter legum poenas, sed etiam propter conscientiam. Hanc sen-

tentiam meminisse necesse est, quia hic est verus nervus, qui politias continet et coagmentat. Ideo enim magna pars hominum, id est, omnes sani obtemperant iustis legibus, et mediocribus gubernatoribus, quia intelligunt se Deo hanc obedientiam debere, et ex hac Pauli voce discunt pollui conscientiam contumacia, hoc est, fieri mentem ream Deo, excuti ex gratia Dei, mereri iram Dei et aeternas poenas. Tenenda est igitur regula certissima tradita hoc loco voce Apostoli. Peccatum mortale est, id est, quod meretur iram Dei et aeternas poenas, contumaciter repugnare iustis legibus politicis, et mediocribus gubernatoribus. Sed de iniustis postea dicetur.

IIII. De reverentia personae debita. Dixi primum in bona gubernatione Dei praesentiam et munera agnoscenda esse, et constituendam obedientiam, hac constituta, si persona etiam divinitus gubernatur, hanc ipsam quoque amemus, nobis anteferamus, et nos ei subiiciamus et praedicemus dona Dei, quibus ornata est, sicut venerantur Hetei Abraham, ac inquiunt: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos. Et mulier Thecuitis dicit ad David: Tu autem Domine mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei. Discant autem hic pii veram reverentiam in animo sitam discernere a fucosis officiis adulatorum, gradus etiam observent, ut tribuamus debita munera, non aliena et Dei propria, sicut Ethnici suos reges Deos nuncuparunt, et in templis eorum statuas horribili furore coluerunt et invocarunt: Amet miles Davidem, et vera animi reverentia illum sibi anteferat, sed sciat hominem esse Deo subiectum, ministrum divini muneris, ornatum a Deo, daturum etiam poenas, si suo munere abutatur, et hac sollicitudine eius infirmitatem deploret, ac petat, ut a Deo adiuvetur. Ac tot millibus annorum vix unus et alter fuerunt. Davidis similes, ut Moises, Samuel. Caeteri omnes etiam laudati principes quantum habuerunt et habent infirmitatum, quarum consideratio in bonis civibus non impedit reverentiam, sed accendit sollicitudinem, ut pater pius et amans liberorum, si quem videt in filio morbum, non ideo minus amat, sed miseratio auget benevolentiam, et excitat sollicitudinem de eius salute. Simul autem admonet patrem humanae infirmitatis, et docet discernendam esse hanc miseram et fragilem naturam ab aeterna, et petendum esse auxilium ab aeterna, videlicet a Deo, qui ideo voluntatem suam nobis patefecit, quia vult agnosci, invocari, servare invocantes etc.

V. De veritate seu candore et aequitate in iudicandis magistratuum actionibus generale mandatum divinum teneatur: Non dicas falsum testimonium. Item Levit. 19. Non sis calumniator in populo. Et Proverb. 12. Abominatio coram Deo labia mendacia. Etsi autem in universum mendacia et calumnias Deus prohibet, tamen quia calumniae, quibus deformantur magistratus et leges, magis ornari solent praetextu aliquo, prodest in doctrina de honore debito imperiis, nominatim de his calumniis monere adolescentiam, eamque diligenter ac serio hortari, ut se assuefaciat, ne cito, ne inexploratis fontibus negotiorum iudicet de factis magistratuum, aut de legibus. Semeias calumniatur Davidem, ac vocat eum virum sanguinum, quasi ipse suo consilio regnum Sauli eripuerit, aut insidiatus sit vitae Saulis et eius posterorum. Haec convicia apud impios cum quadam specie plausibiliter dicebantur, cum tamen reipsa falsissima essent. Talia saepe accidunt bonis gubernatoribus. Saepe audimus querelas de iudiciis, de foro, imo et de ipsis forensibus legibus, etsi autem in tanta hominum infirmitate aliquid accidit vitii, tamen videndum est, ne res bonas iniustus damnemus propter abusus aliquos, qui accidunt: Amemus veritatem et candorem in iudicandis rebus, nec pronuntiemus inexploratis causis et fontibus negotiorum.

VI. De condonatione aliquarum imbecillitatum admonet nos exemplum filiorum Noe, Cham maledicitur, quod irridet patrem, qui casu nudatus fuerat. Et multa sunt praecepta de hac virtute, quae non quidem probat ulla vitia, sed quosdam mediocres morbos in superioribus, et in caeteris quaedam honesta animi moderatione tradat. Ingens enim est humanorum animorum imbecillitas. Si maritus coniugem, si pater liberos, si amicus amicum mox abiecturus esset, cum levis aliqua offensio incidit, quantum mali accideret? Vult igitur Deus gradus teneri, quae offensiones dissimulandae sint, et quae condonandae communi tranquillitati et saluti, quae econtra non sunt negligendae. Si princeps non est tyrannus, id est, si studet recte facere, et plerumque recte facit, etiamsi interdum errore aliquo peccat, ut hallucinabatur David, cum Sibae mentienti attribueret Domini possessiones, aut habet aliquos leves morbos, haec dissimulanda et aequitate quadam tolleranda sunt. De hoc genere praecipit Petrus, inquiens: Obedite Dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam morosis et durioribus. Dixi de honore, qui tribuendus est bonis et mediocribus gubernatoribus. Sed quid sentiendum est de tyrannis? Respondeo: Haec tria discerni debent, res, persona, et vitia a diabolo rei admixta. Res est politicus ordo, qui est opus Dei, ut saepe dictum est. Hunc amabat Paulus, etiamsi Neronem vere, et ex animo oderat et execrabatur, quem norat horribiliter agitari a Diabolo, detestabatur etiam rei vitia, id est, aliquas iniustas leges, et in-

iniustas expilationes. Deinde et haec regula tenenda est: Cum tyranni praecipiunt, ut cives faciant contra aliquod mandatum Dei, anteferendum est mandatum Dei, et non obtemperandum impio edicto tyranni, ut in Actis Apostoli docent: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Ita Daniel, et eius socii in Babylone, etsi in politicis officiis excellenti studio obediebant regi, tamen cum edictum proponeret de adoranda statua, magno animo palam testati sunt, se non obtemperaturos esse.

Ita nunc, cum mandant Pontifices, Reges aut Principes, ne populus audiat puram Evangelii doctrinam, ne pius sacerdos ducat uxorem, et ne omittantur impia spectacula Missarum, et invocatio mortuorum etc. His edictis nequaquam obtemperandum est, sed pii sciant idola fugienda esse, sciant et confessione vera et gravi testimonium fidei edendum esse. Et quia singuli ac privati non defenduntur adversus tyrannos per superiores ordines, qui partem tenent gubernationis, consolatur nos Deus, et ostendit saevitiam illam ferendam esse piis, singulis et privatis, et testatur se vicissim sanctos ornaturum esse gloria, et puniturum esse Tyrannos. Ideo scriptum est: Pretiosa mors sanctorum. Et Psalm. 71. Pretiosus sanguis eorum coram eo. Et Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam etc. Non igitur moverunt seditiones Baptista, Christus, Apostoli, sed iniurias tulerunt et vindictam Deo commiserunt.

Nec tamen ideo summi ordines concedere Caligulae, Neroni et similibus tyrannis licentiam omnium scelerum debebant. Sed quia pars sunt consilii publici et gubernationis, ad officium eorum pertinet, removere tales furias a gubernatione, et in omni officio pios defendere, sicut Ionathas Davidem texit, et milites honestiores, in cohorte Saulis nolebant interficere Sacerdotes, et Abdias excepit hospitio et pavit Prophetas, quibus Iesabel necem minata erat. Et recte Traianus Imperator dixit, cum designaret praefectum praetorio, eique de more ensem publice traderet: Hoc ense, si iuste imperabo, pro me utaris, Sed si iniuste imperabo, contra me utaris. Gradus sunt in imperiis Dei consilio constituti, ut plures conferant consilia et operas, non ad contumelias Dei stabiliendas, non ad polluendam rerum naturam iniustis caedibus, et flagitiosis libidinibus, sed ad ornandam gloriam Dei, et ad disciplinam tuendam, et ut gradu aliquo aberrante, caeteri gradus tamen excubent pro communi salute, et frenum iniiciant immaniter grassanti. Micheae septimo Deus testatur se irasci conspirationi malorum gubernatorum, et minatur eis commune exitium. Princeps postulat, et iudex in reddendo est, id est, principes et iudices inter se colludunt, et mutuas operas tradunt. Haec ne fiant, grassantem Tyrannum iudices, id est, socii gubernationis cohercere debent. Debent honorem et ipsi Magistratus politico ordini, ne existiment se ad illud fastigium evectos esse, tantum ut habeant licentiam omnium cupiditatum, sed ut ipsi suo loco serviant politico ordini, tanquam divino operi seu divinae legi, et hunc ordinem veris officiis tueantur. Nam et ab ipsis Deus reposcet rationem administrati muneris, ut apud Ezechielem capite 34. dicitur: Ecce ego ipse super pastores, et requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semet ipsos. Et Esai. 10. Vae condentibus leges iniquas, et iniusta scribentibus, id est, iniustas sententias ferentibus, aut iniusta mandantibus, ut opprimant in iudicio pauperes etc. Quid facietis in die visitationis et venturae calamitatis?

Quid complectitur obedientia debita Magistratui?

Obedientia complectitur benevolentiam animi, omnia officia legitima, operas militiae, et similes necessarias communi defensioni societatis humanae, et tributa seu collationem pro modo facultatum. Oritur autem vera benevolentia ex illis ipsis fontibus, qui honorem seu reverentiam pariunt, quia scis politicum ordinem esse Dei opus, ac lucere in eo Dei sapientiam et bonitatem erga genus humanum, vides et magnitudinem utilitatis. Quid est enim dulcius et pulchrius societate civili, et praesertim honestis et moderatis imperiis, quae ornant religionem, iuvant studia virtutis, sunt praesidio iustis, reprimunt et puniunt petulantiam, libidines, iniurias? Deinde quia personam boni aut mediocris magistratus vides esse custodem tanti muneris, vides et sapientia et virtute praeditum esse, existunt in omnium sanorum hominum mentibus vera reverentia et verus amor erga rem, id est, ordinem politicum, et personam custodem tanti muneris. Ut igitur in liberis erga parentes sit στοργή et vera ardens dilectio, sic in populo sit vera benevolentia erga imperia et magistratus.

Legitima officia sunt omnia honesta opera legibus mandata, ut cum prohibet magistratus caedes, iniurias, libellos famosos, provocationes, monomachias, gestationem armorum, vagas libidines, obscoenas saltationes, helluationes etc. Offendunt Deum contumaces in his rebus dupliciter, et quia

Dei mandata violant, et quia turbant politicum ordinem. Operae militiae intelligantur hae, quas in causis honestis cives suscipiunt, delecti a suis dominis ad communem defensionem in acie, in obsidionibus, in excubiis, et omnibus laboribus huius generis, voco et militiam, forensem administrationem, imo et has nostras scholasticas operas, quae omnes sunt directae ad conservationem honestae societatis, disciplinae et religionis. Et quidem Iohannes Apostolus gravissime nos monet, singula membra Christi caeteris membris defensionem debere, etiamsi vita nostra in discrimen adducenda sit, 1. Ioban. 3. In hoc agnoscimus dilectionem, quod ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Quare Christiani defensionem Christianis contra Turcas et Tyrannos debent, quatenus possunt, et accedunt duces et mediocres exercitus, μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μαχὴ, inquit Euripides.

Tributa voco ordinarias pensiones, et extra ordinarias ordinationes, si tamen probabilis ratio sit cur petantur. Nam cum cives vitam impendere Reipublicae cum opus est, debeant, iustum est eos etiam ad communem defensionem pecunias conferre. Sed ut peccant principes, cum in bellis iniustis obiiciunt cives trucidandos hostibus, ita peccant, cum sine probabilibus causis supra usitatas et ordinarias pensiones cives novis et immoderatis collationibus onerant. Sciant gubernatores se quoque subiectos esse legi divinae, Non furtum facias. Distinctae sunt res principum et civium. Et munita est proprietas divina lege, quare singuli a rebus aliorum abstinere debent, ut infra dicetur. Ideo et Baptista dixit: Non plus quam constitutum est vobis, exigite. Item: Contenti estote stipendiis vestris. Sit igitur modus aliquis horum onerum. Ita pingitur princeps in Daniele, ut Arbor, sub qua multi fructus legunt et pascuntur. Praebeant umbram civibus, id est, sint praesidio iustis, et pabulum concedant, defendant et corpora et res eorum. O magnam duritiem eorum, qui non afficiuntur his populi miseriis, cum vident propter immoderatas expilationes tenuiores cives cum parvis liberis fame contabescere, cum vident alios mediocres ita compilari, ut nec studia, nec Ecclesias fovere possint. His rebus adfici pias mentes summorum et infirmorum iustum est, quare summi sciant non iniustis et immoderatis expilationibus onerandos esse cives, sciant facultates pauperum non profusioni aut rapacitati potentum servire, sed publicae necessitati. Rursus et cives in causa probabili sint officiosi erga dominos, sed modo facultatum, sicut iubet Christus dare eleemosynas, ἐκ τῶν ἐνόντων, id est, pro facultatibus, ex eo quod habemus ac dare possumus.

DE PROMISSIONE ADDITA QUARTO PRAECEPTO.

Universae legi additae sunt promissiones praemiorum, quae reddentur obedientibus, et comminationes poenarum, quibus adficientur contumaces. Quid enim esset lex sine praemiis et poenis? Passim autem hae promissiones et comminationes repetitae sunt, sed ut sint in conspectu, aliquae coniungantur, ut hic primo et secundo praecepto, et quarto expresse additae sunt, tum promissiones, tum comminationes, quas sciamus non esse inanes voces, sed vera Dei oracula, quibus respondent eventus. Nam etsi Ecclesia est subiecta cruci, et causae magnae sunt huius mirandi consilii Dei, tamen in gubernatione politica Deus est custos disciplinae, ac atrocia scelera sine ulla dubitatione corporalibus poenis punit, ut videmus homicidas, etiam cum latuerunt, ac evasisse iudicia putantur, tamen mirabiliter ad supplicium retrahi. Haec manifesta experientia fateri coëgit Ethnicos saniores, Deo curae esse hominum facta, displicere Deo iniustam crudelitatem, et puniri eam divinitus. Idem iudicatum est de periurio, et de incestis libidinibus, et de his, qui parentes contumeliis adfecerunt, ac hodie usitato proverbio dicitur, Tragico genere mortis moriturum esse, qui parentes contumelia adficit. Ipsi etiam meminerimus multa exempla.

Ut igitur supra monui, promissiones et comminationes additas esse, ut ad fidem et timorem Dei exuscitemur, ita et in officiis huius praecepti, Deum intueamur mandantem, et approbantem haec officia, et vindicem contumaciae. Multos ignaros Dei, ipsa tamen naturae bonitas invitat, ut foveant liberos, sint officiosi erga parentes et cognatos, iuvent communem societatem civium. Ac nisi hanc virtutem et στοργὴν Deus in natura hominum foveret, nulla esset politia. Sed nos, qui doctrinam coelestem audimus, sciamus, non solum hac naturali inclinatione haec officia praestanda esse, sed accedere oportere timorem Dei, qui impellat, ut perpetuo et ardenter ea praestemus, hoc consilio, ut Deo nostram obedientiam declaremus. Colligamus ergo sententias et exempla, quae ostendunt poenas huius vitae, ut Cham maledicitur a patre. Absolon et Siba, qui seditiones moverunt contra Davidem, interficiuntur. Maxentius, qui bonum principem, filium Constantini, Constantem perfidiose et crudeliter interfecit, sibi ipsi postea mortem conscivit. Gratianum modestum principem interfecit Maximus, qui postea a Theodosio captus, supplicio adfectus est. Denique longissima series esset, si omnium seditiosorum exitus recensere vellemus. Sed tamen utile est, haec exempla in historiis considerare, ut iudicium Dei metuere discamus, congruunt enim

exempla ad hanc vocem Christi: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Accipit enim gladium is, qui non datum a legibus privata ambitione aut iracundia stringit. Et Rom. 13. dicitur, Qui resistunt potestati, poenam sibi acquirent. Et Proverb. 24. Time Deum, fili mi, et regem, et seditiosis nec te adiungas, quia subito peribunt.

Nec tamen satis est de poenis corporalibus concionari, sed addenda est doctrina de aeternis poenis. Ideo Paulus utrasque complectitur, cum ait: Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, poenas, sed etiam propter conscientiam. Testatur pollui conscientiam contumacia, id est, excuti gratiam, Spiritum sanctum, et fidem, et amittere haereditatem aeternae salutis, ac fieri reum irae Dei, ac ruere in aeternas poenas, nisi lapsus iterum ad Deum conversus fuerit. Polluta conscientia est a Deo avulsa, non invocat, sed fugit Deum. Quid potuit igitur a Paulo tristius hoc loco dici? Quae est maior miseria, quam esse avulsum a Deo, non invocare Deum, non regi, non iuvari a Deo, ac denique ruere in aeternum exitium? Harum poenarum metus in animis iuvenum et imperitorum excitandus est, ut hoc quasi freno regantur, et temerarios impetus coherceant, assuefaciant se ad amandam tuendamque disciplinam, sint morigeri parentibus, obtemperent politico ordini. Nec dubitent divinitus puniri petulantiam et disciplinae contemptum.

Dixi primum de poenis, quia magis moventur animi mentione poenarum, et quaedam incurrunt in oculos. Conferatur et doctrina de praemiis. Haec obscurior est, et non intelligitur, nisi a piis et exercentibus fidem in his corporalibus promissionibus, quae quidem ideo Deus addidit praeceptis, ut in quotidiana voce sit occasio exercendae fidei et invocationis, ut quia dictum est: Date, et dabitur vobis, iuvat paterfamilias pauperem vicinum, et petiturus vicissim victum et suarum facultatum defensionem, primum in invocatione quaerit fide remissionem peccatorum, postea statuit vere et hanc corporalem vita , hanc suam sedem, domum, politiam, suos agellos, prata, vineas, Deo curae esse, Tertio petit victum, et harum rerum conservationem. Ita promissiones corporales de multis rebus pios admonent, quod cum in hoc praecepto dicitur, transferatur ad omnia. Duo fratres sunt in eadem familia, Esau et Iacob. Excruciat Esau parentis ductis uxoribus impiis, quae contumeliose socerum et socrum tractabant, Imperat et ipse superbius in paterna domo, expulso fratre, cui insidiabatur. Nec metuit poenas, nec praemia divina curat. Econtra vero Iacob et parentes veneratur, et fratrem amat, metuit enim iudicium Dei et poenas, deinde intelligit etiam praemia esse proposita, facit hoc officium, ut bona conscientia Deum invocare possit, deinde agnoscit haec corporis bona etiam Deo curae esse, et petit se defendi ac iuvari. Ita fidem et invocationem exercet, dum studet omni officio lenire moestitiam parentum, et cedit fratri. Ornatur ergo ingentibus praemiis a Deo, eruditur mirandis testimoniis, defenditur inter hostes, locupletatur, servatur, ut senex videat florentem filium Ioseph.

Ionathas magno cum dolore vidit patris sui Saulis iniustum furorem, et saepe gravissime reprehendit. Sed discernit ordinem divinum et vitium, quod diabolus admiscuerat. Non adiuvat patrem molientem exitium Davidi, sed servit naturae ordini, diligit eum, et ingenti dolore afficitur propter scelus patris, deinde servit regno, id est, tuetur politicum ordinem, et sustinet totam molem verae gubernationis. Nam hic iuvenis verius rex fuit, quam pater. Cur igitur una cum patre interficitur, cum hic promittatur longaevitas illis, qui colunt parentes? Respondeo: Ingenti gloria fuit antea a Deo ornatus, accepit igitur pro virtute etiam in hac virtute praemia. Et quanquam ipse singulari Dei consilio tollitur e medio, ne de regno certamina incidant inter Davidem et ipsum, tamen eius posteritas mansit ac floruit gloria tanta, ut fortissimi viri a Ionatha orti recenseantur usque ad tempora exilii Babylonici, cum quidem reliqua tota posteritas Saul statim post ipsum deleta sit. Haec series posteritatis Ionathae annotata est I. Paralip. 8. Accessit igitur praemiis Ionathae et haec conservatio diuturna, et ut sic dicam, longaeva posteritas, annorum fere quingentorum. Haec et similia exempla iuventus consideret, et discat vere Deo curae esse etiam corporis bona, et dari ea pro officiis disciplinae erga parentes, magistratus, praeceptores, consideret quanti sint labores, quantae curae educationis, quis verus amor parentum erga liberos, quanta beneficia sint institutionis. Pro his tantis rebus agnoscat se debere gratiam. Deus intellectum gratitudinis indidit humano generi, et homines inter se obligat ad referendam gratiam, quam ob causam? ut discamus in his communibus exemplis etiam ipsi summo conditori, qui et corporis bonis, et aeterna gloria nos ornat, gratiam deberi.

Ut igitur excitentur mentes ad gratitudinem Deo praestandam, assuefaciendae sunt ad hanc virtutem, tanquam his primis rudimentis. Quomodo mens aget gratias Deo aeterno, quod naturam condidit, quod foecundat quotannis terram, ut nos alat, quod condidit genus humanum ad vitam aeternam, et Filium misit, ut restitueret vitam aeternam, quod tradidit certam doctrinam Legis et Evangelii, quod

Ecclesias et politias constituit, si tanta est durities καὶ ἀστοργία, ut nec matris pericula et dolores, quos in partu sustinuit, nec assiduos labores educationis, quos ambo parentes sustinuerunt, magni aestimet, nec propter haec officia parentibus se subiiciat? Sunt tales naturae multae, quarum feritas detestanda est, et commonefaciendi sunt pueri, ut hanc ipsam ob causam discant intelligere et colere gratitudinem debitam hominibus, ut exicentur ad gratitudinem Deo praestandam. Deinde, quia aetas tenera ac rudis nondum videt, quanti sint labores gubernationis, horum etiam magnitudo aliquo modo eis declaretur, ut discant se gratiam et magistratibus debere. Ac omnino quoties fit mentio gratitudinis, de quarto praecepto Decalogi cogitent, sciant eam contineri in hoc praecepto, et flagitari divinitus, ac Deo placere, sciant puniri divinitus ingratos, ut Salomon in Proverbiis inquit: Non recedet malum a domo ingrati. Semper autem accedat et haec cogitatio: Ideo hominibus inditus est intellectus gratitudinis, ideo haec communia officia nobis praecipiuntur, ut discamus Deo deberi gratitudinem. Est autem gratitudo virtus seu iustitia quaedam, qua voluntas se obligat illi, a quo beneficium accepit, ad mutua officia debita proportione, ad diligendum eum, a quo beneficium proficiscitur ad ornandum eum aut tuendum, ut narratur Marci cuiusdam, qui praeturam gesserat, et Bruti partes secutus fuerat, insignis gratitudo. Hic Marcus cum post pugnam factam in campis Philippicis captus esset, ac inter servos venditus, emptus est a quodam Barbula, qui fuit amicus Antonii. Etsi autem Marcus erat ignotus Barbulae, tamen ingenii vis, prudentia, moderatio morum digna viro nobili elucebat. Quare eum Barbula in comitatu secum duxit, non tam ut servum, quam ut amicum. Forte igitur, cum tandem Romam eum secum duxisset, ibi agnoscitur Marcus. Agnitum Barbula propter virtutem servare cupit. Quare ei per Agrippam ab Augusto veniam impetrat, qua impetrata, non solum libertatem ei reddit, sed ipsum quoque restituit Reipublicae et honoribus, venit enim Marcus in Augusti notitiam et familiaritatem. Audisti beneficium Barbulae. Nunc gratitudinem Marci cognosce. Post Actiacam pugnam superato Antonio mirabili casu Barbula inter victos venditus, emitur a Marci procuratore. Cum autem aliquanto post ad Marcum adductus esset, mox agnoscitur. Memor igitur Marcus accepti beneficii, exponit Augusto quod acciderit, ac ostendit se necessario deprecari pro Barbula, a quo antea servatus sit. Laudat Augustus Marci officium, et propter virtutis admirationem dat veniam Barbulae. Iam Marcus vicissim libertatem reddit Barbulae, eumque Reipublicae et honoribus restituit. Rara sunt haec exempla, et multo plures sunt ingrati. Nec raro accidit hic, quod in Tragoedia quispiam quaeritur: Men', servasse, ut essent qui me perderent? Sed quia rara virtus est gratitudo, ideo mediocri diligentia rudis aetas assuefacienda est, ut eam intelligere et colere discat.

Hactenus de poenis contumaciae inferiorum et praemiis obedientiae dixi. Sciant autem et gubernatores ad se quoque minas et promissionem pertinere. Parentum negligentiam graviter punire testatur exemplum sacerdotis Eli. Imo magna pars calamitatum humanarum oritur a parentum et gubernatorum negligentia, ac ne sim prolixior, unam hanc sententiam adscribam, quae semper in conspectu esse parentibus et praeceptoribus adolescentiae debet. Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. Si quis laeserit unum de parvulis istis in me credentibus, melius ei esset mergi eum in mare etc. Magnum et atrox scelus est vel negligentia frenos disciplinae iuventuti laxare, vel prava institutione, aut malis exemplis eam corrumpere. Haec quam sit usitata in vita, nimis manifestum est. Cum parentes aut praeceptores sunt Epicurei, non assuefaciunt suos ad agnitionem et timorem Dei, interdum alunt et confirmant malas opiniones. Haec scelera puniri divinitus non dubium est, sicut Deus inquit: Contemnentes me, reddam contemptos.

Econtra vero pios ac vigilantes parentes, praeceptores, et magistratus multa docet promissio de exercenda fide, eosque magnopere confirmat. Magnum, difficile, aerumnosum et periculosum onus sustinent magistratus omnes, in quo gerendo, experientia docuit magnos et mediocres reges ac duces, gubernationem rem esse supra hominum sapientiam et vires positam, ac Dei auxilio indigere, qua de re extant innumerae sententiae, etiam in Ethnicis scriptoribus, sed nos credamus gravissimo testimonio Baptistae: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi ei sit datum desuper.

Exercent igitur pii Magistratus fidem, cum petunt et expectant a Deo consilium et auxilium in tota gubernatione. Ac norunt pii hoc exercitium, et sciunt hanc invocationem non esse irritam, Sicut pulcherrimum exemplum extat 2. Paral. 20. Cum ignoramus, quid agendum sit, hoc unum restat, ut oculos nostros ad te dirigamus. Saepe autem accidit, ut negotia incidant, quae consiliis humanis inextricabilia sunt. In his cum facere officium suum magistratus student, et fide auxilium petunt, sentiunt se iuvari a Deo, etiamsi eventus non prorsus nostris cogitationibus respondent, ut supra de Ionatha dictum est. Haec est vera politica sapien-

tia, supra Aristotelicam, et supra consilia sapientum, qui Deum non vere invocant, sed decurrunt ad varia et inconcessa praesidia. Haec etiamsi non intelligit rudis aetas, tamen monenda est, ut discant haec duo, faciendum esse officium, nec admiscenda esse mala consilia, et petendam, ac forti, magno et constanti animo expectandam esse defensionem a Deo, sicut Psalmus 36. ait: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Item, Subditus esto Deo, et ora eum. Item, Expecta Deum, et custodi viam eius. O salutarem sapientiam, quae et eventus parit foelices, et in periculis magnam consolationem et constantiam consiliorum adfert.

DE REVERENTIA ET OBEDIENTIA DEBITA MINISTRIS EVANGELII.

Etsi in tertio praecepto dictum est de ministerio Evangelii conservando, tamen maxime probandum est, quod in hoc quarto praecepto docent de obedientia et reverentia praestanda pastoribus Ecclesiarum recte docentibus. Sed semper tenenda est aeterna et immutabilis regula: Fugite idololatriam. Item: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Quare necesse est vitare idola, necesse est discedere ab iis, qui idola et impias opiniones defendunt, etiamsi vocantur ordinaria potestas, ut auditores Baptistae et Christi oportuit dissentire a Pharisaeis damnantibus Baptistae et Christi doctrinam. Etsi autem dolendum est, fieri magnas distractiones ac discordias, quae pariunt alia multa mala, caedes, bella, mutationes imperiorum, tamen mandatum Dei, Fugite idololatriam, est immutabile. Recte igitur faciunt, qui seiungunt se a defensoribus idolorum et impiarum opinionum, nec sunt suffragatores in defensione idolorum, libidinum et parricidiorum. Hoc saepe dictum est, et hic dici locus postulat. Deinde de Pastoribus recte docentibus Evangelium, et non defendentibus aliquos impios errores, hanc doctrinam necesse est infixam esse omnium animis, deberi obedientiam ipsi ministerio Evangelii, sicut dicit aeternus Pater de Filio: Hunc audite. Et Filius ait de ministerio: Qui vos audit, me audit. Quare execrandus est furor maximae multitudinis hominum, quae contemnit Evangelium et ministerium Evangelii. Debetur et ipsis pastoribus recte docentibus obedientia in his, quae ad ministerium pertinent, id est, in Evangelio, et vera iurisdictione tradita in Evangelio. Item dilectio, reverentia, victus, defensio. Haec aliquoties praecipit Paulus, ut 1. Thess. ultimo: Eos qui praesunt in verbo, diligite excellenter propter ministerium eorum, et pacem erga eos tuemini. Et ad Hebraeos ultimo: Obedite doctoribus vestris et obtemperantes eis, ut cum gaudio et non gementes suo munere fungi possint. Singularis doctrina hoc praecepto continetur, cum ait, ut fungi possint suo munere non gementes. Nam cum per sese omnis gubernatio, maxime vero Ecclesiastica difficillima sit, et plena aerumnarum, valde cumulantur aerumnae, cum ad externa impedimenta accedit domestica contumacia, Econtra vero cum domi concordia est, facilius sustineri certamina cum externis hostibus possunt. Ideo iubet auditores, ut suo obsequio leniant gubernatoribus caeteras difficultates, et induant eosdem affectus, ostendant se publicam tranquillitatem privatis negotiis anteferre, quod nisi fiat, cumulantur impedimenta.

Reverentia autem, quam nominavi, est agnoscere eos divino ministerio fungi, ac nos ipsos subiicere huic ministerio, nec maledicere verae doctrinae, nec calumniose depravare recte dicta et recte facta piorum pastorum. Postremo et moribus eorum infirmitatem aliquam condonare, quae tamen non coniuncta est cum impietate, nec manifestam turpitudinem continet. Id significat Christus, cum lavat pedes Apostolorum, et exemplum eos imitari iubet. Tunc lavas pedes sacerdotum, cum sordes eorum placide detergis, et tua diligentia offensiones sanas, non exulceras. Contrarium faciunt homines prophani, nec solum acerbe exagitant levia vitia aut errata, sed etiam virulentis calumniis recte dicta et recte facta depravant, et insidiose, aucupantur et captant aliqua, quae in speciem reprehendi et traduci possunt. Haec sycophantia non est leve peccatum, quare se quisque adsuefaciat, ut recte docentes ex animo veneretur, et si quam habent imbecillitatem, sine impietate, et sine manifesta turpitudine, cogitent sese etiam vitia habere, quorum veniam ita sint impetraturi, si et aliis ipsi ignoscant, ut ait Christus: Remittite, et remittetur vobis. Nota est vetus fabula de duabus manticis. Sua vitia homines gestant in mantica, quae pendet in tergo, aliena gestant in contraria. Cur tui pastoris morbos vides, tuos negligis? Haec iudiciorum perversitas gignit postea alias pestes, livorem et odia, quae invocationem impediunt. Et interdum perniciosa dissidia sequuntur in Ecclesiis, quae recte constitutae fuerant. His malis cum occasionem praebet iudicii tui perversitas de recte docentibus, scias ad te pertinere tristissimam concionem Christi: Vae homini, per quem exoritur scandalum. Caeterum longior est doctrina de ritibus, quos Episcopi seu pastores instituunt, seu ut vulgo dicimus, de traditionibus humanis. In Ecclesiis recte institutis, ubi ritus serviunt ministerio Evangelii, quod cum Deus publicum esse velit, ordine quodam administrandum est, teneatur regula,

quod propter conservationem ministerii et bonum exemplum servandi sint illi ritus, quia non pugnant cum Evangelio. Sed quod extra casum scandali, violatio non sit peccatum. Sed ritus impii fugiendi sunt, invocatio mortuorum, oblatio pro vivis et mortuis in Missa, et aliae superstitiones. Et irrita ac nulla est autoritas legum, quae pugnant cum mandatis divinis, ut legis de coelibatu. Sed haec alias copiosius dicuntur.

DE QUINTO PRAECEPTO.

Postquam obedientia constituta est in quarto praecepto, reliqua deinde praecepta tradunt ordine vera officia debita proximo, scilicet ne corpori, coniugi, fortunis alterius noceamus. Item, ut simus veraces, servantes pacta etc.

Quae sunt peccata pugnantia cum hoc praecepto?

Duplicia sunt, exteriora et interiora. Exteriora sunt, iniuste corpus alterius laedere externo aliquo facto. Item iuvare aut approbare tales iniurias. Item non defendere eos, quos tueri debuimus. Hic gradus habet poenam corporalem. Deus enim severissime mandat, ut homicidia puniantur. Nec mandat solum, sed ipse est custos huius legis, nec relinquit impunitos homicidas, sicut testantur haec verba: Vox sanguinis fratris tui clamitat etc. Et Christus inquit: Qui gladium acceperit, scilicet non datum a magistratu et legibus, gladio peribit. Quare etiamsi quis effugerit magistratuum manus aliquamdiu, tamen sciat se Dei manum effugere non posse, qui mirabiliter retrahit sontes, etiam ad corporales poenas. Ita Deus sua ope hanc legem conservat, ut retineat pacem in societate humana et ostendat, se hoc exemplo puniturum esse peccata. Haec prodest infigi intimis sensibus pectoris, et ut timor Dei coherceat homines, et agnoscamus praesentiam et iudicium Dei. Ac exempla privata et publica testantur Deum esse vindicem, ut neces tyrannorum, poenae moventium iniusta bella, item crudeliter imperantium. Sed interiora peccata sunt cupiditas nocendi in animo, odium, malevolentia, ἀσιοργία, negligentia in defensione, quia lex Dei requirit perfectam obedientiam, ideo non solum praecipit, ne manu noceamus, sed etiam ne cor nocere cupiat. Sic interpretatur legem Christus Matth. 5. et requirit perfectam obedientiam.

Quae sunt bona opera huius praecepti?

Duplicia sunt, politica et spiritualia. Politicum est, abstinere ab externa caede, non iuvare, non approbare iniurias corporum, defendere eos, quos tueri debemus. Haec est politica iustitia, quae existere potest etiam in impiis, et requirit eam Deus, ac retinet pacis publicae causa, et ornat corporalibus praemiis, ut iusta bella gerentes defendit, ut Romanis dedit Imperium. Interiora opera sunt in timore Dei, et fide et agnitione Christi, vel obedire Deo in hoc praecepto vacare odio, malevolentia, cupiditate nocendi, dolere vicem eorum, qui iniuriis afficiuntur, habere voluntatem defendendi et iuvandi alios, esse placabilem, non esse tenacem simultatum aut offensionum, non esse cupidum vindictae.

Estne licita vindicta?

Vindicta mandata Magistratibus, est opus, quod fit autoritate et mandato Dei iuxta leges. Ideo proprie et vere pertinet ad hanc sententiam: Mihi vindicta, et ego retribuam, id est, Dei est vindicta, quam Magistratus legitime exercet. Multae autem partes sunt vindictae legitimae, iudicia, bella, defensio legitima adversus latrones, poena legitima latronum et tyrannorum. Haec concessa sunt etiam Christianis, quia Magistratus est res bona, et ordinatio divina, qua licet uti Christianis, Rom. 13. Sic fuerunt in imperiis Ioseph, David, Centurio, et multi sancti principes et Reges. Sed privata vindicta prohibita est, sicut Paulus inquit: Non ulciscentes vosmet ipsos. Est autem privata vindicta, quae fit sine autoritate Magistratus. Itaque etiam Magistratus privatam vindictam exercet, cum sine legum autoritate, privata cupiditate innocentes laedit.

Quae virtutes pertinent ad hoc praeceptum?

Dilectio proximi, iustitia in non laedendo, beneficentia in defendendo, mansuetudo imperans irae, placabilitas, clementia et ἐπιείκεια in mitiganda acer-

bitate imperiorum, misericordia, φιλοστοργία, quae est affici alienis bonis et malis. Vitia opposita sunt, odium, malevolentia, iniustitia, cupiditas nocendi, cupiditas vindictae, desertio eorum, quos defendi oportuit, crudelitas, quae pugnat cum ἐπιείκεια, implacabilitas, ἀστοργία, non esse misericordiam. Gaudere in alienis malis. Non affici alienis bonis aut malis.

Peccatne David, cum ait: Perfecto odio oderam eos?

Non peccat. Nam irasci propter gloriam Dei, et amorem iustitiae, est virtus, et quidem peculiaris et excellens motus inest sanctis viris, inflammatis studio defendendae gloriae Dei, aut defendendae iustitiae, aut ira adversus impietatem et turpitudinem. Hic impetus placet Deo, sicut Phines propter zelum promittitur sacerdotium. Et 4. Reg. laudatur Iehu, qui inquit: Vide zelum meum pro Domino. Et alibi dicitur: Zelus domus tuae comedit me, id est, exarsi magno impetu defendendae domus Dei. Hoc affectu Helias, Helisaeus occiderunt impios, et Prophetae maledicunt impiis, ut in Psalmis apparet. In heroicis viris est similis quidam impetus defendendae iustitiae, puniendae turpitudinis, tuendae Reipublicae etc. Hunc affectum Philosophi vocaverunt Nemesin. Et quanquam talis ira est heroica, nec simulari potest, sed est peculiare donum Dei, tamen Magistratus, quantum fieri potest, talem zelum et talem iram imitari debet. Sed tunc peccatum est irasci, cum privata cupiditate incitati irascimur, videlicet, non principaliter propter gloriam Dei, aut amorem iustitiae, aut odium turpitudinis, sed quia nobis commoda nostra eripiuntur, et interturbantur voluptates. In talibus privatis causis irasci, odisse alios, et incendi cupiditate vindictae, sunt peccata contra praeceptum: Diliges proximum sicut te ipsum. Et Christus Matth. 5. refert ad hoc praeceptum, Non occides. Item iubet inimicos diligi, et prohibet privatam vindictam.

Atque hic cavendum est, ne privatis affectibus atque odiis praetexatur species zeli, ut hypocritae et tyranni saepe faciunt. Postremo in hoc praecepto considerentur comminationes et promissiones. Comminationes aliquas supra recensui. Homicidia haud dubie punit Deus etiam corporalibus poenis, sicut ait Christus: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de Abel dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Econtra proponamus nobis etiam promissiones, ut ad clementiam et cohibendam cupiditatem vindictae nos invitent. Christus inquit: Beati mites, quia possidebunt terram. Item, Remittite et remittetur vobis. Et Ecclesiastici 28. Adversus ulciscentem Deus exercebit vindictam, et peccata illius servabit. Item, Remitte proximo, qui tibi nocuit, et tunc deprecanti tibi remittentur peccata. Inprimis autem in Republica necessaria virtus est cohibere cupiditatem vindictae, quia ibi nisi interdum dissimulemus iniurias, existunt ingentes motus. Hic condonandae sunt iniuriae communi tranquillitati, sicut docet praeceptum, Dilectio est vinculum integritatis, id est, ne dissolvatur Ecclesia. Valde laudatur Graecum illud praeceptum, μὴ μνησικακεῖν.

Quomodo fit hoc praeceptum, et quomodo placet Deo, et fit cultus Dei?

Omnia praecepta referenda sunt ad primum. Nam hoc fine omnia fieri debent, ut in iis officiis Deo obediamus. Ita igitur fit hoc praeceptum, cum prius fide statuimus, nos propter Christum placere Deo, et postea incipimus obedire Deo in his praeceptis. Timemus Deum, nec volumus eum offendere. Ideo abstinemus ab iniusta violentia, repugnamus iracundiae, reprimimus odium. Et haec exercitia non sunt facilia. Ideo pii in hoc certamine adiuvantur a Spiritu sancto. Haec inchoata obedientia, etsi procul abest a perfectione, tamen propterea, quia sumus in Christo, placet Deo, sicut et Psalmus concionatur piis: Irascimini, et nolite peccare, id est, resistite irae. Fit autem cultus Dei propter finem, quia hoc fine praestatur, ut Deo obediamus in his officiis. Item propter ipsum retineamus Ecclesiae tranquillitatem.

SEXTUM PRAECEPTUM.

Non moechaberis.

Quid praecipit sextum praeceptum?

Approbat coniugia, coniugalem consuetudinem. Deinde prohibet omnes vagos concubitus, et prohibet non tantum externa facta, sed etiam affectus impuros et incendia animorum, sicut Christus interpretatur: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est.

Recita comminationes additas huic praecepto.

Non solum est imbecillitas magna in animis hominum, qua fit, ut facile inflammetur concupiscentia, sed etiam horribilis caecitas est, quae facit, ut extennent homines hoc peccatum, nec videant iram Dei adversus hoc peccatum, nec moveantur minis aeternarum poenarum aut corporalium poenarum. Nam maximae calamitates humanae plerumque sunt poenae idololatriae, tyrannidis et libidinum. Ita in causis diluvii recensentur libidines. Sodoma conflagrarunt propter nefariam impuritatem. Cives Sichem interfecti sunt propter stupratam filiam Iacob. Deinde in deserto propter libidines una die viginti tria millia hominum perierunt: Postea fere tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Levitae uxorem. Filii Heli propter adulteria perierunt. Davidis adulterium magnas ipsi et regno calamitates attulit. Ostendunt poenas huiusmodi flagitiorum etiam aliarum gentium historiae, ut Troia propter raptam Helenam eversa est. Romae tota Respublica mutata est propter Lucretiam vi compressam. Deinde propter Appii scelus, qui Virginii filiam rapere conatus est, iterum mutata est Respublica. Plutarchus narrat duas puellas a Laconicis iuvenibus per vim stupratas deinde interfectas esse. Narrat et alia quaedam facinora, sed in pugna Leuctrica Lacedemonii victi sunt ad sepulchra illarum, puellarum, ut appareret Deum ulcisci illa stupra. Pausanias Spartanus propter raptam et interfectam puellam, postea fame necatus est. Miletus, Sybaris, Athenae, et aliae Graeciae civitates, denique Roma propter libidines eversae sunt. Constantinopolim aiunt etiam ante captivitatem horribilibus sceleribus pollutam fuisse.

Has Historias attigi breviter, ut similia exempla observentur vetera et recentia, eaque sciamus non casu accidere, sed poenas esse divinitus irrogatas pro talibus flagitiis. Ac certissimum signum est impendentis exitii imperiis et civitatibus, quando ad ipsa vitia accedit impunitas et contemptus peccati. Sicut Esai. 3. dicitur: Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt. Cum talis est licentia, sciamus non procul esse poenas. 1. Corinth. 6. Fornicatores, adulteri, etc. non erunt haeredes regni Dei. Et sequitur deinde longa concio, Ephes. 5. Omnis fornicatio et impudicitia non nominetur inter vos. Galat. 5. Opera carnis sunt adulterium etc qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Coloss. 3. Fornicatio et impudicitia etc. propter quae venit ira Dei super inobedientes. 1. Thess. 4. Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis a fornicatione. Hebr. 13. Fornicatores et adulteros iudicabit Deus. Hebr. 12. Sequimini sanctificationem, sine qua nemo videbit Dominum. 1. Petr. 2. antefert caeteris peccatis libidines, et significat praecipue propter libidines puniri homines privatim et publice. Iniustos ad diem iudicii reservat, maxime vero ambulantes in concupiscentia immunda iuxta carnem. Itaque exempla testantur publicis calamitatibus saepe punitas esse libidines. Ephes. 4. docet caecitatem et securitatem comitari libidines, cum ait: Qui cum dedoluerunt, se tradunt immunditiae. Et Oseas monet caecitatem poenam esse libidinum. Ebrietas et fornicatio auferunt cor. Sunt autem gradus libidinum, qui et poenarum gradus habent exemplis sacrarum literarum et legibus. Nam imperia debent publicis poenis haec flagitia punire, sicut testatur haec sententia: Lex posita est iniustis. Hic autem intelligamus etiam vicina vitia prohiberi, quae alunt libidines, qualia sunt, intemperantia, otium, luxus, sicut ait Ezechiel capite 16. Haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis et abundantia, et otiam, et manum egenti non porrigebant. Ideo fecerunt abominationes, propter quas delevi eos. Ut autem Propheta coniungit vicina peccata, ita hic prohibentur omnia vitia, quae alunt libidines, ut intemperantia, otium, ebrietas.

Quomodo fit hoc praeceptum?

Ita fit, cum agnoscimus immunditiem nostram, et fide statuimus nobis Deum propitium esse propter Christum, et incipimus Deo obedire in hoc praecepto sic, ut in timore Dei et propter Deum repugnemus affectibus, qui ad libidines incitant, et abstineamus a scortatione, adulteriis et incestis libidinibus, sed coniugio pie utantur illi, quibus est opus, iuxta illud Pauli: Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam. Nam coniugalem consuetudinem approbat Deus, sicut Christus clare docet Matth. 19. Et Paulus 1. Corinth. 7. et 1. Timoth. 2. Haec inchoata obedientia placet Deo, propterea, quia sumus filii, et habet ingentia praemia, sicut testatur exemplum Ioseph. Et quanquam haerent in nobis vitiosi affectus, tamen condonantur iis, qui repugnant et credunt in Christum.

DIC SEPTIMUM PRAECEPTUM.

Non furtum facias.

Quid praecipit?

Vitae opus est rerum usu, possessione, et contractibus. Ideo iam docet etiam in his rebus Deo servire, et primum, quia vetat furta, sequitur, quod liceat suum cuique tenere. Quare rerum distinctionem et dominia approbat. Estque doctrina utilis conscientiae, intelligere, quod Deo placeat haec externa et politica ordinatio distinctionis dominiorum. Econtra prohibet omnia vitia, pugnantia cum hac ordinatione, furta, rapinas, iniustos contractus, et quascunque expilationes privatas et publicas, mendicitatem non necessariam, negligentiam in curandis facultatibus nobis commissis, prodigalitatem et profusiones et sumptus inutiles, corruptelas, quibus emuntur patrocinia in malis causis, mercedes iniustas, imposturas in mercibus etc. Nec tantum exteriora facta prohibentur, sed etiam interiora vitia, avaritia, et omnis cupiditas iniusti lucri et πλεονεκτημάτων, tenacitas in dandis necessariis eleemosynis, in iuvanda Ecclesia et Republica postremo et naturalis concupiscentia repugnans huic praecepto. Haeret enim in animis hominum diffidentia, qua fit, ut non expectent homines victum et caetera commoda vitae a Deo. Inde oritur sollicitudo de victu et fortunis, quae impellit homines, ut appetant aliena, ut insidientur alieno quoquo modo queant. Itaque accusat et hoc praeceptum omnes homines, et erumpit concupiscentia adeo, ut mundus plenus sit furtorum, id est, iniustorum aucupiorum, iniustorum contractuum, rapacitatis et similium vitiorum.

Quomodo fit hoc praeceptum?

Cum agnoscimus nostram infirmitatem, et fide credimus nobis propter Christum remitti peccata, fit hoc praeceptum, cum inchoatur obedientia, videlicet, cum petimus et expectavimus ex Deo victum et fortunas, et simul iuxta mandatum Dei laboramus, et iuste parto utimur, et propter timorem Dei cavemus illicitos modos quaerendi res. Item damus de nostro necessarias eleemosynas propter mandatum Dei, iuvamus quantum possumus de nostro Ecclesiam, videlicet ministros Evangelii, et studia. Item, Rempublicam. Hic magna consolatio est piis, intelligere, quod haec obedientia Deo placeat, et quod haec ipsa oeconomica officia, id est, diligentia parandi facultates, et legitimus usus earum, sunt cultus Dei.

Licetne Christianis tenere proprium et esse divites?

Licet tenere proprium, et habere divitias, sicut multae sententiae testantur. Paulus ad Timotheum ait: Praecipe divitibus, ne superbiant etc. Non igitur prohibet esse divites. Et in genere tenenda est regula, quod Evangelium non aboleat politicas ordinationes. Pertinet autem et distinctio dominiorum ad politicas ordinationes. Item Evangelium vocat ad Christum Reges et Principes, manentes in imperiis. Licet igitur esse divites. Sed regula Salomonis tenenda est, qui ait: Fontes tui deriventur foras, et tu dominus eorum esto. Hac figura pingit et proprietatem rerum et eleemosynas. Ut enim aliis concedimus, ut ex fonte nostro hauriant aquas, aut deducant rivulos, ita tamen, ut nos fontis dominium retineamus, sic ex fructibus nostri patrimonii congerendae sunt eleemosynae, ita tamen ut fundus nobis sit salvus, seu ut sit incolume patrimonium. Nam et Reipublicae causa opus est esse multos divites. Igitur utraque virtus necessaria est, parsimonia in conservandis patrimoniis et liberalitas in largiendis eleemosynis, sed necessariis.

Quae sunt eleemosynae necessariae?

Tria genera sunt praecipue necessaria. Primum, conferre aliquid ad ministerii Ecclesiastici conservationem. Hoc officium saepe praecipitur in scripturis. Christus ait: Dignus est mercede is, qui laborat. Et Paulus ad Corinthios, Sic et Dominus ordinavit, ut ii, qui annuntiant Evangelium, vivant ex Evangelio. Et addit magnas promissiones Christus in Evangelio: Qui dederit minimo in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Et extant passim in Prophetis promissiones amplissimae, ut Haggaei primo, et Malachiae primo. Sciant ergo pii hoc genus eleemosynarum ita necessarium esse, ut qui non praestant pro sua vocatione et facultatibus, et pro suo loco, graviter offendunt Deum. Principes et Respublicae debent tueri pios ministros, et curare eis victum. Debent et studia excitare suo sumptu. Sic et privati debent liberaliter conferre ad alendos ministros Ecclesiasticos et studiosos. Debent et aliis officiis eos iuvare.

Secundum genus est, largiri egenis cognatis,

ut parentibus, fratribus, liberis, aut aliis propinquis, quia in dandis eleemosynis primum est habenda ratio propinquorum, sicut Paulus inquit ad Timotheum: Discant primum exercere pietatem erga propriam familiam, et vicem reddere parentibus. Ita si quis suos, et maxime domesticos, non curat, deterior est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus, et naturali φιλοστοργίᾳ, et propter illud commune praeceptum de iuvandis egentibus. Saepe autem existit naturalis φιλοστοργία, etiam in ignaris Evangelii.

Tertium genus est iuvare alienos, quos tamen praesens occasio nobis commendat, scilicet, quia nobiscum vivunt, et impediti valetudine aut aliis veris difficultatibus, non possunt sine alieno auxilio vivere. Hos petentes non iuvare pro modo facultatum est peccatum, sicut 1. Iohan. 3. scribitur: Qui habet facultates, et videt fratrem suum egere, et claudit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ita et lex Moisi, cum praecipit, ut singulae civitates suos egenos sustentent, significat praesentibus talia beneficia deberi. Nam in Deuteronomio cap. 15. nominatim fit mentio illorum, qui nobiscum habitant. Sic enim inquit textus: Si unus de fratribus tuis qui moratur intra portas civitatis tuae, in terra, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est, ad paupertatem redactus fuerit, non obdurabis cor tuum etc. Et deinde: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae. Idcirco ego praecipio tibi, ut aperias manum fratri egenti et pauperi, qui tecum habitat in terra. Constituit et Paulus modum eleemosynis, 2. Corinth. 8. ut ita largiamur, ne nobis sit tribulatio, aliis remissio, sed ut ex aequalitate pro praesenti occasione, ex eo quod nobis superest, consulatur illorum inopiae. Hic cum nominatim dicat, ex eo quod superest, vult, ut largiamur de fructibus patrimonii, nec tollit discrimina divitum et pauperum. Non enim tollit distinctionem dominiorum, et politicas ordinationes. Nam et paulo ante praefatus est, se de voluntaria collatione loqui, non imperare ut discedant a facultatibus. Ergo aequalitas intelligenda est non Arithmetica, sed Geometrica, id est, ut ratione fiant aequales divites et inopes, videlicet, ut quo quisque ditior est, eo sit liberalior. Item, ut divites benigne largiantur, inopes vero non abutantur aliena liberalitate, nec utantur alieno nisi in necessitate, non exhauriant aliorum patrimonia etc. Nam mendicitas quae non habet probabilem causam, est peccatum, et furti species, sicut 1. Thess. 4, dicitur: Adhortamur vos fratres, ut studeatis esse tranquilli, et suum quisque officium faciat, et laboret suis manibus. Et 2. Thess. 3. Si quis non vult laborare, non comedat. Item, Ut cum tranquillitate laborantes, proprium panem comedant. Talibus ignavis mendicis non est opus largiri. Ac videndum est in eleemosynis, ne sint profusiones ad ostentationem comparatae, sed necessitati aliorum consulant propter mandatum Dei. Haec vera officia severissime praecepta sunt, et habent gravissimas comminationes et promissiones, sicut ait Christus: Esurivi, et non dedistis mihi cibum. Proverb. 21. Qui obturat aures ad clamorem pauperis, vicissim clamabit et ipse, et non exaudietur. Item Esai. 58. Frange esurienti panem tuum etc. tunc invocabis, et Dominus exaudiet.

Licetne Christianis uti contractibus?

Licet, iuxta usitatam regulam: Evangelium non abolet ordinationes politicas aut oeconomicas, et quidem iura naturae non abolet. Sunt autem contractus iuris naturae, quia vita humana habet opus mutua communicatione, quae fit per contractus. Quare sciat Christianus contractus esse ordinationem Dei, sicut alias politicas ordinationes, quemadmodum et Salomon dixit: Libra et pondus iudicia Domini sunt, id est, res a Deo iuste ordinatae. Sed in primis consideret Christianus finem illarum ordinationum principalem. Deus enim haec dona ordinavit ad hunc finem, ut per ea mutuam charitatem exerceamus.

Quare Christianus in fide utetur contractibus, tanquam dono Dei, et sciet his officiis exercendam esse charitatem erga proximum. Quare non defraudabit proximum per praetextum contractuum, nec struet per contractus insidias proximo. Quatenus autem utendum sit contractibus, et quatenus lucra concessa sint in contractibus, leges politicae consulendae sunt, quia Christianus potest uti legibus civilibus, et videndum est, in quibus contractibus leges concedant lucra, et approbent, in quibus non approbent, ut in venditione et locatione rerum vel operarum mediocria lucra conceduntur. Aut enim officia, aut res seu operae communicantur. Ut autem possit esse perpetua communicatio, necesse est effici aequalem compensationem. Si enim una pars tantum daret, altera tantum acciperet, non esse perpetua communicatio. Ideo leges non volunt officia rebus compensari, sed officiis, quia res alterius partis exhaurirentur, et iure naturali quaedam officia homines debent hominibus, videlicet quae nobis non nocent, et aliis necessaria sunt. Sunt igitur gratuiti contractus mutuatio et depositum. Rursus ubi res vel operae communicantur, necesse est rebus vel operis fieri compensationem. Ideo in emptione vel locatione lucra conceduntur.

Ita lex naturae docet aequalitatem in contractibus. Nam haec sententia est lex naturae, ne quis locupletari velit cum detrimento alterius. Hic quaeritur de reditibus, Item de contractu cum pacto redemptionis. Item de eo quod interest. Item de usuris.

DE REDITIBUS.

Reditus sunt duplices, alii constituti sunt a legitima potestate in bonis subditorum. Hi cum sunt moderati, sicut vectigalia esse convenit, sunt liciti. Nam magistratibus debetur stipendium, ut Roman. 13. scriptum est. Ita et Deus constituit sacerdotibus decimas. Caeterum potestates viderint, ne immodice onerent bona subditorum, quia peccant contra hoc mandatum Dei: Non furaberis, cum sine iusta et necessaria causa ad Rempublicam pertinente onerant populum novis aut immodicis tributis, quia populus habet proprietatem in suis rebus, sicut historia de Naboth testatur 3. Reg. 21.

Alii reditus sunt privato arbitrio constituti, ut cum aliquis constituit in fundo certo servitutem pro pretio, ut alius inde quotannis habeat certam pecuniam, aut certos fructus. Hi contractus etiam sunt liciti, scilicet, si sint verae venditiones, hoc est, si fundus posset sustinere hoc onus, et in contractu vere insit fundus, unde reditus sit solvendus. Tales reditus, vendere, emere, et possidere licitum est. Ut enim licet totum fundum vendere, ita fundi partem. Aut, ut licet in fundo iter, aut actum constituere, ita licet hanc servitutem constituere, ut alius accipiat aliquam partem fructuum, si tamen fundus id onus sustinere possit, et servetur in emptione mediocris aequalitas. Ac tales emptiones non fiunt vitiosae pacto redemptionis. Cum igitur maneat natura emptionis, etiamsi tale pactum accedit, licet emere, vendere et possidere fundos aut reditus cum pacto de revendendo.

DE USURIS.

Licetne usuras accipere?

Non licet, Quia Christus inquit: Mutuum date, et nihil inde sperantes. Et Lex prohibet Deuteronom. 23. Fratri tuo absque usura mutuabis id quod indiget. Et Psalmo 14. Qui pecunias suas ad usuram non dedit. Et Ezech. 18. Sunt autem usurae, quando in mutuatione paciscimur ut aliquid supra sortem nobis propter ipsam mutuationem detur. Ideo autem sunt iniustae usurae, quia exigitur non debitum. Solvens enim mutuum, nihil amplius debet, et tamen amplius exigitur pro nulla re. Ergo non servatur aequalitas. Et haec causa est, cur usurae exhauriant civitates, quia foeneratores auferunt plurimum, pro quo nihil recipit solvens. Non potest igitur talis communicatio esse perpetua, cum non sit mutua compensatio.

Estne usura, Reditus habere emptos in aliquo certo fundo fructificante, ut supra dictum est?

Respondeo: Non est usura, quia ille contractus non est mutuatio, sed vera emptio. Concurrunt enim ibi substantialia emptionis, merx, pretium et consensus. Merx est ius seu servitus in illo fundo fructificante. Atque hinc facile potest iudicari, quando sit vera emptio, scilicet, cum subest merci aliquod corpus, quo corpore pereunte, reditus periret. Item in mutuatione is qui dedit mutuo, retinet ius repetendae sortis. Sed is qui emit reditum in alienis bonis, non habet ius repetendae pecuniae. Ergo ille contractus non est mutuatio.

De eo quod interest.

Estne usura, solvere id quod interest?

Respondeo: Id quod interest, omnino differt ab usuris. Nam id quod interest, debetur etiam sine pacto, et tunc habet locum, cum aliquis alteri dedit efficacem causam damni, ut si quis promisisset se soluturum esse ad Calendas Maii, et illo non solvente ego damno aliquo affectus essem, ob hanc ipsam causam, quia illa pecunia caruissem, ille, quia dedit efficacem causam damni, debet solvere id quod interest. Iusta est igitur ratio, et consentanea naturae, cur solvendum sit id quod interest, quia nemo debet velle locupletari cum damno alterius. Hoc exemplum aliquo modo indicat, quid vocetur interesse, et ubi locum habeat. Non enim debet praetexi rapacitati foeneratorum, qui mutuationem tantum in quaestum conferunt, nec petunt id quod interest, quia mutuo accipiens dederit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrum. Cum autem magna sit varietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temere pronuntiandum est, et cum contractus sint res politi-

cae, valet iudicium magistratus ac legum, id est, sapientis et aequi iurisconsulti de contractibus, sicut et de aliis rebus politicis. Hic sapiens iurisconsultus discernet usuras, et id quod interest Conferet etiam mandata divina cum iure humano, ne approbet aperte pugnantia cum mandatis Dei.

DE RESTITUTIONE.

Estne vera regula: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur?

Respondeo: Haec regula vera est in genere de omnibus, qui scientes et volentes alienum detinent, et habent unde reddant seu possunt reddere, sicut Paulus inquit: Qui furatus est, deinceps non furetur. Atqui ille, qui furatus est, tantisper est fur, dum alienum sciens ac volens detinet, sicut is, qui rapuit alienam coniugem, tantisper est raptor seu moechus, dum eam retinet. Ergo cum Paulus vetat deinceps furari, vult alienum reddi, ut ille, qui invasit alienum, desinat esse fur. Haec generalis regula tenenda est. Sed impossibilitas habet excusationem, et sunt varii casus, in quibus adhibenda est ἐπιείκεια, ut in aliquibus arcanis negotiis cavenda sunt scandala, et cavenda est infamia, quia famae iactura maior est quam rerum iactura.

Contra:
Satisfactio est inutilis,
Restitutio est satisfactio,
Ergo restitutio est inutilis.

Respondeo: Nego minorem, quia restitutio vere et proprie est pars contritionis, non est illa canonica satisfactio, quam definiunt esse opera non mandata etc. Exemplum, ut: Peccatum non remittitur retinenti alienam coniugem, id ad contritionem pertinet. Ita rem alienam reddere ad contritionem pertinet, quia contritio est pavor et dolor de peccato, et deinceps non committere facta contra conscientiam et mandatum Dei.

An quae tenentur praescriptione, iuste tenentur?

Respondeo: Iuste teneri res praescriptione, quia autoritate legis tenentur, quae est verius domina rerum, quam privati, sed absit dolus in praescriptione, et concurrant reliquae circumstantiae, de quibus leges praecipiunt, ut scilicet bono titulo rem nactus sis.

An rapta in bellis sint retinenda?

Respondeo: Iusta bella gerentes fiunt vere domini corporum et rerum quas capiunt, ideo et corpora et res captas iuste tenent. Sunt autem iusta et legitima bella, quae suscipiuntur a legitimis potestatibus ad propulsandam iniustam vim seu latrocinium. Est et alia species iusta, cum bellum a superiore potestate suscipitur ad puniendum manifestum scelus alicuius populi subditi, ut Israëlitae moverunt bellum ad puniendam tribum Beniamin, propter stupratam Levitae coniugem. Nam Deus constituit magistratus, ut depellant latrocinia, et puniant manifesta delicta, Rom. 13. Cum autem bellum sit una ex acerbissimis poenis, quibus Deus punit mundum, pleraque accidunt in bellis atrociora, quam exacta norma iustitiae postulat. Nec medium in his actionibus accurate constitui potest, sed si principalis causa iusta est, bellator sciat militiam illam esse licitam, et res occupatas iuste possideri. Caeterum bellator si est pius, non suscipiet nisi necessaria bella, moderabitur non necessariam crudelitatem. Denique in multis rebus non sumet sibi licentiam usitatam impiis militibus.

DE REDITIBUS ECCLESIASTICIS.

Ecclesia habet opus aut collationibus, aut reditibus, propter tres causas. Primum, ad alendos ministros Evangelii. Secundo, ad scholas conservandas, ubi sumptus suppeditandi sunt doctoribus, et aliquibus pauperibus scholasticis. Tertio etiam alii vere pauperes ex publico iuvandi sunt. Propter has tres causas opus est Ecclesiae facultatibus, sicut et Paulus iubet ministros ab Ecclesia ali. Item suppeditari pauperibus. Et quoniam populus tenuiter confert, principum officium est, constituere Ecclesiis reditus aut pensiones, sicut etiam significat Esaias cap. 49. cum ait: Reges erunt nutricii tui, et reginae nutrices. Et ex Augustino et historiis apparet, has initio causas fuisse donationum Ecclesiasticarum. At dominium harum rerum pertinet non ad Pontifices aut Principes, aut populum, sed ad Ecclesiam, hoc est, nec Episcopis, nec Principibus, nec populo licet hos reditus transferre ad alios usus, quam ad conservationem ministerii et studiorum.

Hinc facile iudicari potest, multiplicia esse furta in hoc genere, quia omnes, qui fruuntur his bonis, neglecto ministerio Evangelii, et neglectis studiis, peccant. Hic est ingens numerus Episcoporum, Canonicorum et Monachorum, qui non sunt usui Ecclesiae, qui devorant facultates Ecclesiasticas, cum interea esuriant pastores, aut nulli habeantur, et negligantur studia.

Huius rei imago in historia passionis Christi proposita est. Sicut enim milites dividunt vestes Christi, et de eis sortiuntur, ita principes et potentes partiuntur inter se episcopatus et sacerdotia, neglecto ministerio et neglectis studiis. Donatistarum Ecclesiis publici magistratus auferebant facultates, et transferebant ad pias Ecclesias, qua de re etsi conquerebantur Donatistae, et disputabant, propter dissensionem dogmatum nemini eripiendas esse facultates, tamen Augustinus respondit, hanc pecuniam esse Ecclesiae, ideoque recte per superiores Magistratus eripi his, qui non pertinent ad Ecclesiam, et transferri ad veros usus Ecclesiae. Discernendae etiam sunt in hoc casu privatae facultates et alienae. Peccant igitur gravissime et alii, qui ita diripiunt facultates Ecclesiasticas, ne quid inde decidatur ad usus Ecclesiae. Peccant et Respublicae quae nihil conferunt ad conservationem ministerii et studiorum. Haec furta non sunt levia peccata, sicut testantur gravissimae conciones in Prophetis, ubi Deus severissime minatur illis, qui non iuvant ministros templi, ubi debent iuvare, aut conferre ad eos iuvandos. Haggaei primo: Aedificate domum meam, et placebitis mihi. Item, Domus mea deserta est, et festinat unusquisque ut suam domum extruat. Ideo prohibui, ne coelum det rorem, et ne terra sit foecunda. Et Malachiae tertio: Inferte omnem decimam in horreum meum, et aperiam vobis cataractas coeli, et effundam benedictionem, id est, incrementa, augmenta, abunde. Et Proverbiorum tertio: Honora Deum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia redundabunt. In his operibus vult Deus exerceri fidem, quae si adesset, liberaliores essemus in hoc genere officiorum. Si enim vere expectaremus a Deo facultatum conservationem, profecto libentius largiremur.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Quid praecipit octavum praeceptum?

Iubet, ut propter Deum praestetur veritas in omni vita, dictis et factis, ac nominatim in iudiciis, in contractibus et pactis, requirit veritatem. Vide autem, quam late pateat hoc praeceptum, regit iudicia, pacta, contractus, et complectitur partem iustitiae particularis, scilicet, quae vetat, ne fraude et per calumniam alii laedantur. Sunt enim duplices iniuriae. Aliae fiunt vi, aliae sine vi manifesta, sed dolo et fraude fiunt. Violentia prohibetur in quinto et septimo praecepto. Hic prohibentur mendacia, imposturae, calumniae. Ita sparsa est iustitia particularis in haec praecepta. Nam iustitia particularis prohibet iniurias utriusque generis. Porro haec virtus, quae vetat mendacia et calumnias, vocatur Veritas. Ut autem superiora praecepta alias partes Reipublicae munierunt, ita hoc praeceptum munit iudicia, pacta et contractus. Facile autem possunt agnosci peccata crassiora pugnantia cum hoc praecepto. Ut enim hic confirmantur iudicia, et omnia forensia officia, si rite et bona conscientia fiant, sicut et iuramentum de calumnia praecipit, ita econtra damnantur omnes falsae et calumniosae accusationes et defensiones et sententiae in iudiciis. Denique tota sophistica forensis, item falsa testimonia et consilia, item depravatio artium etc. rectae doctrinae, item violatio pactorum et promissorum in contractibus. Denique insidiosa simulatio aut occultatio in moribus et vita, quia veritas non modo in pactis, promissis aut iudiciis requiritur, sed etiam in tota vita, videlicet candor, simplicitas, id est, rectitudo seu ingenuitas, quae facit, ne temere de aliis suspicemur, ut dextre interpretemur aliorum dicta aut facta, ne sinistra interpretatione depravemus probabiliter dicta aut facta, ne insidiosa occultatione captemus aliquod πλεονέκτημα, ne sit in amicitia simulatio, sed luceat in dictis et factis, et omni consuetudine rectitudo quaedam, et appareat nos serio et bono studio agere omnia, quae ostendimus, et prae nobis ferimus. Talis ingenuitas attribuitur Achilli apud Homerum, qui ait, se odisse, ut mortem, eos, qui aliud dicunt, aliud sentiunt. Etsi autem maxime decet heroicos viros haec ingenuitas, tamen requiritur in omnibus, ac maxime in explicatione doctrinarum, Sed praeceptum Dei non modo virtutem ipsam requirit, sed etiam apostulat, ut referatur ad gloriam Dei, hoc est, ut amemus et praestemus veritatem, ut Deo obediamus. Est et vulgare vitium maledicentia, videlicet illorum, qui libenter serunt de aliis sermones, quibus eorum fama laeditur, aut qui delectantur acerbitate aut scurrilitate conviciorum, aut qui obtrectant alienae existimationi. Haec omnia vulgo detractionem vocant. Et alias haec consuetudo ex naturae vanitate oritur. Quosdam enim hi sermones sine ulla causa delectant, tantum propter naturae vanitatem. Alias ex ambitione et invidia, Interdum species est adulationis maledicere aliis in aliquorum gratiam. Sunt enim quaedam distortae naturae adeo virulentae et plenae livorum, et su-

spicaces, ut sola naturae malevolentia sine aliis causis impellat eos ad maledicendum. Quo in genere peccant non tantum qui serunt fabellas, aut crimina de aliis, sed etiam auditores, qui libenter vel avide audiunt, sicut Pindarus inquit [ὄψον δὲ κατηγορίαι τοῖς φθονεροῖς]. Invidis obsonium esse maledicta. Cum autem hoc vitium sit communissimum, discamus frenare linguam, et corrigamus morbos animi, qui aut pariunt aut confirmant linguae petulantiam, et meminerimus eam pugnare cum hoc praecepto: Non dices falsum testimonium. Et Christus ait: Nolite iudicare, ne iudicemini.

Sed hic quaeritur, an non licet manifesta et publica vitia reprehendere? Respondeo: Sententia Christi: Nolite iudicare, non prohibet officium iudicis, aut concionatoris, sed prohibet privatam maledicentiam, et in rebus dubiis calumnias. Est autem privata maledicentia, quandocunque extra iudicium, aut concionem, aut deliberationem, aut piam castigationem, dicuntur in alios convicia, etiamsi vera et manifesta sunt, ubi videlicet non dicuntur, ut vel ille emendetur, qui accusatur vel consulatur aliis, sed erumpunt aut ex naturae vanitate, aut ex morbo animi. Porro hoc tempore est usitatum maledicere summis atque infimis, et praesertim principibus et doctoribus, imo ipsis etiam artibus, et saepe in rebus dubiis calumniose reprehenduntur, ubi ea, quae sunt ambigua, non erant in deteriorem partem interpretanda. Multo plus peccant, qui recte facta aut dicta calumniose depravant, sicut saepissime accidit. Porro quam turpis res sit, et Deo displicens, calumnia, hoc potest animadverti, quod ab hoc vitio autor peccati, diabolus, nomen habet. Et hoc loco sciendum est, eos, qui falsas fabulas de aliis serunt, debere illis restitutionem famae, sicut in furto debent restitutionem rerum, quia inter bona externa praecipuum est bona existimatio. Recte enim dicitur: Bona conscientia nobis opus est, bona fama autem de nobis opus est proximis. Nam honesta opinio invitat alios ad virtutem, ideo in Proverbiis scriptum est: Melius est nomen bonum, quam divitiae multae. Et Ecclesiastici 41. Curam habeto de bono nomine, hoc enim praestantius est mille thesauris. Et extat versiculus, Honestus rumor alterum patrimonium est. Et gravissime inquit Gerson: Nonnunquam facilius satisfit pro homicidio corporali et furto, quam pro calumnia. Et de his, qui dicunt convicia de gubernatoribus Ecclesiarum, ait Anacletus: Deteriores sunt, qui doctorum vitam moresque calumniantur, quam qui diripiunt aliorum praedia.

An omne mendacium est mortale peccatum?

Mendacia et in hoc praecepto prohibentur et alibi. Nam Levit. 19. scriptum est: Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum, non eris calumniator, nec susurro in populo. Est autem mentiri, aliud loqui quam sentias, seu dissimulata veritate falsum dicere, id universaliter est mortale peccatum, cum fit iniusta voluntate nocendi. Sed in dictis et factis sanctorum sunt etiam quaedam figurae, ut, Abraham dissimulat Saram esse coniugem et vocat sororem. Aegyptiae obstetrices mendacio excusant se, cur non interficiant infantes Hebraeorum. Rahab mendacio defendit exploratores, et scriptura testatur, Deum praemia reddidisse pro his officiis. David simulat se habere morbum, cum ad regem inimicum venisset. Iudith fallit Holofernem, et medici saepe fallunt aegrotos, ut eos iuvent. Propter huiusmodi dicta et facta pleraque in scripturis et communi vita discernuntur mendacia.

Distinguuntur autem tres species. Primum sunt perniciosa mendacia, quae fiunt cum iniusta voluntate nocendi, ut cum falso alii accusantur. Haec omnia sine dubio sunt peccata mortalia. Porro, mendacium sua natura est peccatum mortale, etiam sine voluntate nocendi, si videlicet ex vanitate ingenii dicatur, nec habeat probabilem et honestam causam, qualia sunt adulatorum mendacia, quae contra conscientiam dicunt, aut qualia dicuntur a iactabundis, et alia multa. Alia species est figura seu ironia, cum videlicet propter honestam et iustam causam aliquid occultatur, aut etiam figurate aliud dicitur aut ostenditur, Ut cum Abram dissimulat Saram esse uxorem, Ipsa vero occultatio per sese in talibus causis non est mendacium. Nam mentiri non est tantum occultare, sed occultata veritate falsum dicere. Christus colloquens cum duobus discipulis, etiamsi non ita se ostendit, ut mox agnoscatur, tamen non negat se esse eum, qui erat. Tales occultationes, quae adhibentur in iis rebus, quas dicere non necesse est, nec mendacia sunt, nec peccata, et plerumque adhibentur propter aliquam utilitatem.

Secundo, ubi vero manifestatio spontanea peccatum esset, ibi concessae sunt figurae, quae tegunt negotia, Ut Rahab peccasset, si ultro prodidisset exploratores. Et mulier 2. Reg. 17. peccasset, si ultro prodidisset nuntios Davidis. In talibus casibus licet uti ironiis. Tunc enim figurae illae non sunt proprie mendacia. Nam mendacium proprie est depravatio eius, quod dici debet. In

hoc casu Rahab interrogata est de eiusmodi negotio, quod non debebat dicere. Hinc facile possunt discerni mendacia, quae nullam habent excusationem, ab ironiis, quae habent excusationem, si scilicet consideretur, an id quod debet dici, occultetur, vel depravetur. Sic adversus hostem licet uti occultatione nostrorum consiliorum et figura aliqua, sed eatenus, ne violentur pacta. Nam pactorum et iurisiurandi religio iure divino servanda est. Ideo etiam fides hosti data servari debet. Sed praeter pacta et iusiurandum uti occultatione consiliorum, vel aliqua figura concessum est. Sic occultare licet innocentem, quem tyrannus aliquis inquirit, ut eum afficiat supplicio, quia in tali casu manifestatio spontanea peccatum est. Constituta ergo definitione, quid sit mentiri, facilis erit diiudicatio, ubi sint excusabiles figurae. Est enim mentiri non solum occultatio, sed depravatio contra conscientiam de ea re, quam dici oportuit.

Addunt tertiam speciem iocosam, ut poëmata, apologos, false dicta. Sed haec nequaquam sunt mendacia, sed potius picturae eius quod sentimus. Quod ut sit illustrius, proponimus in exemplis quibusdam propter similitudinem naturarum adhibitis, ut lupus est imago tyranni, vulpecula imago hominis circumspecti et astuti. Ad hoc genus pertinent omnis generis false dicta in quotidiana vita, quibus utimur ad admonendos homines, quale illud est Philippi de iudice, qui faciem pinxerat fucis, hunc iussit abdicare officium, inquiens, Fucatum non vere iudicare.

DE RELIQUIS DUOBUS PRAECEPTIS.

Reliqua duo praecepta addita sunt, ut interpretentur legem, et discernant legem Dei ab humanis legibus et a philosophia. Nam leges humanae prohibent externa facta. Sed haec praecepta testantur legem Dei, non solum de exterioribus factis loqui, sed etiam de interioribus affectibus, et inclinatione ac immundicia naturae. Cum igitur ait lex, Non concupisces uxorem aut rem proximi, Duo complectitur, et affectus malos, et causam malorum effectuum, scilicet ipsum morbum naturae, qui vocatur peccatum originis. Hunc morbum humanae leges et philosophia non iudicant esse peccatum. Ideo lex Dei accusat eum, ut discamus, quam horribiliter haec humana natura immersa sit peccato, et agnoscamus nos non posse legi satisfacere, sed habere opus alia iustitia. Itaque haec duo postrema praecepta non pertinent ad disciplinam, sed ad superiorem usum legis, scilicet ad accusandum peccatum in tota natura humana, ut agnoscamus vitium originis.

DE FINE.

In singulis praeceptis diligenter addendus est finis, ut fiant propter Deum, hoc est, in timore Dei, et referantur ad Deum, ut, Magistratui obedias, quia timeas Deum, et velis Deo parere. Ita non defraudes alium in contractu, quia timeas Deum, et velis Deo praestare obedientiam. Sic in singulis mandatis et operibus oportet apprehendi Deum, et repeti primum mandatum, ut omnia opera fiant cultus Dei, et in omnibus operibus Deum intueamur, et ei serviamus.

Repetenda est etiam in singulis doctrina de fide, quae docet, quod propter Christum reputemur iusti gratis. Deinde vero placeat propter ipsum inchoata obedientia. Tenebis autem has praecipuas quaestiones de quolibet mandato. Prima, quid praecipiat. Secunda, quo fine. Tertia, an satisfiat. Quarta, quomodo fiat, et placeat obedientia.

DE USU LEGIS.

Postquam utcunque Decalogum enarravimus, admonendus est Lector etiam de usu. Est autem triplex usus. Primum tradendus est Decalogus seu Lex Dei moralis, ut disciplina rudes erudiat et coherceat. Et hic usus pertinet ad iniustos et iustos. Deus enim coherceri vult iniustos externa disciplina, et iustis rudibus opus est institutione, doctrina et diligentia cohercendae carnis, sicut pueris adolescentibus, vulgo etc.

Secundus usus est proprius contritioni, arguere peccatum, et perterrefacere conscientiam, de quo Paulus saepe loquitur: Per Legem cognitio peccati: Item, Lex iram efficit. Si enim nulla esset lex seu nulla obligatio, quomodo id quod fit contra voluntatem Dei, esset peccatum? Terrentur ergo lege omnes, qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum.

Tertius usus est in his, qui sunt iustificati. Etsi enim sunt liberati a lege ne damnet, tamen iis opus est doctrina legis tripliciter. Primo quod ad doctrinam attinet. Secundo, quod attinet ad vetustatem carnis. Tertio, quod ad obedientiam attinet. Primo de doctrina constat etiam iustis opus esse verbo, ut sciant qui cultus, qualia opera placeant Deo, ne excogitent novos cultus sine verbo, ut est Monachatus. Ideo Paulus ad Timotheum inquit: Omnis scriptura utilis est. Secundo de vetustate carnis. Necesse est vetustatem coherceri et argui, quia lex semper arguit praesens peccatum. Sed

ita sumus liberi, non quod lex non arguat, sed si vincamus fide legem arguentem, idque testatur Oratio dominica. Non essent debita, nisi lex obligaret et argueret. Quanquam ita liberabimur, cum credimus etc.

Tertia de obedientia. Etsi sumus liberi a lege ne damnet, tamen manet ordinatio et voluntas Dei, ut creatura obediat. Quare obedientia necessaria est, et quomodo placeat, docet Evangelium. Ideo inquit Christus: Non veni solvere legem, sed implere. Item Christus inquit: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem. Et 2. Iohan. 3. Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi, et diligamus invicem. Hae sententiae loquuntur de voluntaria obedientia, et tamen nominant mandatum. Quia manet ordinatio Dei, ut creatura obediat, etiam cum volens obtemperat. Et tamen Evangelium interea docet, quatenus liberi simus, scilicet ne damnet lex, non ut non fiat.

DE EVANGELIO.

Quid differt Lex ab Evangelio?

Maxime refert initio pios admoneri de discrimine harum appellationum. Nam confusio offundit magnam caliginem Evangelio. Est igitur Lex doctrina quae docet, quales esse oporteat, et quae opera a nobis requirat Deus, et requirit perfectam obedientiam, et damnat eos, qui non obediunt. Sed Evangelii principalis et proprius locus est promissio, in qua gratis nobis propter Christum donatur remissio peccatorum, imputatio iustitiae, Spiritus sanctus, et vita aeterna. Et hanc promissionem oportet fide accipi. Sunt autem duplices promissiones in scripturis, Ut promissiones legales: Qui fecerit ea, vivet in eis. Item: Si vis ingredi in vitam, serva mandata. Tales sunt conditionales, hoc est, habent conditionem impletae legis. Sed promissio propria Evangelii est gratuita, hoc est, non habet conditionem legis, tanquam causam beneficii, seu conditionem nostrae dignitatis. Tametsi habet conditionem fidei. Memineris igitur particulam gratis propter Christum, discrimen facere inter promissiones, idque necesse est tenere. Nam in vero agone conscientia non disputat, utrum Deus sit misericors, an remittat peccata, sed illud quaerit, an nobis et indignis velit remittere. Hic est unus portus conscientiae, tenere, quod certum sit gratis remitti, quod Evangelii promissio propria sit gratuita, nec habeat conditionem nostrae dignitatis. Est autem Christus aptissime complexus summam Evangelii, cum ait Lucae ultimo: Praedicate poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Hinc definitionem constituamus: Evangelium est praedicatio poenitentiae, et promissio, in qua propter Christum gratis offeruntur nobis remissio peccatorum, imputatio iustitiae, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae, modo ut credamus haec nobis certo et vere propter Christum contingere, et non propter dignitatem nostram, aut nostra merita. Haec brevis Evangelii definitio tenenda est, ut propria Evangelii beneficia sint nobis in conspectu.

DE IUSTIFICATIONE.

Evangelium arguit peccata, et offert promissionem Christi, Ideo perterrefacti agnitione irae Dei adversus peccata, debent credere promissioni, quod propter Christum GRATIS donentur eis remissio peccatorum et imputatio iustitiae. Hac fide certo consequuntur remissionem peccatorum et iustificationem seu gratiam, sicut Paulus perspicue docet Rom. 3. Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine eius etc.

Huiusmodi aliquot perspicua testimonia tenenda sunt, quae et erudiant conscientias, et exuscitent fidem in omni invocatione. Nunc adiiciam vocabulorum interpretationem. Iustificari significat forensi more iustum reputari seu pronuntiari. Iustus in his Pauli disputationibus significat idem quod acceptus seu placens Deo. Et IUSTIFICATIO est remissio peccatorum, et acceptatio coram Deo, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti. Vocabulum GRATIAE idem significat, sed continet emphasim particulae exclusivae gratis. Est enim Gratia gratuita remissio peccatorum, et acceptatio propter Christum, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti. Vocabulum FIDES significat hic non tantum historiae notitiam, sed etiam fiduciam misericordiae promissae propter Christum, seu fiduciam, quae accipit promissionem, et applicat eam ad nos, sicut Paulus manifeste testatur Rom. 4. se loqui de ea fide, quae accipit promissionem, ut inquit: Ideo ex fide, ut sit firma promissio. Quare sum dicitur: Fide iusti sumus, haec oratio correlative intelligi debet, hoc modo, per misericordiam propter Christum iusti, id est, accepti sumus, non propter nostras virtutes, sed tamen hanc misericordiam oportet fide accipi et apprehendi. Haec est simplex et propria Pauli sententia. Explicatis vocabulis rursus monendus est Lector de exclusiva gratis. Excludit enim conditionem meriti, seu nostrae digni-

tatis, idque propter duas causas praecipue. Primum, ut in Christum Mediatorem transferatur causa beneficii, hoc est, ut intelligamus nobis ignosci non propter nostram dignitatem, sed propter Christum. Secundo, ut beneficium sit certum. Si enim penderet ex conditione dignitatis nostrae, fieret incertum. Si conscientia iudicaret, ita nobis ignosci, postquam satis magnam contritionem, aut alia merita habeamus, prorsus adigeretur ad desperationem, et fieret incertum beneficium promissum in Evangelio. De his duabus causis maxime admonet nos particula GRATIS. Cum hoc modo intelligitur exclusiva, fit dulcior conscientiis, et apparet non tolli contritionem. Oportet enim aliquam contritionem, id est, pavores et terrores, existere in nobis, cum agnoscimus iram Dei adversus peccatum, sicut inquit Esaias: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito etc. Et cum fides sit vivificatio quaedam, necesse est existere terrores, in quibus sustentamus et consolamur nos Evangelio. Et quanquam contritio sine fide damnata est, tamen postquam accessit fides, fit bonum opus et sacrificium, ut postea dicetur de bonis operibus.

Secundo, sicut de particula Gratis in promissione Evangelii necesse est admoneri auditores, ita et illud inculcandum est, quod sicut praedicatio poenitentiae est universalis, ita quoque promissio sit universalis, ut singuli nos in promissionem illam includamus, nec excuti nobis fidem sinamus intempestive accersitis disputationibus de praedestinatione, sed ordiamur a verbo, et meminerimus promissionem esse universalem, et statuamus vere illa contingere nobis, quae in verbo proposita et promissa sunt, quia Deus per verbum suum est efficax, et in verbo vult apprehendi, iuxta illud: Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.

Tertio necesse est et hoc teneri, quod cum iustificamur, donamur Spiritu sancto, quem ita concipiunt corda, cum audiunt Evangelium, et ei adsentiuntur, ac fide se sustentant in pavoribus. Sic docet Paulus at Galatas: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Haec acceptio Spiritus sancti vocatur regeneratio seu renovatio, et est inchoatio vitae aeternae in nobis, sicut Christus inquit: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.

Hactenus de Iustificatione et Fide diximus, quae in quotidiana experientia fiunt illustriora. Nam haec doctrina semper in conspectu esse debet, ut teneamus firmam consolationem, et ut possimus invocare Deum. Nam sine hac fide nulla est vera invocatio, sine hac fide non apprehenditur Pontifex et Mediator Christus.

DE BONIS OPERIBUS.

Hactenus de Iustificatione et Fide dictum est. Inchoatur autem in iustificatis nova obedientia. Ideo tradenda est doctrina de Bonis operibus. Tria autem quaeruntur de bonis operibus. Primum, quae opera postulentur. Secundum, quomodo illa imperfecta obedientia placeat Deo. Tertio, quomodo amittatur gratia.

Quae requiruntur?

Requiruntur opera lege Dei praecepta, non tantum externa, sed etiam interiores motus. Necesse est enim Legem in nobis inchoari, sicut Christus ait: Nisi abundaverit iustitia vestra etc. Item, Si vis ingredi in vitam, serva mandata. Ergo requiritur obedientia, quae sic inchoatur in nobis: Cum fides ad contritionem accessit, iam peccatum displicet, cum cupimus Deo, quem agnovimus, obedire. Ita primum concipitur bonum propositum, ut vocant. Inchoantur ergo iam in corde motus consentientes Legi Dei, timor, fiducia, dilectio Dei, invocatio, patientia, veritas, castitas, dilectio proximi, cura Reipublicae. Hae virtutes fiunt Spiritu sancto impellente corda, et crescunt, cum eas exercemus, sicut scriptum est: Habenti dabitur etc. Quanquam autem in renatis bona opera sunt motus Spiritus sancti, tamen Spiritus sanctus movet per verbum, et oportet nos habere testimonium, quae opera placeant Deo, ne decepti alia opera suscipiamus. Ideo cum oporteat nos regi verbo, dictum est nominatim illa opera postulari, quae in Decalogo praecepta sunt. Etsi enim non est posita Lex iusto, quod ad accusandum attinet, tamen est ei posita, quatenus docet eum, et requirit obedientiam iuxta illud: Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum etc.

Quomodo placet imperfecta obedientia?

Necessaria est obedientia, et tamen sciendum est, eam procul abesse a perfectione, nec satisfacere legi Dei, et adhuc haerere in nobis reliquias peccati. Quare persona non est iusta, id est, accepta coram Deo propter propriam mundiciem, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Placet autem persona fide per misericordiam propter Christum, ut supra dictum est. De-

inde placet et inchoata obedientia, quia sumus facti filii, et credimus propter Christum condonari nobis indignitatem nostram. Utrumque igitur sciri necesse est, ut fiducia propriae iustitiae, et desperatio animis eximantur. Nam agnitio infirmitatis nostrae humiliat nos, incutit terrores, et exuscitat poenitentiam. Rursus autem ingens consolatio est, quod pii in tanta infirmitate tamen norunt certo statuendum esse, quod placeant Deo propter Christum. Deinde quod Deo etiam haec inquinata et imperfecta obedientia placeat, quia sumus inserti Christo, sicut Paulus inquit: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Tanta magnitudo misericordiae maxime accendere nos debet ad bene operandum, et ad sustinendas aerumnas omnis generis, quia discimus ex Evangelio, quomodo placeat in tanta infirmitate obedientia nostra.

CAUSAE HORTANTES AD BENE OPERANDUM.

Necessitas, quae triplex est. Prima, quia mandatum est, ut Deo obediamus. Secunda, quia non potest existere fides in iis, qui non agunt poenitentiam, sed laxant frenum cupiditatibus. Tertia, quia fides extinguitur, si non exerceatur in invocatione, afflictionibus, et bonis operibus. Semper enim operibus debet praeire fides, ut cogitet mens se velle obedire Deo, et hoc opus placere Deo propter Christum, et roget ut regatur a Deo. Sic David in sua vocatione constituit se velle obedire Deo, et sentit illa opera vocationis Deo placere, propter promissam misericordiam, et rogat, ut Deus vocationem eius gubernet, Hoc modo exercenda est fides in omnibus operibus. Quarta, invitant ad bene operandum et promissiones additae operibus ac praemia. Habent enim bona opera piorum praemia corporalia et spiritualia, ut docet quartum praeceptum: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Date et dabitur vobis etc. Est autem et in his promissionibus exercenda fides, cum damus eleemosynam, credamus Deum tamen conservaturum esse facultates nostras, credamus et petamus augeri dona spiritualia, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Exemplum egregium propositum in historia Sareptanae mulieris, quae iussa ab Helia, primum ipsi dat cibos, quos solos habebat reliquos, et expectabat auxilium a Deo, ita Deus auxit illos cibos, postea ornavit eam et aliis donis. Ita et nos exerceamus fidem in invocatione et omnibus periculis, negotiis, et actionibus, et obediamus Deo, petentes et expectantes ab ipso auxilium.

Quomodo amittitur gratia?

Dictum est, in sanctis manere peccata, sed tamen discrimen tenendum est. Quaedam sunt eiusmodi, ut simul existere fides et gratia possit. Alia excutiunt fidem et gratiam. Hoc discrimen tradit Paulus Rom. 8. Si secundum carnem vivetis, moriemini, Si autem spiritu actiones carnis mortificabitis, vivetis. Manet enim in sanctis naturalis infirmitas, concupiscentia, et multi vitiosi affectus. Sed quia his non obtemperant sancti, verum repugnant et agnoscunt sibi condonari hanc infirmitatem propter Christum, haec peccata dicuntur venialia, hoc est, talia, quae sanctis condonantur, et propter quae non amittunt fidem et Spiritum sanctum. Est igitur peccatum veniale vitiosus affectus, cui non obtemperant pii, sed repugnant, et credunt sibi eam infirmitatem propter Christum condonari.

Sed quando non repugnant, verum obtemperant vitiosis affectibus contra conscientiam, fiunt peccata mortalia, id est, propter quae illi, qui fuerant iusti, amittunt fidem et Spiritum sanctum, et propter quae fiunt rei mortis aeternae, sicut Paulus inquit: Fornicatores, adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei. Teneamus igitur hoc discrimen, ne simus ignavi, nec laxemus frenum cupiditatibus, ne amittamus dona Dei, sed meminerimus assidue, tanquam in acie standum esse, ac cavendas insidias Diaboli, et reprimendos vitiosos motus, ad excitandam invocationem, et fidem in tantis vitae periculis, quae et maiora et plura sunt, quam ut intelligi aut prospici a nobis possint. Ideo promissus est Spiritus sanctus, ut nos adiuvet et gubernet. Gubernat autem non vitiosos, et ignavos, sed repugnantes peccato, sicut Paulus hortatur, ut curemus, ne frustra acceperimus gratiam. Etsi autem, ut ante dictum est, concupiscentia et vitiosi motus, quibus repugnant pii, fiunt venialia peccata, tamen et horum magnitudo agnosci debet. Non enim sunt leves morbi, dubitatio de ira et misericordia Dei, securitas, diffidentia, non ardere dilectione Dei, non ardenter invocare Deum, fremere adversus Deum in afflictionibus. Haec vitia non intelligit ratio humana, ideo contemnit peccata venialia, sed pii sciant non esse extenuanda. Nam concupiscentia cum suis fructibus est re ipsa mortale peccatum, in non renatis, et longe maius malum est, quam ut eius magnitudo a ratione perspici possit. Ideo pii hos morbos agnoscant, et vere perhorrescant, cum cernent, quomodo repugnat natura hominis voluntati Dei, sicut Paulus inquit: Infoelix ego homo. Rursus autem erigant se fide, et sibi ignosci credant, et serio repugnent il-

lis morbis. Hoc certamen est vera poenitentia piorum, in qua crescit novitas spiritualis, et concipiuntur novi et ardentiores motus spirituales, sicut inquit Paulus: Exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur. Et ad Colossenses: Induite novum hominem, qui renovatur agnitione Dei et ad imaginem eius, qui condidit eum. Et ad Corinthios: In eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam.

DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

Proprie est ceremonia in Evangelio instituta, cui est addita promissio Evangelii.

Quot sunt?

Tria recte numerantur, Baptismus, Absolutio, Coena Domini. Baptismus est immersio in aquam, quae fit cum hac admiranda benedictione: Ego baptiso te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et ad quid fiat baptismus, haec ipsa verba significant. Est enim sententia: Ego minister mandato divino hac ceremonia testor, quod iam ille Deus recipiat te in gratiam, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus, et sic vult agnosci et invocari, quod propter Filium te recipiat, et Spiritu sancto te sanctificet, et sit tibi opitulaturus, et inchoaturus in te novam et aeternam vitam: Ita in his verbis comprehensa est promissio, et summa Evangelii, et veri cultus descriptio, quae discernit nos a Gentibus et Iudaeis, qui non invocant Deum per filium Mediatorem, neque agnoscunt Spiritum sanctum. Quare haec verba semper sint nobis in conspectu, semper personet nobis in auribus haec vox Dei paciscentis nobiscum, quod vere velit nobis esse Deus, vere velit Filii beneficium et Spiritum sanctum nobis impertiri, vere curet et exaudiat nos. Ideo Petrus dicit, Baptismum esse pactum bonae conscientiae erga Deum, id est, sic sentientis de Deo, quod vere nos receperit propter Filium, vere nos iam curet et exaudiat.

Quis est effectus Baptismi?

Prorsus extinguit usum Baptismi perniciosa et fanatica opinio plurimorum, quae imaginatur Baptismum tantum esse notam professionis erga homines. Quare pii debent esse vigilantes, ne haec opinio animos eorum occupet. Statuant autem econtra, Baptismum esse testimonium voluntatis Dei erga nos, et sic discant uti Baptismo erga Deum. Quoties invocas, cogita Deum testatum esse in Baptismo, quod vere te receperit in gratiam, quod vere velit tibi ignoscere propter Filium, vere velit te exaudire, vere velit te sanctificare Spiritu sancto. Id testatus est hoc signo, in quo paciscitur nobiscum, se nobis futurum esse Deum, Salvatorem et opitulatorem. Atque ita Paulus de Baptismo loquitur, cum vocat lavacrum regenerationis. Quo dicto clare testatur, Baptismum non tantum esse notam professionis coram hominibus. Sunt igitur effectus baptismi remissio peccatorum, et donatio Spiritus sancti, sicut testatur Paulus Ephes. 5. Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet eam gloriosam etc. Porro adulti discant exercendam esse fidem recordatione baptismi, quia necesse est ad sacramenta fidem addi. Semper igitur baptismus debet nobis testimonium esse voluntatis Dei erga nos, quo admoniti credamus nos vere a Deo receptos esse, vere donatam esse salutem propter Christum, vere sanctificari ac iuvari a Spiritu sancto.

Suntne infantes baptisandi?

Respondeo, Infantibus baptismum necessarium esse, quia Mandatum Christi est universale, Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest ingredi in regnum Dei, Ergo etiam infantibus opus est baptismo, ut salventur. Haec ratio ducta ex universali sententia satisfacit piis, et tenenda est adversus fanaticos homines, qui improbant baptismum infantium. Sunt et plura argumenta utilia conscientiis.

Nemo salvatur extra Ecclesiam,

Infantes aliqui sunt salvandi,

Ergo necesse est eos insertos esse Ecclesiae, et applicari eis primum Sacramentum.

Maior est manifesta, quia ubi non est verbum Dei, aut Sacramentum, ibi non datur Spiritus sanctus, quia datur per verbum et Sacramenta.

Minor etiam manifesta est, quia Christus clare pronuntiat de infantibus in populo Dei: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. **Cum igitur testetur, infantes illos salvos fieri, qui**

sunt in populo Dei, non alios extra Ecclesiam, sequitur necessario inserendos esse Ecclesiae. Confirmat eandem Minorem et alia sententia Christi, videlicet: Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum coelorum. Et loquitur de infantibus in populo Dei Ergo testatur aliquos infantes salvos fieri, et quidem illos, qui sunt inserti Ecclesiae.

Tertium, Non est remissio peccatorum sine ministerio verbi et Sacramentorum.

Infantes habent opus remissione peccatorum,

Ergo infantibus applicandum est ministerium Sacramentorum.

Maiorem confirmat haec sententia Ioh. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis etc. Minorem confirmat Paulus Rom. 5. Ephes. 2. ubi testatur infantes secum afferre peccatum originis, hoc est, reatum et corruptionem naturae.

Quartum argumentum: Promissio Evangelii pertinet ad infantes,

Ergo et Sacramentum, quod est testimonium promissionis, et signum, quod significat applicari promissionem.

Consequentia valet, quia, ad quem pertinet promissio, quae est principale, ad eundem pertinet signum, quod est nota promissionis. Antecedens manifestum est, quia infantes non nisi propter Christum salvantur. Et ipse inquit: Sinite parvulos venire ad me.

Quintum: Circumcisio in veteri Testamento erat necessaria infantibus, ut significaret ad eos pertinere promissionem gratiae, videlicet: Ero Deus eorum, et ut insererentur populo Dei.

Ergo Baptismus in novo Testamento est necessarius infantibus.

Valet consequentia, quia significatio convenit, quod attinet ad promissionem gratiae. Et Deus vult esse efficax per Verbum et Sacramentum.

Quid significat Baptismus?

Sacramenta principaliter sunt signa promissionum divinarum. Quare praecipue significat Baptismus, promissionem Evangelii, quod propter Christum donetur nobis remissio peccatorum, et Spiritus sanctus. Itaque mersio significat ablui peccata, et mergi in mortem Christi, quia peccatum deletum est, et promissa nova et aeterna vita. Postea accedunt aliae significationes, quae ad mores nostros pertinent. Mersio significat mergi nos in mortem et afflictiones ut abolita carne immunda, prorsus deleatur peccatum. Sic ergo Baptismum intueamur in omni vita, ut nos primum admoneat de voluntate Dei erga nos, quod vere nos receperit, et velit delere peccatum. Haec fides exuscitat invocationem. Deinde admoneat nos mersio de obedientia, quod ad afflictiones vocati simus.

DE POENITENTIA.

Vocabulum Poenitentiae in Ecclesia usurpatur pro conversione ad Deum, et nos usitatum verbum retinemus, ut facilius agnosci locus doctrinae possit. Sunt autem partes poenitentiae duae, Contritio et Fides. Contritio significat terrores conscientiae, agnoscentis peccatum et iram Dei, ac dolentis propter peccata. Fiunt autem hi terrores, cum Evangelium arguit peccata, quam ad rem utitur ministerio Legis. Ac necesse est existere terrores, sicut dicit Ioël: Scindite corda vestra. Et Esai. Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito etc. Et Esai. 1. Desinite perverse agere. Et Ezech. 18. Cum averterit se impius ab impietate sua etc. Nec tamen meretur Contritio remissionem peccatorum, Imo nisi fides accederet, contritio et terrores adferrent desperationem et aeternam mortem. Necesse est igitur et de altera parte Ecclesias doceri, ut accedat consolatio. Quare proponendum est Evangelium, in quo promittitur remissio peccatorum propter Christum, quae vere ita donatur, cum fide statuimus nobis non propter dignitatem nostram, aut opera, aut virtutes, sed propter Christum, qui pro nobis factus est victima, gratis remitti peccata. Suntque docendae Ecclesiae, ne aliud quaerant, praeter hanc fidem, ut mereantur remissionem peccatorum. Conscientia enim solet alias consolationes, praeter fidem quaerere. Quare non sine certamine magno revocatur ad fidem. Discamus igitur huius fidei exercitia, sciamus eam esse praecipuum cultum Dei, et in omni invocatione exercendam. Quoties incipimus invocare, haec fides praeluceat, credamus nobis ignosci, nos reputari iustos, nos exaudiri propter Pontificem Christum. Ita in omni invocatione haec fides, qua credimus nobis

remitti peccata, exercenda est, et haec est proprius cultus piorum.

Habeamus autem in conspectu quaedam firma et illustria testimonia de hac fide et de remissione peccatorum, ut magis confirmari mentes, et excitari ad fidem et invocationem possint. Actorum decimo: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

Sciendum est et illud, cum hac fide nos sustentamus, dari Spiritum sanctum per verbum, iuxta illud Pauli ad Galatas: Ut promissionem Spiritu accipiamus per fidem. Nam Spiritus sanctus est efficax in consolatione per verbum Evangelii. Quare cum nos Evangelii et absolutionis cogitatione erigimus, datur Spiritus sanctus. Postea sequi etiam debet nova obedientia, sicut scriptum est: Debitores sumus, ne secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Et ad Corinthios: Adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei. Cum fide agnovimus misericordiam Dei et beneficium Christi, tum corda impellente Spiritu sancto subiiciunt se Deo, et concipiunt bonum propositum, ut vulgo dicitur, id est, incipiunt obedire Deo iuxta eius verbum, et repugnare malis cupiditatibus, ne contra conscientiam faciant. Hoc bonum propositum est inchoatio novae obedientiae, complectens bonos motus omnium virtutum, timorem, dilectionem, patientiam, invocationem, officia dilectionis, castitatem, veritatem. Nec sine fide fit bonum propositum. Nam contritio sine fide est terror, qui parit indignationem adversus Deum, et desperationem, non parit dilectionem Dei et invocationem. Sed postquam accedit fides, deinde contritio fit timor filialis, et bonum opus ac sacrificium, sicut inquit Psalmus: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Hinc intelligi potest, semper veram poenitentiam parere bona opera, ut alter latro crucifixus cum Christo, habet contritionem, agnoscit enim suum peccatum, habet et fidem, cum agnoscit Christum esse Salvatorem, Nec enim erat obscura Christi cognitio, quae tali tempore praedicat eum esse Salvatorem, ac necesse est in animo eius accensum fuisse excellens lumen. Audit etiam Absolutionem et Evangelium, ut fides eius confirmetur. Haec ipsa conversio est inchoatio novae obedientiae, dilectionis et boni propositi, quae sunt bona opera. Accedunt et externa opera maxime gloriosa, invocatio et confessio de Christo, quae contra blasphemias defendit, gloriam eius. Item confessio peccati.

DE ABSOLUTIONE.

Privata absolutio est illustre testimonium, ostendens in Evangelio institutum esse ministerium annuntiandi remissionem peccatorum multis aut singulis, iuxta illud: Quorum remiseritis peccata etc. Applicat igitur privata absolutio singulis Evangelium, et testatur promissionem ad singulos pertinere, sicut caetera Sacramenta sunt applicationes, quae testantur ad singulos pertinere Evangelii promissionem. Quare privata absolutione utendum est. Semper autem meminerimus addendam esse fidem, quae vere credat voci Evangelii, quae nobis applicatur, et annuntiat remissionem peccatorum propter Christum, et cum obstrepunt cogitationes illae, humanam remissionem irritam aut incertam esse, cum solius Dei sit remittere peccata, revocanda est mens ab his cogitationibus ad Evangelium. Non enim remittit homo, sed Deus, qui suam voluntatem in Evangelio proposuit, et instituit ministerium, ut promissio ipsius nobis annuntietur etc. Et mandavit promissioni credi. Sic per ministerium in baptismo remittuntur peccata.

DE CONFESSIONE.

Confessio quae fit Deo, est ipsa contritio, cum fide petente remissionem peccatorum. De hac confessione loquitur Psalmus: Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remittis impietatem peccati mei, id est, cum perterrefactus agnosco me esse reum, nec confido mea iustitia, sed confugio ad promissam misericordiam, vere impetro remissionem. Et hic versiculus Psalmi proponit illustre exemplum conversionis et verae confessionis.

Sed alia confessio est enumeratio delictorum, quae fit Sacerdoti. Haec enumeratio non est necessaria, quia nec praecipitur a Christo, nec est possibilis, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Et tamen cum absolutio petenda sit, ministri adeundi sunt, et ostendendum nos agnoscere iram Dei adversus nostra peccata, et petere, ut vocem Evangelii nobis impertiant, et testari nos deinceps bonos fructus poenitentiae facturos esse. Sic de confessione scriptum est Matthaei 3. Confitentes peccata sua. Et Lucae 17. describitur, quid testari debeamus, cum ait: Si conversus fuerit at te dicens: Poenitet me, dimitte illum. Nam contemnentibus iram Dei, qui perseverant in flagitiis contra conscientiam, non est impertienda absolutio.

DE SATISFACTIONE.

Consuetudo satisfactionum improbanda est, et reiicienda doctrina de satisfactionibus. Cavendum est enim omni studio, ne obruatur doctrina de gratuita acceptatione et de fide. Luceat haec sententia in Ecclesiis, quod gratis propter Christum donetur remissio culpae et poenae aeternae, quod Christus sit satisfactio et victima pro peccatis nostris, quod nulla nostra opera sint satisfactiones pro peccatis nostris.

Hanc doctrinam valde obscuravit doctrina de satisfactionibus in Ecclesia. Ideo necesse est eam aboleri, et reiici doctrinam de satisfactionibus. Sed hic monendi sunt rudes, non reiici civiles satisfactiones, ut furti restitutionem, quae vere pertinent ad contritionem. Sed reiiciuntur satisfactiones, quas ipsi vocant opera indebita. Item, quod operibus tribuunt compensationem pro aeterna morte, et obruunt doctrinam de beneficio Christi. Quales autem fuerint ritus satisfactionis publicae quondam, et quales postea ritus et opiniones secutae sint, non possum in brevi Catechesi recitare. Caeterum illud sciant pii, Deum saepe punire peccata ingentibus poenis temporalibus, et has rursus mitigare, aut prorsus tollere propter totam poenitentiam. Sicut David propter adulterium e regno expulsus est, sed Deus agenti poenitentiam mitigavit poenam, eumque restituit. Discernenda est igitur remissio aeternae poenae, a remissione praesentium et corporalium poenarum. Semper in remissione culpae simul fit remissio poenae aeternae propter Christum, sed quia Deus in hac vita nos subiecit afflictionibus non semper tolluntur poenae corporales. Imo interdum etiam post poenitentiam irrogantur, exempli causa, et ut pii exerceantur, sicut inquit Petrus: Iudicium a domo Dei incipit. Ut David post poenitentiam regno expulsus est, sed tamen propter conversionem mitigatur poena. Saepe punit Deus sontes ante poenitentiam, ut revocet eos, ut Manasses in carcere resipuit. 2. Paral. 22. Tales afflictiones non sunt compensationes, aut satisfactiones, sed poenae, quibus Deus aut revocat, aut exercet homines. Caeterum promisit Deus mitigationem poenarum corporalium agentibus poenitentiam, ut Esai. 1. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis. Et Esai. 33. Panis ei datus est, Regem in decore videbunt. Et Zach. 1. Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

DE COENA DOMINI.

Diligenter admonendi sunt pii, ut discant Sacramenta a Christo instituta, non esse tantum notas professionis erga homines, sicut Toga discernebat Romanos a Graecis, aut forma vestis discernit Monachos, nec esse tantum symbola morum, ut nunc multi lectis gentium historiis, quia vident in foederibus faciendis fuisse morem, testificandae benevolentiae mutuae causa, simul convivari, cogitant hanc Coenam Christi etiam tale convivium esse constitutum ad significandam mutuam benevolentiam. Sed hic nequaquam principalis finis est. Nam Sacramenta in Evangelio instituta, sunt signa gratiae, id est, sunt principaliter testimonia voluntatis divinae erga nos. Sicut Circumcisio erat testimonium posteris Abrahae, vere eos esse populum Dei, et admoniti hoc signo debebant credere, se vere propter promissionem habere Deum propitium. Hic fuit principalis usus circumsionis, ut docet Paulus, Rom. 4. cum ait, Circumcisionem esse sigillum iustitiae fidei, id est, testimonium, quo fides magis confirmatur, nam accepto signo statuimus ad nos pertinere promissionem. Sic et de Coena Domini sentiamus, eam esse Sacramentum, id est, testimonium additum Evangelio, ut nos admoneat vere ad nos pertinere promissionem Evangelii et beneficia Christi.

Sciant igitur pii, utendum esse integro Sacramento, sicut Christus instituit, et cum sumunt corpus et sanguinem Domini, Christum adesse et efficacem esse. Cum autem quaeritur, ad quid prosit manducare, recte respondetur, prodesse ad confirmandam fidem, quia est testimonium, quo admoniti statuere debemus, vere ad nos pertinere beneficia Christi. Exhibet tibi Christus corpus suum, ut donet tibi sua beneficia, ut testetur te esse membrum pro quo passus est, quod velit servare, in quo velit esse efficax contra Diabolum. Exhibet sanguinem, ut scias te sanguine ipsius ablutum esse. Prodest igitur manducare agentibus poenitentiam, et fide intuentibus in mortem et resurrectionem Christi, et credentibus propter hunc Mediatorem Deum vere propitium esse, vere nobis ignoscere, nos exaudire, et invocantibus hac fide Deum et Dominum nostrum Iesum Christum, et pro tanto beneficio gratias agentibus. Haec concurrere in usu necesse est. Nec prodest ceremonia sine poenitentia et sine fide.

Quid de Missa sentiendum est?

Sacramenta extra usum a Christo institutum, non sunt Sacramenta, ut si quis aquam baptismi circumferret, etiamsi verba adderet, theatrico more, nequaquam esset baptismus, et is cultus esset impius, ita cum ex Coena Domini fit oblatio, Item cum applicatur pro vivis et mortuis, nequaquam est Sacramentum a Christo institutum. Cum autem sacrificuli in Missa offerant panem et vinum sine ullo mandato Dei, et applicent pro vivis et mortuis, fugiendae sunt tales Missae, tanquam idololatricae. Nec opus ipsum potest aliis mereri remissionem peccatorum, quia oportet singulos accaipere remissionem peccatorum, Gratis propria fide, quae nititur Christo, nonnullius humani operis merito. Pugnat igitur adplicatio pro aliis cum doctrina de fide. Denique non magis est sacramentum in Missa papistica, quam Turcica aut Iudaica circumcisio est sacramentum. Dixit autem coelestis vox: Fugite idololatriam.

FINIS.

IV. ENARRATIO SYMBOLI NICENI

COMPLECTENS ORDINE DOCTRINAM ECCLESIAE DEI FIDELITER RECITATAM.

Edita Wittebergae anno M. D. L.

Caspar Cruciger, an. 1527. in Academiam Witebergensem vocatus, ut scripturam sacram interpretaretur et in templo arcis concionaret, an. 1545 *) ibi de consilio et sententia Melanthonis inchoavit enarrationem Symboli Niceni, quippe cuius auctoritas, post scripta prophetica et apostolica et Symbolum Apostolorum, praecipua fuit in Ecclesia. Huius enarrationis initium edidit a. 1548. sic inscriptum:

> ***Casparis Crucigeri de iudiciis piarum Synodorum sententia, initio enarrationis Symboli Niceni exposita. Witebergae*** **1548. 3 plagg. 8. **)**

quod eodem anno in linguam germanicam translatum est cum hocce titulo:

> Von den Symbolis vnd Conciliis: Vnterricht, durch D. Caspar Creuciger. Geschrieben in der Auslegung vber das Symbolum Nicenum. Vnd aus dem Latein vordeudscht. Wittemberg, Ge. Rhau. 1548. **6 plagg. 4.***)**

Ad illum libellum spectant epistolae a Melanthone ad H. Baumgarterum d. 8. Maii 1548. scriptae verba extrema: Mitto tibi pagellas, ac spero initia enarrationis Symboli Niceni tibi placitura esse." (vide huius Corp. Vol. VI. p. 901.). †) Postea cum inchoatam explicationem immatura mors Crucigeri 16. Nov. 1548. abripuisset, partem eius magnam pertexuit Melanthon, quam opposuit calumniis et mendaciis illorum, a quibus post mutationem, quam Germaniae funestum bellum anni 1546. attulit, iniustissime praegravatas et acerbissime traductus est. De hac enarratione ab ipso magna ex parte pertexta et a. 1550. edita Melanthon in praefatione, quam ei praefixit, haecce refert:

---

*) Hunc annum conlicere licet ex hocce principio praefationis, quam Ioh. Sturio Explicationi Melanthonianae Symboli Niceni ab ipso a. 1561. editae infra recensendae praefixit: Anni sunt sedecim, cum in Academia Witebergensi enarrationem Symboli Niceni inchoavit reverendus vir Caspar Cruciger sacrae Theologiae Doctor" etc.

**) Hic libellus in Biblioth. senat. Norimb. asservatur.

***) Haec etiam interpretatio, quae a Hirschio in Millenario II., p. 32. nr. 932. et a Strobelio in l. Neue Beytr. z. Litt. T. I. fasc. 1. p. 154 sq. recensetur, in Biblioth. senat. Norimb. exstat.

†) His verbis Bretschneiderus in inferiore margine hanc adscripsit: „Ex epistolarum serie intelligitur, enarrationem Symb. Nic. non a. 1550., ut Mylio visum est, sed anno 1548. prima vice prodiisse." Ex hac annotatione elucet, Bretschneidero certe tunc illum libellum ignotum fuisse, quapropter opinatur, haec verba ad integram Symboli Nic. enarrationem spectare, quam demum a. 1550. prodiisse Mylius recte affirmat, in Chronologia scriptorum Ph. Melanchthonis fol. F 4b ad h. a. Praefationi vero huius enarrationis a. 1550. editae ille ipse recte adnotavit, ***partem eius*** iam prodiisse a. 1548. (vide huius Corp. Vol. VII. p. 578.).

„Sint igitur et dogmata Ecclesia nota, et extent proprietate verborum quasi septa et munita. Eamque ob causam initio Symbola condita sunt, ut summa doctrinae in conspectu esset recitata propriis verbis, ut iisdem syllabis hae res praecipuae ubique in Ecclesiis proponerentur.

Ac nunc quoque in diiudicatione controversiarum quarundum simili diligentia opus esset. Cum autem hae tantae res non sint curae summis gubernatoribus, nos in scholis decet curare, ut extet doctrinae summa, quantum fieri potest, sine ambiguitate recitata; quia nos in scholis subinde praecipua doctrinae capita repetere, ut fit in puerili *κατηχήσει*, necesse est.

Haec igitur enarratio Symboli Niceni a *Casparo Crucigero* instituta est pio consilio, ut quasi evoluta Symboli doctrina proponeretur, et ordo magis conspici posset, distributis partibus Symboli in membra: voluit etiam testari, nos reverenter amplecti et tueri haec Symbola, gravissima auctoritate tradita, et quidem retinere nativam eorum sententiam.

Id consilium cum alii probarent, et quidam docti, pii et graves viri eam partem, quae edita est,*) prodesse piorum studiis iudicassent, rursus eam edidimus, additis aliquot capitibus, addituri etiam cetera, si hic labor vobis probabitur."

Haec Enarratio Symboli Niceni, et Crucigeri initium a. 1548. editum, nempe priorem *De iudiciis Synodorum* partem, et Melanthonis continuationem cum eiusdem praefatione continens, prodiit a. 1550. sic inscripta:

Enarratio Symboli Niceni, complectens ordine doctrinam Ecclesiae Dei fideliter recitatam, cum praefatione Phil. Melanthonis ad Doctores Ecclesiae Dei in Saxonia. Accesserunt priori editioni plures Symboli partes. Viteberyae. Ex officina Ioh. Lufft. 1550. 20 plagg. 8.**)

Haec Ed. repetita est primum *Basileae* cum hocce titulo:

Symboli Niceni | Enarratio, comple | ctens ordine doctrinam Ec- | clesiae Dei, fideliter | recitatam. | Cum praefatione Philippi Melan- | thonis, ad Doctores Eccle- | siae Dei in Saxonia. | Accesserunt priori editioni plures | Symboli partes. | Basileae. sine anni indicio. $15\frac{1}{2}$ plagg. litt. A—Q (Q $\frac{1}{2}$ plag.) sign., 245 pagg. num., ult. 3 pagg. albae, 8. min. (pag. 3—9. Phil. Melanthonis praefatio ad Reverendos viros, doctores Ecclesiae Dei in Saxonia, et in vicinis regionibus 1550. die S. Marci Evangelistae [i. e. 25. April.] scripta; p. 10—245 [fol. Q 3^a] Enarratio Symboli Niceni, complectens ordine doctrinam Ecclesiae Dei, fideliter recitatam, cum 10 annotatt. pag. 12—23. in margine adscriptis; fol. Q 3^b — 4^b vacant). ***)

Deinde Casp. Peucerus a. 1562. hanc Enarrationem in suae *Collectionis Witebergensis Operum* Melanthonis Partem I. (*Witebergae excudebat Ioh. Crato. Anno M. D. LXII.* Fol.) recepit, in qua loco extremo fol. 388^a — 442^b legitur (cum 378 annotationibus marginalibus) sic inscripta:

Enarratio Symboli Niceni complectens ordine doctrinam Ecclesiae Dei fideliter recitatam. Edita anno M. D. L. Cum praefatione Philippi Melanthonis, ad Doctores Ecclesiae Dei in Saxonia.

Ex hac Parte hic liber h. l. recuditur, omissa tamen praefatione, quippe quae iam in huius Corporis Vol. VII. p. 575—579. exhibita est.

---

*) Haec spectant ad illud enarrationis *Crucigeri* initium (de iudiciis Synodorum) a. 1548. editum.

**) Haec Ed. ab Hirschio in Millen. III. p. 95. nr. 979. et a Strobelio l. l. p. 155. recensita invenitur in Biblioth. senat. Norimb.

***) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

ENARRATIO SYMBOLI NICENI,

COMPLECTENS ORDINE DOCTRINAM ECCLESIAE DEI FIDELITER RECITATAM.

Ideo Symbola condita sunt in Ecclesia Dei, ut doctrinae summa breviter comprehensa, semper in conspectu sit, et docti et indocti non mutilam doctrinam, sed quasi corpus integrae doctrinae secum in mente circumferant, et hac confessione se erudiant et confirment, et eam in omni invocatione intueantur. Sed tamen semper ad haec brevia Symbola adiunxit Ecclesia longiorem explicationem, et collegit testimonia a Deo tradita, ut sciamus, unde sumta sit doctrina in Symbolis proposita, et fides nitatur, non humanis sententiis, sed perspicuo verbo Dei.

Hanc Ecclesiae diligentiam cum imitari nos quoque deceat, explicabimus ordine singulos articulos, Deo iuvante, et testimonia sumta ex verbo Dei, non male detorta, sed recte accommodata, illustria et firma addemus, et veterem ac verum consensum Catholicae Ecclesiae Dei fideliter recitabimus, et sequemur. Cum enim Deus ita condiderit Ecclesiam, ut simul et patefecerit sese, et certam vocem ediderit de sua essentia et voluntate, iuxta quam vocem agnosci, invocari, et coli se praecipit, et hac voce discernat se ab omnibus commenticiis numinibus, nequaquam licet hominibus ullis novas opiniones de Deo gignere, ut Ethnici et Haeretici horribiliter luserunt fingendis opinionibus, Sed unam, puram et incorruptam vocem a Deo traditam in Ecclesia omnes sonare debemus.

Cum autem Diabolus ardens odio Dei, ut eum contumelia afficiat, semper impulerit, et impellat levia ingenia ad spargendas falsas opiniones, et in hac ultima senecta mundi maiores confusiones opinionum fore metuendum sit, utroque modo pugnandum est, videlicet precatione et doctrina. Ut igitur filius Dei in aditu sui agonis, tanquam Summus Sacerdos Ecclesiae, precatur, ut doctrinae puritas servetur, inquiens: Pater sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas, Ita nos ad huius nostri sacerdotis precationem adiungamus nostros gemitus ac vota, et quotidie petamus, ne lux verae doctrinae extinguatur.

Te aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui condidisti genus humanum, ut inde tibi aeternam Ecclesiam colligas, cui sapientiam et bonitatem tuam communices, oro, ut propter Filium tuum regas mentes docentium et discentium, ut una, vera, et perpetua sententia Evangelii et verae Ecclesiae Catholicae Dei servetur omnibus temporibus, et sis efficax voce Evangelii tui, ut multi ad te convertantur, et te vera invocatione celebrent, et fiant haeredes aeternae salutis.

Priusquam autem enarrationem incipio, meam confessionem recitabo. Adfirmo coram Deo et Ecclesia, me Symboli Apostolici et huius Symboli Niceni Articulos omnes fideliter amplecti, et ab omnibus opinionibus pugnantibus cum hoc consensu Ecclesiae toto pectore abhorrere, et in hac fide Deum invocare. Sic cum et ego et alii in Ecclesia nostra sentiant, manifestum est, nobis falsissime obiici, quod ab Ecclesia Catholica seiuncti simus.

Ut autem sciant studiosi, quid sint Symbola, et quid agant Synodi condentes Symbola, de hac re pauca praefabimur. SYMBOLA vocarunt brevem articulorum seu omnium, seu praecipuorum doctrinae Evangelii collectionem. Et Apostolicum vetustius esse Niceno non dubium est. Nicenum autem in Synodo Nicena, quae a Constantino Imperatore convocata fuit, conditum est, in qua trecenti et octodecim fuerunt, qui sententias dixerunt, in quibus multi senes fuerunt, qui sub Diocletiano in suppliciis constantiam suam ostenderant, et ornati erant a Deo testimoniis miraculorum, fuitque Synodi summus gubernator Eustathius Antiochenus Episcopus, Nam doctrina de Filio Dei etiam antea Antiochiae gravissimis testimoniis illustrata fuerat, in refutatione Pauli Samosateni.

Sciendum est autem, Synodos nec condere, nec posse condere ullos novos articulos fidei, quia doctrina de essentia et voluntate Dei supra et extra conspectum humanae rationis posita, non potuit, nec potest ab ullis Angelis aut hominibus acie mentis creatae deprehendi, Sed a Deo ipso monstrata est Angelis, et patefacta edito certo verbo et illustribus testimoniis generi humano, quod verbum Ecclesiae Deus commendavit, et in ea propagari iussit, et eius verbi fide vult agnosci et invocari.

Ideo dictum est Iohan. 1. Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Et 2. Pet. 1. dicitur: Non humana voluntate allata est unquam Prophetia, sed a Spiritu sancto moti, locuti sunt sancti viri. Et 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Et Ephes. 2. Extructi super fundamentum Prophetarum et Apostolorum, existente lapide angulari Iesu Christo. Et Esa. 51. Posui verba mea in ore tuo. Et capite 59. Verba mea, quae posui in ore tuo.

Haec et similia dicta plurima in Prophetarum et Apostolorum concionibus clarissime testantur, non recipiendam esse ullam doctrinam de essentia et voluntate Dei, nisi hanc unam, quae per Prophetas et Apostolos tradita est. His enim commendavit verbum suum, quo se patefecit, et addit illustria testimonia, ut certo sciremus, quis sit Deus, ubi quaerendus, quomodo agnoscendus et invocandus sit, ne a vero Deo humanae cogitationes aberrarent, sicut Ethnici varie et horribiliter aberrarunt, et subinde nova numina audacissime finxerunt.

Cum igitur articuli fidei non alii sint, nisi quos certum est a Deo patefaciente per Prophetas et Apostolos traditos esse, quaeri potest, quid agant Synodi? Respondeo. Synodi non gignunt nova dogmata, sed tantum profitentur sententias prius in scriptis Propheticis et Apostolicis traditas, et ostendunt, quomodo intelligant haec dicta Prophetica et Apostolica, et testantur hunc intellectum ab Apostolis ad posteros transmissum esse.

Sunt igitur Synodi testes seu testificationes de aliquo veteri dogmate, quod testantur se amplecti, quia non sit commenticium seu novum, sed vera autoritate in ipsis scriptis Propheticis et Apostolicis traditum, quorum collatione convinci se ostendunt, eam sententiam, quam profitentur, veram esse. Adiuvari tamen Synodus et aliis certis testimoniis potest, quae per Apostolos tradita esse ex veris monumentis constat. Sic dicit Christus ad Apostolos Lucae ultimo: Vos eritis testes horum. Non vult eos nova dogmata gignere, sed testes esse de doctrina divinitus tradita.

Ut autem magis conspiciatur, qualis sit Synodorum diiudicatio, exempla intueamur. Cum Samosatenus in narratione Iohannis: In principio erat Verbum, negaret λόγον intelligi oportere de persona, et comminisceretur corruptelas, quae prophanis iudiciis concinnae videbantur, probatissimi senes convenerunt ex multis provinciis, ut errorem damnarent.

Hic nec Dionysio Alexandrino, nec Gregorio Neocaesariensi, nec ulli homini aut Angelo quantumvis magna sapientia et virtute praedito, haec potestas tribuenda fuit, ut de re tanta statueret suo iudicio, sine Dei voce, videlicet, mente Dei ab aeterno natum esse Filium, et hunc dici λόγον, et aliam esse Patris, aliam Filii personam, et hunc Filium cum Patre condidisse creaturas. Hanc tantam rem nulla creatura sine illustribus testimoniis adseverare potuit, nec adseverantibus angelis aut hominibus propria autoritate, de re tanta credendum est.

Tantum igitur hoc agit Synodus, profitetur quid didicerit ex scriptis Propheticis et Apostolicis, et ex ipsorum Apostolorum recenti sermone. Adfirmat igitur se credere, λόγον hic significare personam, et collatis aliis multis dictis, ostendit hanc perpetuam esse sententiam in scriptis Propheticis et Apostolicis. Testatur etiam se ab Apostolis hanc ipsam sententiam accepisse, et huius testimoniis memoriam tradit posteris.

Reiicit igitur impiam Samosateni corruptelam, quia scit eam pugnare cum vera sententia, quam Deus de Filio patefecit, et voluit extare in monumentis Propheticis et Apostolicis, et statuit execra-

bilem audaciam esse, et Diabolicum furorem, aliter de Dei essentia docere, quam sicut se Deus ipse patefecit.

Ex hoc exemplo adparet, quid agat Synodus, non gignit novum Articulum, aut novam interpretationem, sed testis est verae et incorruptae sententiae traditae in scriptis, et voce Apostolorum.

Sicut enim singulos privatim, tum pastores, tum alios, si quando contraria dogmata proferuntur, necesse est sua confessione testimonium suae fidei ostendere, qui non gignunt nova dogmata hac testificatione, Ita in Synodis multi suas confessiones recitant. Vult enim Deus esse iudicia doctrinae in Ecclesia, propter has quatuor gravissimas causas, quarum prima est, quia vult retineri veram doctrinam, et refutari falsam.

Secunda, vult collatione dictorum Propheticorum et Apostolicorum crudiri et confirmari imbecilliores, et errantes in viam revocari, quae etiam facienda sunt in Synodo.

Tertia, vult semper in Ecclesia coetum aliquem esse, confessione communi testificantem de doctrina, et ut sciri possit, quae et ubi sit Ecclesia, sicut scriptum est: Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi laudem. Et ut imbecilliora membra Ecclesiae passim sparsa confirmentur, et cognita doctiorum confessione, audiant, discant, rectius invocent Deum, et se ad illum coetum, qui vere est Ecclesia, sua confessione adiungant. Idque praeceptum est omnibus: Et tu conversus, confirma fratres tuos. Item: Credidi, propter quod locutus sum. Item 1. Pet. 2. Vos estis genus electum, populus peculiaris, ut virtutes enarretis eis, qui vocavit vos ex tenebris in lucem admirandam.

Ita confessio Synodi Nicenae edita est, ut alii imbecilliores erigerentur, qui consideratis fontibus, et adiuti horum testimoniis, deinde ad hanc se confessionem adiungebant, et sciebant iam, quae et ubi esset vera Dei Ecclesia. Et nunc confessio docentium in nostris Ecclesiis consentiens, est velut vox Synodi, in qua testimoniis perspicuis et evidentibus refutamus errores, et ad veram invocationem, et ad veros Dei cultus Ecclesiam revocamus.

Quarta, quia vult Deus propter posteritatem edi subinde aliquorum consentientem confessionem, ut etiam posteritas erudiatur et confirmetur.

Propter has causas sunt in Ecclesia iudicia de doctrina, quae Synodi vocantur, et sunt verae Synodi, cum recte iudicant, id est, cum veram confessionem seu veram testificationem edunt, quocunque modo conveniant, sive regum autoritate, sive privatis studiis, ut convenerunt Maria, Elisabeth, Zacharias, item Apostoli, item vicini Episcopi in causa Samosateni, et multa sunt talia exempla.

Sed illi, qui amplificant potentiam Pontificum et Synodorum, contra disputant, Clamant nos pugnantia dicere, fateri esse oportere iudicia in Ecclesia, et tamen dicere, Synodis non licere gignere novas interpretationes, et posse contradici Synodo gignenti novam interpretationem. Haec oratio, inquiunt, auctoritatem iudiciorum labefacit. Imo ut in civilibus controversiis valet principis aut praetoris interpretatio, propter gradum et munus personae, ita valeat in Synodis rerum iudicatarum autoritas, nec privatorum reprehensione ea, quae semel publico consilio decreta sunt, deleantur. In hanc sententiam multa plausibiliter a viris politicis dici solent.

Ad haec respondendum est, iudicia et executionem in Ecclesia aliquo modo discrepare a civilibus iudiciis. Deus vult in dubiis disputationibus civilium controversiarum valere regiam et praetoriam autoritatem, ut si aliquis finis civilium discordiarum, et mediocris sit tranquillitas, etiamsi quid erroris est in interpretatione regia aut praetoria. Et in talibus negotiis minus erratur, quia subiecta sunt humanae rationi, ut numerorum intellectus etc. Deinde vult gladio coerceri eos, qui rerum iudicatarum autoritatem labefaciunt. Alioqui nunquam finis esset discordiarum.

Sed in iudiciis doctrinae in Ecclesia, non habent Synodi Episcoporum aut similium doctorum autoritatem regiam aut praetoriam, id est, interpretatio eorum non valet propter gradum aut locum. Nec iam de Prophetis et Apostolis loquor, quorum valet interpretatio propter manifesta Dei testimonia, sed de hac communi vocatione Episcoporum et Doctorum loquor. Horum sententiae sunt, confessio seu testificatio, quid intelligant. Nec necesse est eis propter locum adsentiri, Sed auditor ab eis adiutus, quaerit in dictis Propheticis et Apostolicis causas interpretationis. Et cum constat eos errare, necesse est contradici, quia, si quis Angelus de coelo aliud Evangelium docuerit, anathema sit, Ita nunc necesse est errores Synodi Tridentinae taxari.

Nec id obstat quod obiicitur, non fore finem dissensionum, quia in mundo talia dissidia semper fuerunt, sunt, et erunt, donec ea Deus diiudicat. Nunquam maior pars principum et populi Iudaeorum adprobatura erat doctrinam Apostolorum. Sed Deus tandem deleta eorum republica eos refutavit, et hac, ut ita dicam, executione suae sententiae,

finem eius dissensionis fecit. Interea vero Apostoli a principibus Iudaeorum interficiebantur. Ita nos expectemus Dei iudicium, et interea saevitiam hostium doctrinae sustinendam esse sciamus.

Cum igitur Deus semper aliquem coetum confitentem servet, et inter tantas dissensiones omnibus temporibus sint aliqui recte sentientes, qui iudicant, tenenda est regula, audiendam esse Ecclesiam, quae Evangelium sonat, ab ea doceri nos sinamus, sicut dixit Samson: Nisi mea vitula arassetis, non invenissetis, id est, non audivissent vocem Evangelii Gentes, nisi Ecclesiam populi Israel docentem audivissent.

Sic omni tempore sciamus Ecclesiam audiendam quidem esse, sed credendum verbo Dei, ut audiebant pii Synodum Nicenam, sed fides non nitebatur humana autoritate, non amplectebantur articulum de re tanta propter hunc coetum, sed propter certa et illustria testimonia tradita in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Hoc discrimen tenendum est, et suus honos Ecclesiae tribuendus, nec contemnenda est verae Ecclesiae confessio, nec omnes Synodi sine discrimine contemnendae sunt, sed servetur Pauli regula: Explorate spiritus, an ex Deo sint. Consideretur, quae dicta Prophetica et Apostolica, et quae testimonia purioris Ecclesiae, Synodus secuta sit. Si dissidet a scriptis Propheticis et Apostolicis Synodi sententia, necesse est eam reiici, ut Paulus praecipit: Si Angelus de coelo aliud Evangelium docebit, anathema sit. Ut Synodi coactae Arimini, et in oppido Pannoniae Syrmio Constantii tempore corruperunt puram doctrinam de Filio Dei. Sed cum agnoscimus decretum alicuius Synodi, cum testimoniis Propheticae et Apostolicae doctrinae sine sophistica intellectis congruere, et esse veterem et incorruptam Ecclesiae doctrinam, veritati obtemperandum est, et pias mentes confessio recte sentientium confirmat.

Sunt et hoc monendi lectores, quod nunc disputatur. Ante cognitionem non sunt cogendae Ecclesiae, ut promittant se Synodi decretis obtemperaturas esse, ut si nunc postuletur, ut omnes promittant se obtemperaturos esse decretis Synodi Tridentinae. Id ante cognitionem non est postulandum, quia Synodi sunt iudicia ordinaria, quae redduntur in invitos, ut dici solet, Estque mandatum Ecclesiis, ut legitimam cognitionem instituant, qua instituta, si recte pronuntiatum fuerit, obtemperandum est. Et si quis non obtemperat, iuste punitur.

Sin autem non recte pronuntiatum fuerit, pios adversari decreto Synodi necesse est. Et si defensores Synodi volent eius autoritatem tueri, pii ferant iniuriam, et se Deo iudici commendent, sicut Apostoli condemnati a Synagoga iniuriam ferebant.

Haec vera sunt. Sed nunc hostes verae doctrinae, et summam potentiam tenentes pugnant, ut sine contradictione recipiantur decreta suarum Synodorum qualiacunque, ut confirment opinionem, Synodos habere regiam autoritatem, ac oportere interpretationem Synodorum de doctrina recipi, sicut in legum civilium iudiciis necesse est regum interpretationem recipi. Haec etiam recensui, ut illustrior sit differentia Synodorum, et civilium iudiciorum.

Quaerunt et hoc aliqui: Cum duo sint coetus in Ecclesia, inter sese dissentientes, unde sciendum est, uter recte sentiat, cum uterque pro se citet scripturam, et saepe pars quae errat, successionem ordinariam teneat, antecellat autoritate, et multitudine, habeat pro sua opinione Patrum exempla et scripta, habeat et longae consuetudinis testimonium, quae multum apud homines valet. Unde igitur aut ipsi iudices sument certam sententiam, aut populus sciet, utri recte sentiant? et cur necesse sit adsentiri Nicenae Synodo, et non Ariminensi?

Hic decurrunt viri politici ad similitudinem civilium iudiciorum. In his si qua est ambiguitas legum, sequenda est interpretatio praetoris aut principis, et propter hunc gradum valet interpretatio. Ita dicunt viri politici eius Synodi interpretationem valere, quae legitimo modo ab ordinaria potestate collecta sit. Deinde dicunt, non ex solis scriptis Propheticis et Apostolicis, et Symbolis pronuntiandum esse, sed etiam ex consensu, qui in praecipuis Scriptoribus Ecclesiasticis extat, ut, cum plerique omnes nominant Coenam Domini sacrificium, aut plerique omnes nominant satisfactiones, aut mentionem faciunt invocationis mortuorum, hunc consensum aiunt sequendum esse sine contradictione. Et hunc consensum dicunt Groperus, Vuicelius, et multi alii, normam immotam esse in Ecclesia, Singulos homines errare posse ac potuisse, sed communem vocem Catholicae Ecclesiae non posse errare. Haec imaginatio plausibilis est, et quia congruit cum politicis opinionibus, et quia videtur normam monstrasse commodiorem, cum adprobet id, quod propter consuetudinem gratius est.

Sed opponenda est huic imaginationi haec immota sententia: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Ubi manifesta sunt dicta Prophetica et Apostolica, et manifestum est, dissentire consuetudinem aut scriptores, quorum plurimi imitan-

tur suae aetatis ritus, ibi facilis est diiudicatio. Necesse est enim anteferri vocem Dei dictis hominum. Ut in populo Israel manifestum mandatum erat, ne plura templa conderentur. Etsi igitur consuetudo erat, plura condere, tamen Prophetae ea damnabant. Et habebant expressum mandatum voce Moisi traditum. Inde populo facile erat iudicare, utri recte sentirent. Erat alia multo obscurior quaestio de Messia, an habiturus esset imperium politicum, an vero sine imperio in hac vita futurus, et futurus victima esset. De hac quaestione maxima pars populi et doctorum omni tempore sensit, eum imperium mundi occupaturum esse. Reclamabant pauci, sed habebant expressa testimonia Prophetarum, quae sine ambiguitate adfirmabant Messiam fore victimam. Haec Prophetarum dicta anteferenda erant contrariis opinionibus multitudinis.

Ac de talibus, ubi convinci homines testimoniis manifestis possunt, facilis est diiudicatio, ut nunc de multis articulis de coniugio, de discrimine ciborum, imo de Missa, adplicationem ex opere operato non mereri aliis remissionem.

Sed unde erunt certi homines in locis obscurioribus, in quibus videtur ambiguitas esse? Respondeo: Quando Patribus, aut Prophetis, aut Apostolis data est vox promissionum seu Evangelii, et quando ipsi primum docuerunt, Deus addidit manifesta testimonia, scilicet miracula, quae ostenderent, eam doctrinam divinitus traditam esse. Sed nunc post promulgationem et confirmationem doctrinae non petantur nova miracula, etsi semper in Ecclesia sunt miracula, sed tamen non omnia convincunt impios.

Sit igitur postea certitudo ex ipsis dictis Propheticis et Apostolicis, quorum nativam sententiam in collatione agnoscimus. Nec illud verum est, quod dicitur, Literam ambiguam esse. Et quanquam inimici veritatis proprie dicta variis cavillationibus eludere possunt, tamen sicut Deus semper servat aliquem coetum, qui est vera Ecclesia, ne desint ullo tempore testes de vera doctrina, seu multi, seu pauci: ita illa vera Ecclesia inter caetera dona Spiritus sancti et hoc habet, quod re ipsa est fides, qua mentes cedunt verbo DEI, nec anteferunt humanam sapientiam, Sed ut Paulus praecipit, redigunt se in hanc piam captivitatem, ut obediant Christo, sicut 2. Corinth. 10. scriptum est. Et haec ipsa fides seu adsensio amplectens dicta Apostolica in ea sententia, quam collatio ostendit esse nativam, re ipsa est donum interpretationis, quod est lux fidei, crescens in ipsis exercitiis poenitentiae, in pavoribus, in persecutione et consolationibus, ut scriptum est: Eloquia Domini casta, argentum purgatum septuplum.

Nec tamen desunt huic verae Ecclesiae testimonia priorum temporum quia Deus subinde excitavit testes veros, et aliquorum monumenta propter posteros servat, sicut et nostram confessionem praelucere vult posteris. Et haec vera Ecclesia discernit scriptores sinceros ab insinceris. Certi sunt igitur et pii iudices, et pii auditores ex ipsis fontibus Propheticis et Apostolicis, et ex aliis sinceris testimoniis Symbolorum, et congruentibus probatiorum scriptorum asseverationibus. Et haec satisfaciunt piis, quia in eis fides lucet, quae cum reverenter amplectatur verbum Dei, et Dei sapientiae se subiiciat, nec anteferat humanam, re ipsa donum est interpretationis. Acquiescit igitur hoc modo vera Ecclesia, contenta mandato isto: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite.

Quod autem reclamant impii, nondum sibi hoc modo satisfactum esse, quia non satis evidenter ostensum sit, cur retineat Athanasius proprietatem in hoc dicto: Et verbum erat Deus, et nolit retinere in altero: Pater maior me est. Talium clamorum finis non erit in hac confusione generis humani, Semper erunt aliqua Diaboli organa, quae veritati adversentur. Habet causam Athanasius, quare proprietatem hic retineat, Et verbum erat Deus, quia postea mox additur de omnipotentia, per hunc Filium omnia condita esse, et accedunt plura illustria testimonia. Haec etsi non satisfaciunt Arianis, tamen sufficiunt piis cedentibus verbo Dei. Nec diiudicatio alia per homines evidentior fieri potest. Sed Deus tandem diiudicat tales controversias, deleta una parte.

Magnum hoc tempore certamen est de hac propositione: Propter Filium Dei gratis donantur remissio peccatorum, et imputatio iustitiae, et haec fide accipi oportet. In hac sententia tenemus τὸ ῥητὸν apud Paulum, alii corrumpunt adfingentes alia, dicut non GRATIS dari remissionem, sed propter certa opera, excludi autem tantum Moisi ceremonias. Item dicunt non accipi fide, nec opus esse hac fide, qua credas tibi remitti. Cum autem haec interpretatio manifeste pugnet cum textu, magna causa est, cur suspecta esse debeat. Deinde nostra sententia non solum retinet proprietatem congruentem cum tota scriptura, sed etiam confirmatur exercitiis verae poenitentiae. Ibi conspicitur, non acquiescere mentes, nisi agnoscant gratuitam esse remissionem. In his exercitiis accenditur lux, quae est donum interpretationis. Tertio congruunt et meliorum Scriptorum testimonia.

Erasmus in Diatriba de libero arbitrio, deri-

dens eos, qui detrahunt autoritatem gradibus gubernatorum et eruditioni, opponit contraria etiam nihil ad rem facientia. Nihil facit ad rem locus Episcopi aut Philosophiae cognitio, Audio, inquit, Sed etiam nihil facit ad rem gradus infimus hominis privati, aut inscitia literarum.

Utrumque vere dicitur, quia hic fit mentio rerum, quae non solum non principaliter requiruntur in iudice, sed etiam non requiruntur ut instrumenta, seu ut causae adiuvantes minus principales, ut Deus toties praecipit, ut doctor seu iudex in Ecclesia sit eruditus, hoc est, recte didicerit doctrinam coelestem, ut Malachiae 2. Legem requiram ex ore Sacerdotis. Et Matth. 13. Sic erit omnis Scriba doctus. Et ad Timotheum: Episcopus sit idoneus ad docendum. Obtemperemus igitur mandatis Dei, et quaeramus ac eligamus doctos iudices potius, quam indoctos. Nam et horum aliquos habere Spiritum sanctum, non dubium est, Ac loquor de doctis in Ecclesia, hoc est, de iis, qui recte didicerunt doctrinam coelestem, et amant veritatem, et bono studio inquirunt eam, et longo usu, et exercitiis fidei, aluerunt eruditionem, et quos vita ostendit non esse prophanos, aut fascinatos superstitione. Etsi enim pii et docti non admoniti errare possunt, tamen recte potest Erasmo responderi: Aliquid facit ad rem cognitio doctrinae coelestis in hominibus piis. Inde igitur iudices deligantur.

Cur igitur multi sunt errores et horum, ut Bernhardi, Bonaventurae, aut similium? Quia non sunt admoniti. Si nunc viverent Bernhardus et Bonaventura, existimarem eos tuto eligi posse ad iudicandas controversias, ubi nostram explicationem audivissent. Certe de fundamentis in Ecclesia inter saniores consensum esse necesse est, etiamsi alii magis, alii minus proprie locuti sunt, hoc est, de articulis fidei, et praecipuis locis doctrinae Evangelii. Et si quis prudenter considerat omnium temporum scripta, animadverte subinde fuisse aliquos, qui purius docuerunt. Basilius, Ambrosius, Bernhardus, de praecipuis materiis consentiunt, sed adhibeantur in eorum lectione dexteritas iudicii et candor, et considerentur, quae cuiusque perpetua sit sententia, non excerpantur dicta impropria, qualia multa excidunt omnibus, etiam diligenter loquentibus. Et tamen multis scriptoribus defuisse et rationem explicandi, et diligentiam, manifestum est.

Nec propterea Augustinum aut Bernhardum abiicio, quia aliquid habent errorum, quos, si admoniti fuissent, correcturi erant. Saepe enim fit, ut sancti supra fundamentum, quemadmodum inquit Paulus, extruant stipulas. Ita etsi Bernhardus recte de articulis fidei, et recte de remissione peccatorum docuit, tamen miscuit stipulas, invocationem mortuorum, et superstitiosam observationem votorum. Multum enim singulis temporibus valet publica, eius aetatis persuasio, quae plerumque aliquid erroris miscet doctrinae. Sed tales errores deprehendi et emendari possunt, cum reditur ad fontes, id est, ad scripta Prophetica et Apostolica, et ad Symbola.

Haec recitavi, ut de certitudine dogmatum cogitantes, quaeramus unde sit certitudo, et quorum testimoniis adiuvetur. Est enim certitudo ex ipsis dictis a Deo traditis, quibus addit testimonia illustribus miraculis, ut resuscitatione mortuorum, et aliis, quorum dictorum nativa sententia ex proprietate verborum, et ex collatione Propheticarum et Apostolicarum concionum sumi potest. Et cum his dictis aliqua certa et perspicua testimonia Symbolorum ac probatorum Scriptorum, qui Apostolos aut eorum discipulos audiverunt, congruunt. Quare aliqui pii firma adsensione amplectuntur dicta divina, qui moventur et nativa significatione sermonis divini, et adiuvantur veteribus testimoniis, et quia non anteferunt suam sapientiam voci divinae, sed in obsequium Christi, ut Paulus inquit, sine contumacia recipiunt sermonem divinum, confirmantur a Spiritu sancto, ut Iohannes inquit: Unctio docet vos, scilicet, per sermonem divinum.

Sic acquiescunt pii in dictis divinis. Et quanquam iuvantur testimoniis aliquibus Ecclesiae, tamen credunt propter dicta divina: Fides in invocatione filii Dei, nititur sermone divino, non decreto Synodi, sed tamen audimus Ecclesiam docentem, testificantem, et auditores confirmantem, sicut ad Petrum dictum est: Et tu conversus, confirma fratres tuos. Interea magna est multitudo impiorum, qui suam sapientiam anteferunt sermoni divino et satisfieri sibi nolunt, nec videri volunt perspicue convicti, qui in hac contumacia magis excoecantur, ut Rom. 11. dicitur: Obscurentur oculi eorum, ne videant. Manent igitur certamina propter impiorum pertinaciam, sed propter hanc non existimetur sermo divinus incertus esse, et similis foliis Sibyllae, Sed sunt aliqui pii, qui firma adsensione eum amplectuntur, ut dixi, et tandem Deus refutat pertinaciam impiorum insigni exemplo, deleta tota factione, sicut delevit Pharaonem, Ierosolymam post praedicationem Apostolorum, Manichaeos, Arianos, et alios. Talia sunt Ecclesiae certamina, nec dirimi possunt per homines, autoritate regia aut praetoria, sicut controversiae forenses de civilibus negotiis dirimuntur.

Hanc totam commemorationem de Synodis veram esse certum est, et profuturam esse piis spe-

ro, quia hinc discunt fidem niti sermone divino, Sed tamen pios doceri et confirmari posse testificatione piarum Synodorum.

SYMBOLUM NICENUM.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.

Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis.

Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, et homo factus est.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est.

Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris.

Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit.

Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.

Et unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.

Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.

Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi.

Amen.

PRIMUS ARTICULUS SYMBOLI NICENI.

Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν παντοκράτορα.

Symbolum breviter complectitur doctrinam in Propheticis et Apostolicis scriptis traditam de essentia Dei, de Personis, de creatione et redemtione generis humani, de beneficiis filii Dei, de Ecclesia, de futuro iudicio, et praemiis ac poenis aeternis.

Ut autem primum praeceptum Decalogi ordi-tur ab agnitione Dei, ita primus et praecipuus articulus in Symbolo concionatur de vera agnitione Dei, qualem se in Ecclesia inde usque a principio generis humani patefecit.

Necesse est enim firmissime tenere hanc doctrinam primi Praecepti, Adfirmativam et Exclusivam. Hic revera est Deus conditor coeli et terrae; et generis humani, qui se patefecit in Ecclesia dato verbo suo per Prophetas, Filium et Apostolos, Et hic verus Deus invocandus est, et dirigenda mens in invocatione ad hunc Deum, qui se patefecit. Ideoque in primo praecepto initio proponitur adfirmativa. Ego sum Dominus Deus tuus. Et ut agnosci, ac ab aliis omnibus commenticiis numinibus discerni possit, addita est descriptio, Qui eduxi te de terra Aegypti. Et Deut. 4. inquit Deus, se omnia miracula in eductione ex Aegypto fecisse, ut sciamus hunc Deum huius populi, qui et peculiari nomine Iehova discerni voluit ab aliarum gentium cultibus, vere esse Deum, et alios qui sine hoc verbo invocantur, non esse deos.

Deindeet Exclusiva additur, Non habebis alios Deos, ubi manifeste prohibetur invocatio omnium aliorum qui finguntur esse dii, praeter hunc verum Deum in Ecclesia patefactum.

Haec initio moneri de agnitione et invocatione Dei necesse est, ne misceamus religiones, et ut sciamus voluntatem Dei esse, ut sic invocetur, sicut se patefecit, et discernatur ab aliis commenticiis numinibus, ac ut mentes in invocatione hunc verum Deum intueantur, ut mox planius dicam.

Duo sunt autem praecipua discrimina verae et falsae invocationis, de quibus hic in principio Symboli commonefieri auditores maxime convenit, quia ideo traduntur Symbola, ut verus Deus agnoscatur, et discernatur a commenticiis numinibus, et recte invocetur. Suntque haec discrimina quotidie in omni invocatione et gratiarum actione cogitanda.

Prius discrimen est de essentia Dei, alterum de voluntate. Nam de essentia Dei errant omnes Ethnici, Iudaei, Mahometistae, quia nolunt hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis, et resuscitati. Negant aliquem esse filium Dei genitum ex Patris essentia. Negant Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere. Imo execrantur hunc conditorem, quem vera Ecclesia praedicat.

Etsi igitur nomen Dei retinent, et alii aliud fingunt esse Deum, tamen a vero Deo aberrant, sicut manifeste adfirmat Filius, inquiens: Qui Filium non adficit honore, nec Patrem honore adficit.

Iam hic considerantes qualia portenta finxerint Ethnici et alii, discedentes a patefactione divina, expavescamus et deploremus humanam coecitatem et audaciam, quae horribiliter lusit excogitatis tetris opinionibus de Deo et monstrosis cultibus. Magna pars, ut Epicurei et alii palam dixerunt nihil esse Deum. Alii, quia natura humana in metu quaerit aliquod numen a quo iuvetur, finxerunt innumerabilem turbam Deorum. Nam ut quisque angebatur, ita numen conveniens suo timori sculpebat, agricolae Iovem rectorem tempestatum, bellatores Martem. Simonides deum coluit Diem posterum, a quo peteret, ne postero die aliquid mali sibi accideret, quia secundae res nequaquam sunt diuturnae. Multi etiam amantes et aliis adfectibus insanientes, has ipsas cupiditates tanquam numina coluerunt, ut Cupidinem, et *ἀντέρωτα*. Hos furores imitati sunt homines in hac postrema senecta mundi, in haeresibus, et in invocatione mortuorum, ut Christophori, Georgii, et aliorum.

Alii sapientiores, ut Philosophi, quanquam dicebant Deum, unam quandam mentem esse, tamen diversissimas opiniones habuerunt, ut Stoici alligarunt Deum causis secundis, ac dixerunt eum, non aliter agere posse, quam sicut cient causae secundae. Imo et voluntati humanae libertatem ademerunt, ac senserunt eam necessario sequi impulsiones obiectorum, et Deum una ciere illas impulsiones ad scelera. Haec turpis opinio de Deo, non minus impia et execranda est quam Epicurea. Alii eruditi alia finxerunt. Euripides dubitat an Deus sit coelum ipsum, an vero aliud quiddam.

Haec ideo recensui, ut tam horribili errorum varietate considerata, expavescamus, et quaeramus in Ecclesia patefactionem divinam, et Deo reverenter gratias agamus, qui se patefecit, et verum Deum qui prodiens ex arcana sede sua, certis se testimoniis revelavit, et dedit promissiones suas, supra et extra conspectum creaturarum positas, agnoscamus, eumque in omni invocatione intuentes, discernamus ab omnibus aliis de Deo imaginationibus, et pectora nostra constanter muniamus contra illa spectra prophanarum imaginationum, et Deum oremus, ut sua luce nos regat, ne a veritate aberremus.

Alterum discrimen est verae et falsae invocationis de voluntate Dei. Errant Ethnici, Iudaei, et Mahometistae, et alii hostes Evangelii de voluntate Dei, quia nec possunt statuere, nec statuunt se exaudiri, cum promissiones ignorent et aspernentur, et accedere ad Deum sine Mediatore volunt. At filius Dei expresse dicit: Nemo potest venire ad Patrem, nisi per Filium. Cum igitur mens sine promissione, et sine agnitione Mediatoris non possit ad Deum accedere, manifestum est invocationem aliarum gentium, quae promissiones et Mediatorem contemnunt, damnatam esse.

Hanc admonitionem de discrimine verae invocationis et falsae, necessariam esse non dubium est, quam ut familiarem nobis faciamus, quoties incipimus precationem et gratiarum actionem, mente intueamur Baptismum Christi, et cogitemus tunc Deum clarissime se patefecisse, nec frustra aut solius Iohannis causa eam patefactionem factam esse existimemus, sed propter universam Ecclesiam.

Nec est otiosum spectaculum illa admiranda revelatio, cuius nulla similis legitur, sed est testimonium, quo manifeste ostendit Deus, vere sibi curae esse Ecclesiam, se adesse in Ecclesia, et velle nobis opem ferre. Mens igitur sciat hunc esse aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui ibi de Filio edit hanc vocem: Hic est Filius meus dilectus. Deinde Filium esse scias, hunc stantem in flumine, Spiritum sanctum vero specie columbae insidentem Filio.

Hanc patefactionem intuens, hunc Deum qui se illustri testimonio ibi ostendit, alloquaris, et tuam invocationem ab aliarum gentium invocatione seiungas, et ut te ad cogitationem huius discriminis magis exuscites, locum et tempus patefactionis illius cogites, et velut mente ingrediaris in illum hortum in ripa Iordanis, ubi inter Angelos et multos sanctos, qui una adfuerunt in Baptismo Christi, spectatorem et auditorem tantae revelationis te esse cogites, sicut vere sumus, cum fide nostram invocationem dirigimus ad Deum, qui ibi se Ecclesiae ostendit. Nec putemus solum Baptistam, spectatorem vel auditorem fuisse. Sed non dubium est, ibi magnos angelorum Deo placentium exercitus fuisse, et consentaneum est, adfuisse matrem Mariam, et multos Baptistae auditores.

Ad hanc patefactionem adiungito omnes alias in eductione ex Aegypto factas, quarum cogitatione fidem confirmes, et dirigas invocationem ad illum verum Deum, qui se ab initio in Ecclesia patefecit, et verbum et promissiones eius intuearis, et scias te non aliud numen invocare, nisi hunc verum Deum semper in Ecclesia patefactum, sapientem, veracem, iustum, castum, misericordem, sicut Prophetae et Apostoli nos ad has patefactiones deducunt, ut Act. 3. inquit Petrus, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob glorificavit Filium suum Iesum, quem vos tradidistis.

Sicut autem in invocatione cogitari hoc discrimen veri Dei a commenticiis numinibus necesse

est, ita in Symbolo, cum dicitur, Credo in unum Deum fides intueatur illas patefactiones, ut sciat quem Deum alloquamur, et cogitet testimonia omnium temporum ac promissiones, ut statuat vere nos recipi et exaudiri.

Primum autem sciendum est, nomen Dei usitate essentiam divinam significare. Primum igitur definitio Dei constituenda est, et de unitate essentiae dicendum.

Cum autem humanae rationi in creatione indita sit notitia Dei firma, quae cum post depravationem naturae non prorsus extincta sit, manet reliqua scintilla eius notitiae in toto genere humano, quia vult Deus in nobis manere legem, quae monstret ipsum, et deinde nostram inobedientiam horribilem arguat, accuset, et damnet. Ideo passim leguntur descriptiones Dei etiam extra Ecclesiam scriptae, apud alios aliae, quae prudenter diiudicandae sunt. Nam Stoica longius recedit a veritate, quae etiamsi dicit, Deum esse mentem aeternam tamen infundi eam in mundi corpora, eamque causis secundis sic alligatam esse, ut nec possit aliter movere, quam cient causae secundae.

Platonica, etsi est insufficiens, tamen eas proprietates continet, quae utcunque luce naturali de Deo sine patefactione divina cerni possunt. Est autem haec descriptio: Deus est mens aeterna, causa boni in natura. Tantum ratio naturalis utcunque videt, Deum esse substantiam, sine mole corporea, intelligentem, sapientem, veritatis amantem, iustam, beneficam, castam, vindicem atrocium scelerum, causam ordinis et bonarum rerum omnium in hac universitate mundi. Haec multi legentes in Philosophis, cogitant nullum discrimen esse inter Philosophiam et doctrinam Ecclesiae. Admonendi sunt igitur imperitiores, Platonicam descriptionem mutilam esse. Integram vero de Deo doctrinam, non in Philosophia, sed in Ecclesia Dei quaerendam esse, ubi se certis et illustribus testimoniis patefecit, ac suam doctrinam per scripta Prophetarum et Apostolorum servari et propagari voluit.

Sit igitur haec definitio Dei integra, sicut a Deo monstrata et per Prophetas, Christum et Apostolos propagata est. Deus est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, verax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensae potentiae et sapientiae, Pater aeternus, qui Filium imaginem suam ab aeterno genuit, et Filius, imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo, quod Pater aeternus, cum Filio et Spiritu sancto condiderit et servet coelum et terram, et omnes creaturas, et in genere humano condito ad imaginem suam et ad certam obedientiam, elegerit sibi Ecclesiam, ut ab ea haec una et vera divinitas patefacta certis testimoniis, et per verbum traditum Prophetis et Apostolis, agnoscatur, invocetur, et colatur, iuxta verbum illud divinitus traditum, et damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, et haec vera divinitas in tota aeternitate celebretur. Hanc definitionem sciamus non esse natam in ratione humana, ut Platonica definitio, sed doctrinam esse in Ecclesia revelatam inde usque ab initio.

Quod enim Deus sit essentia spiritualis, adfirmat Christus, inquiens, Iohan. 4. Deus est spiritus, id est, non est elementis, aut coeli natura conflatus. Sed alia quaedam essentia, quam in hac misera caligine mortalis vitae nondum intelligere possumus. Sed cernemus in illa aeterna consuetudine coram, ad quam nunc Ecclesia vocatur et colligitur.

Deinde quod sit Essentia intelligens, testantur haec verba in creatione, Dixit Deus. Dicere autem est substantiae intelligentis, non brutae.

Quod sit omnipotens, confirmatur ex eadem narratione in Genesi, In principio creavit Deus coelum et terram. Cum enim omnia condiderit, et quidem sine priore materia, sed dicendo, declaravit ipsa creatione suam omnipotentiam. Et Esai. 44. Ego sum Dominus conditor omnium, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nemo alius est, qui mecum id faciat.

Et voluntatem Dei liberrimam esse, et libere condidisse omnes creaturas, nec alligatam esse causis secundis, testatur dictum Psalmi, Omnia quaecunque voluit, fecit.

Deinde esse bonum et beneficum, veracem, iustum, misericordem, castum, probatur ex ipsa lege, quam non solum illustribus testimoniis in monte Sina terribili voce proposuit, sed inde usque ab initio generis humani saepe repetivit, et omnibus temporibus testatus est et testabitur exemplis horribilibus, displicere sibi facta contraria legi. Et in Psalmo dicitur, Non Deus volens iniquitatem tu es.

Sic et narratio de creatione hominis docet, qualis sit Deus. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Cum igitur mentibus humanis insitae sint leges praecipientes veritatem, iustitiam, beneficentiam, castitatem, necesse est in Deo tale iudicium et tales virtutes esse. Etsi autem hae notitiae in depravatione humanae naturae obscuriores sunt, et adsensio languidior est, tamen haec lux non est prorsus extincta, ut doceat nos, et esse Deum, et qualis sit, et sit testimonium de iudicio Dei.

Sequitur in definitione recitatio personarum. Haec vero est arcana et miranda sapientia longe extra et supra conspectum omnium creaturarum posita. Quare necesse est meminisse testimonia, in quibus se Deus ita patefecit, ut sciamus vere tres esse personas, quae sint tamen ὁμοούσιαι.

Ut autem haec recitatio intelligatur, necesse est primum enarrari haec vocabula οὐσίαν et personam. οὐσία est essentia quae vere est, non ut accidens in alio haerens. Persona vero est substantia, individua, intelligens, incommunicabilis. Initio autem Graeca Ecclesia nominavit ὑπόστασιν, quod Latini personam dixerunt, postea etiam, ne a Latinis dissentire viderentur, adpellarunt πρόσωπον, etiamsi hoc nomen Graecis aliud in veteri lingua significat.

Nunc igitur ad Symboli doctrinam redeo, et hunc primum articulum recito. Una est Essentia divina, aeterna, Pater aeternus, Filius λόγος qui est imago aeterni Patris, et Spiritus sanctus. Ac diligenter considerandae sunt hae regulae: Quoties divinitas intra sese describitur, discernuntur personae. Sed cum opponitur creaturis, mentio fit unius aeternae Essentiae. Altera regula est, Creatio et alia opera divina extra divinitatem, sunt communia opera trium personarum.

Cum autem de omnibus articulis aliqua perspicua testimonia semper meminisse necesse sit, addam hic unum atque alterum testimonium, de hoc primo articulo, videlicet, de unitate Essentiae divinae.

Deut. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est. Hoc dictum de essentia loquitur, et excludit a divinitate omnes creaturas, et omnia quae non sunt hic Deus, patefactus in hoc populo Israel. Non enim otiose posita est particula, Iehova, sed discernit hunc Deum in Israel patefactum, ab aliarum gentium commenticiis numinibus, quasi dicat, Hic Iehova patefactus in hoc populo Israel, et non alii, quos fingunt Aegyptii, Chaldaei, et alii. Ita monet, ut quaeramus Deum, qui se patefecit in vera Ecclesia.

Deut. 32. Videte, quod ego sim solus, et non est alius Deus praeter me.

Extant passim in Prophetis multa similia testimonia, quae prodest meminisse et saepe cogitare ut bene confirmentur mentes contra Ethnicos furores, et contra Valentinianos et Manichaeos, qui horribiliter lacerarunt veram doctrinam de unitate divinae Essentiae.

DE TRIBUS PERSONIS DIVINITATIS.

Sequitur altera pars Articuli de divinitate, quod videlicet tres sint personae ὁμοούσιαι, aeternus Pater, Filius λόγος, qui est εἰκὼν aeterni Patris, et Spiritus sanctus. Hic primum tenenda est definitio personae supra recitata, nec concedendum petulantibus ingeniis, ut praestiguis cavillationum corrumpant doctrinam, quam Deus ipse de sese patefecit.

Quaerat autem aliquis, quare tres personas divinitatis, et non plures aut pauciores esse adseveramus? Hic respondendum est, quia Deus sic se patefecit, cui necesse est adsentiri.

Describamus igitur personas, et testimonia certa colligamus, ut in invocatione Deum recte alloquamur. Pater aeternus, est persona divina, aeterna, non nata aliunde, sed cogitatione sui gignens ab aeterno Filium coaeternum, imaginem suam. Ac manifeste discernit se Pater a Filio in hac voce, cum dixit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Haec verba perspicue Patrem et Filium discernunt, quae quidem saepe cogitanda sunt, et ut nos confirment de hoc articulo, et ut nos commonefaciant de ingenti amore aeterni Patris erga suum Filium. Magna enim vis est horum verborum. Delector hoc Filio. Diligi a se hunc Filium adfirmat, et se eo laetari, et in eo acquiescere. Hoc autem ideo praedicat, ut cum docuerit, Ecclesiam propter hunc Filium recipi, fides fiat ardentior, cogitans vero et ingenti amore nos quoque diligi a Deo, quia Filii haereditas sumus, et propter eum recipimur, et eum audimus et celebramus.

Sunt autem eadem verba de Filio, quae edidit Pater in Baptismo Filii, apud Esaiam cap. 42. Ecce servus meus, sustentabo eum, electus meus, quo delectatur anima mea.

Difficile est homini statuere de providentia, curae esse Deo homines, sed hoc multo difficilius est, statuere, nos vere diligi, sicut pius pater vero amore erga liberos suos adficitur. Id autem statuere discamus, hac dulcissima voce confirmati, cum inquit Pater: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Ideo enim impressit Deus στοργὰς parentibus, ut sint commonefactiones de amore Dei, primum erga Filium, deinde erga genus humanum, quod condidit propter Filium. Cum igitur manifeste adfirmet vere a se diligi Filium, et non dubitandum sit amorem hunc verum, ardentem, et non frigidam cogitationem esse, ut Stoici imaginantur, statuamus nos quoque vere et ardenter diligi, cum Filium agnoscimus et celebramus. Haec verissima

sunt, etiamsi humanae mentis caligo et tristis dubitatio tantam magnitudinem amoris non satis agnoscit. Sed quoties de nostra στοργῇ erga liberos cogitamus, veniat in mentem hunc nostrum adfectum, vestigium Dei esse nobis impressum, ut nos de amore aeterni Patris erga Filium, et erga nos commonefaciat.

Nunc recito Filii descriptionem. Filius est Persona divina, genita a Patre cogitante ac intuente se ipsum, imago coaeterni Patris et ὁμοούσιος, non ex nihilo condita, ut Ariani dixerunt, sed genita ex Patris substantia, qui Filius postea fuit intercessor, inter Deum et Adam ac Hevam lapsos, et constitutus Mediator, adsumsit humanam naturam, ut pro nobis victima fieret, et crucifixus ac resuscitatus colligit aeternam Ecclesiam, et cum Patre in aeternum regnat.

TESTIMONIA.

Etsi passim sparsa sunt testimonia in scripturis Propheticis et Apostolicis de Filii divinitate, tamen in primo capite Iohannis, narratio maxime illustris Ecclesiae proposita est ad hunc articulum confirmandum, ubi etiam nomen Filio tribuitur, λόγος.

Vocatur autem λόγος, quia cogitatione nascitur, et est imago Patris. Nam Pater sese intuens et cogitans, gignit imaginem sui, communicata ipsi essentia.

Quanquam autem in creaturis, nihil huius generationis prorsus simile est, tamen cum Deus utatur adpellationibus humanis, aliquo modo umbras tantae rei in nobis vult considerari. Mens humana cogitans aliquid, pingit rei cogitatae imaginem, ut quoties cogitamus homines notos absentes, mente quasi deliniamus corporum figuras. Talis imago in nobis dicitur λόγος, verbum mentis, ut usitate in scholis dici solet. Sed nos non transfundimus substantiam in imagines illas in mente formatas, quae re ipsa sunt in nobis subitae et evanescentes actiones. At Pater aeternus gignit imaginem communicata ipsi essentia. Ex hac qualicunque collatione humanae mentis et cogitationis nostrae discamus adpellationes aliquo modo enarrare.

Est et alia usitata adpellatio, videlicet, imago aeterni Patris. Sic Paulus nominat Filium in Epistola ad Colossenses. Ut autem in nobis cogitatio format imagines, ita cum Filius cogitando gignatur, sitque λόγος, simul intelligi potest, esse eum Patris imaginem, quia et in humana mente λόγος est imago rei cogitatae.

Cum hac adpellatione congruunt duae, quae recensentur in Epistola ad Ebraeos, χαρακτὴρ substantiae Patris, et ἀπαύγασμα gloriae. Haec vocabula prorsus idem significant, quod imago. Et qualis sit imago, ostendit descriptio, quae additur. Imago substantiae, id est, substantialis, non evanescens, sed persona. Idem ἀπαύγασμα gloriae, id est, fulgor claritatis, hoc est, substantiae paternae. Ac similitudine illa fulgoris transmissi, significatur Filium esse ex substantia Patris, non ex nihilo, seu ἐκ μὴ ὄντων, ut Ariani dicebant. Sed, ut dicit Nicenum Symbolum, φῶς ἐκ φωτός. Postquam adpellationes utcunque declaratae sunt, nunc testimonia recitentur, quae ostendunt in Christo duas naturas esse, et divinam, videlicet λόγον, personam distinctam a Patre, et tamen ὁμοούσιον πατρὶ, et natura Deum esse.

Etsi autem passim sparsa sunt testimonia in Propheticis et Apostolicis scriptis, tamen Iohannes ideo suam narrationem ab hoc articulo exorsus est, ut in illustri loco extaret testimonium, ac omnibus in conspectu esset. Et quia in ipso exordio ponitur, magis adparet, non obiter aut casu ei haec verba excidisse, sed consulto institutam esse hanc narrationem, ut Ecclesia certa esset de Filii substantia. Estque consentaneum eo tempore oppositam esse hanc confessionem Hebioni et Cerintho, qui negabant in Messia naturam divinam esse. Semper igitur in omni invocatione sit in conspectu haec narratio.

In principio erat λόγος, videlicet, haec persona, quae est Filius Dei, et nominatur λόγος. Cum autem dicitur fuisse in principio, intelligitur fuisse, ante creationem rerum, quasi dicat, In illo principio, de quo loquitur Moises, inquiens, In principio creavit Deus coelum et terram. Tunc inquam erat λόγος. Non igitur creatus est. Deinde addit, Et λόγος erat apud Deum. Hic personae discernuntur, quia dicit λόγον fuisse apud Patrem, testatur ergo duas esse personas.

Et Deus erat λόγος, Posito discrimine personarum, hic expresse iam adseverat, Filium esse natura Deum. Et ut huius propositionis membra recte ordinentur, necesse est consuetudinem Graeci sermonis nosse. Articulus additur subiecto. Ideo sciendum est, hic λόγον revera subiectum propositionis esse, et θεὸν praedicatum, sicut convenit in docendo et in definiendo vocabulum communius ponere loco praedicati, ut dicimus, Malva est herba, ita hic sciamus praecipuam vocem definitionis positam esse in praedicato, monstrantem, quae sit

Filii substantia. λόγος est Deus, quasi dicat, non est imago evanescens, ut humana cogitatio, nec est imago creata, sed revera et substantialiter est Deus. Caeterum nomen Deus, ut communius, convenit etiam Patri et Spiritui sancto. Haec quae de membris propositionis hoc modo ordinandis dixi, adferunt lucem narrationi, et necessario sic ordinari membra cogit Articulus.

Nec locus est hic cavillationi de vocabulo Dei: Nomen Dei interdum significare non natura Deum, sed gubernatorem ornatum divinis donis. Ad hanc cavillationem respondendum est, non faciendam esse ambiguitatem vocabuli in ea narratione, ubi Dei essentia describitur, et non dicitur de hominum gradibus. Ac textus ipse hanc refutat hanc calumniam, cum declarat, quid nominet Deum, scilicet creatorem. Haec est proprietas soli divinae essentiae conveniens. Dicit autem de Filio, Omnia per ipsum facta sunt. Ergo Filius cum sit creator cum Patre, est ὁμοούσιος πατρὶ, et natura Deus, non metaphorice, non nuncupatione tantum.

Hoc testimonium, quod in exordio narrationis apud Iohannem recitatur, semper in conspectu sit, et in huius articuli defensione, caeteris argumentis praeponatur, quia hoc loco non obiter de duabus naturis in Messia, aut obscure, aut ambigue dicitur, sed narratio hanc ipsam ob causam instituta est, ut de tanto articulo Ecclesia certam et expressam sententiam teneret.

Deinde adiungantur alia testimonia, quae passim in scripturis Propheticis et Apostolicis sparsa sunt, ut Iohan. 1. statim repetitur insigne testimonium, In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Constat autem mundum non esse conditum per humanam naturam Christi. Ergo necesse est in Christo nato ex virgine Maria, et esse et manere alteram naturam conditricem cum Patre.

Ac ut adpareat perpetuum consensum esse huius tantae revelationis, saepe haec ipsa sententia repetita est, videlicet, per Filium omnes creaturas conditas esse, quia haec proprietas clarissime testatur, Filium omnipotentem esse, et natura Deum. Coloss. 1. Omnia per ipsum, et in ipsum condita sunt, et ipse est ante omnia, et omnia consistunt per ipsum. Et Ebrae. 1. Per Filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor claritatis et effigies substantiae eius, ferens omnia verbo potentiae suae. Haec dicta manifeste testantur, esse et manere in Christo divinam naturam conditricem cum Patre. His testimoniis addat pius lector pleraque collecta in aliis scriptis.

Adiuvatur autem Ecclesia in hoc articulo perspicua confessione veterum, qui proximi fuerunt Apostolis, et eorum discipulos audierant. Extat enim in Eusebio libro 7. confessio Gregorii Neocaesariensis scripta, cum Antiochiam contra Samosatenum accersitus esset, Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis, et imaginis suae, integer integrae genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, filius sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur.

Etsi autem non propter humanam autoritatem, de re tanta, de Dei essentia statui potest, sed fides verbo Dei, quod per Prophetas et Apostolos traditum est, nititur, tamen confessiones primae Ecclesiae, sunt tanquam narrationes historicae, testantes quid senserint Apostoli. Imo Deus semper vult aliquos testes esse verae sententiae in Ecclesia. Ideo talia dicta primae et incorruptae antiquitatis a probatis doctoribus accepta, non sunt negligenda. Nam et commonefaciunt nos de sententia Prophetarum et Apostolorum, ut in ipso verbo Dei quaerantur firma testimonia, et confirmant nos sua confessione, cum intelligimus eos nativam sententiam Prophetici et Apostolici sermonis retinuisse, et adfirmare eam ab Apostolis acceptam esse.

Sunt et apud Irenaeum perspicua testimonia, qui audivit Polycarpum auditorem Iohannis, et multo ante Nicenam Synodum vixit, tempore imperatoris Severi, et deinde in Syrmio, regnante Maximino, admodum senex, propter confessionem Evangelii, supplicio adfectus est. Extant autem haec verba in libro tertio Irenaei, cap. 2. Ostenso manifeste quod in principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum misit.

Et extat longa epistola Alexandri Episcopi Alexandrini, qui ante Nicenam Synodum refutavit Arium, adseverans λόγον esse natura Filium Dei, et repetens sententiam in Synodo Antiochena editam contra Samosatenum. In ea epistola verba haec sunt: Et secundum hoc credimus, Filium semper quoque existere cum Patre, ἀπαύγασμα enim est etc.

Deinde testimonium universae Synodi Nicenae sit in conspectu, quam secuti Athanasius, Basilius et alii multi constantissime defendunt tres esse personas divinitatis, sicut inquit Epiphanius contra Sabellianos, ἐνυπόστατος ὁ πατὴρ, ἐνυπόστατος ὁ υἱὸς, ἐνυπόστατον τὸ ἅγιον πνεῦμα.

Et nominatim Synodos Nicena damnavit Arii

dicta, qui contendit, Filium, *λόγον*, ex nihilo conditum esse, *ἐξ οὐκ ὄντων*, item fuisse aliquando Patrem, cum nondum esset Filius, *ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν*.

Extat Basilii brevis concio, cui titulus est de Fide. Extat et enarratio in exordium Iohannis, ubi perspicue adseverationes sunt huius sententiae, quam recitavi.

Haec ideo recito, ut vetera testimonia non negligantur, quae pios confirmare possunt. Nam ut ante dixi, etsi fides et invocatio nituntur verbo Dei per Prophetas et Apostolos tradito, tamen confirmantur bonae mentes, cum audiunt veteris et purioris Ecclesiae testimonia, quae adfirmat hanc ipsam doctrinam ab Apostolis acceptam esse, et eorum auditores testari hanc sententiam ab Apostolis sine ulla ambiguitate traditam esse.

Cum autem iam dictum sit, Filium non ex nihilo conditum esse, sed revera de substantia Patris natum, sicut ait Symbolum, Deum de Deo, Lumen de Lumine, paucis hic etiam de hac propositione dicam, non ut inanis contentio moveatur, sed ut Filius Dei rectius agnoscatur, scilicet, an recte dicatur, Essentia generat, item, Essentia generatur. Non dubium est, sequentes propositiones veras esse, Pater generat, Filius nascitur seu natus est. Nam hic cogitatio successionis, qualis est in tempore, excludenda est.

Sed cum recentiores reiiciunt hanc propositionem, Essentia generatur, offundunt imaginationem quasi alia quaedam res nascatur, et essentia communicetur non nata. Haec imaginatio procul ex mentibus eiicienda est, et sciendum, cum Filius nascitur, vere eum de essentia Patris nasci, et ita nasci essentiam, quae Filius est, ut hoc ipsum dictum vult, Deus de Deo, Lumen de Lumine.

Hac vera sententia considerata, facile est iudicium de illis quaestionibus recentiorum, ubi quaerunt, an in Filio differant realiter essentia, et relatio. Et an relatio generetur, si essentia non generatur. Verum est enim, essentiam et relationem in qualibet persona non differre realiter, nec esse duas res essentiam filii et relationem, sed revera Filium esse genitam essentiam, non aliam quampiam rem genitam.

Haec vera sunt, et pios qui dextre haec accipiunt, utiliter erudiunt, ut agnoscant Filium Dei vere esse genitam a Patre essentiam, non duas res esse, nec tantum relationem natam esse. Basilius inquit, Si Filius non esset natus, duae illae personae essent duo *ἀδελφά*. Ut autem vere sit Filius, necesse est de substantia Patris natum esse. Et plura apud Graecos congruentia huic nostrae enarrationi dicta sunt, quae ex ipsis fontibus petenda sunt.

Postquam autem haec fundamenta recte percepta sunt, considerandum est argumentum gravissimum, quod videlicet tota Scriptura veteris et novi Testamenti adfirmat invocandum et adorandum esse Filium Dei Messiam, et iubet ab eo petere auxilium in omnibus periculis, et vitam aeternam, et acquiescere fiducia ipsius, tanquam exaudientis et opem ferentis. Hoc est autem tribuere ei infinitam potentiam, quod ubique adsit, corda inspiciat, exaudiat, quod det iustitiam et vitam aeternam. Necesse est igitur in Messia divinam naturam esse.

Perspicua sunt autem testimonia in novo Testamento.

Iohan. 10. Ego vitam aeternam do eis, et nemo rapiet eas ex manu mea.

Iohan. 5. Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Quae ille facit, et Filius similiter facit.

Item, Sicut Pater exuscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat.

Iohan. 14. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Hic aperte testatur se exaudire petentes, et largiri sese ea quae petimus, quorum utrumque proprium est divinae et immensae naturae.

Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere. Haec sententia testatur Christum adesse, protegere, iuvare, gubernare invocantes, quae sunt Dei propria.

Matth. 18. Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse ubique, exaudire et opitulari ubique, propria sunt divinae naturae.

Iohan. 20. Christus suo halitu dat Spiritum sanctum, quod etiam solius divinae naturae proprium est.

Iohan. 10. Ego pono animam meam, et rursus sumam eam.

Iohan. 6. Ego suscitabo eum in novissimo die.

Iohan. 8. Priusquam Abraham natus est, ego sum. Hic testatur se fuisse, antequam adsumeret humanam naturam.

Iohan. 17. Glorifica me Pater ea gloria, quam habui apud te, antequam esset mundus.

Coloss. 1. Omnia per ipsum et in ipsum con-

dita sunt, et omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura divina conditrix rerum. Ideo postea in capite 2. inquit, In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, quasi dicat, In aliis habitat Deus spiritu suo, novam lucem et novos motus accendens, sed in Christo habitat non solum spiritu, sed etiam ita, ut personali unione humanae naturae divina unita sit. Nam σωματικῶς significat substantialiter seu personaliter, quia ut nunc personam dicimus, ita veteres Graeci σώματα dixerunt.

Ad Ebrae. 1. Quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae, et effigies substantiae eius, sustentans omnia.

Act. 7. Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Haec petitio tribuit Christo, quod morientium animas custodiat, et rursus coniungat animas et corpora.

I. Thess. 3. Ipse Deus et pater noster, et Dominus noster Iesus Christus dirigat viam nostram.

EX VETERI TESTAMENTO.

Esai. 7. Vocabitur nomen eius Emanuel, id est, nobiscum Deus. Sed firmius est quod sequitur cap. 9. vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater vitae perpetuae.

Etsi enim hic Iudaei depravant vocabulum El, et dicunt ἀμφίβολον esse, tamen sequens proprietas addita refutat Iudaicam cavillationem. Cum enim Messias dicitur esse Pater vitae perpetuae, manifeste tribuitur ei omnipotentia. Nam dare vitam aeternam, solius est divinae naturae. Congruit autem hoc dictum cum eo quod supra citavimus, Ego vitam aeternam do eis.

Ierem. 33. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Iehova iustificator noster. Hic tribuit Messiae nomen, quod in illa lingua proprium est Dei, et adfirmat Messiam esse iustificatorem. Tribuit igitur ei gloriam, quae soli Deo competit. Nam iustificare, tollere peccatum, et reddere iustitiam, et vitam aeternam, nemo potest nisi Deus. Eludere autem Iudaei hac cavillatione tam illustre testimonium conantur, dicunt hoc nomen non esse substantiae adpellationem aut descriptionem, sed descriptionem esse beneficii aliunde dati per eum, ut apud Ezechielem in postremo versu dicitur: Hoc erit nomen civitatis, Dominus ibidem. Ita hanc adpellationem aiunt tribui Christo, tanquam alieni beneficii significatori, Deus est iustificator noster.

Sed haec Sophistica elusio refutari potest collatione aliorum testimoniorum, quae supra citavimus, quae cum perspicue adfirment, Filium esse natura Deum, et de substantia Patris genitum, recte intelligitur et hoc loco, tribui ei adpellationem et potentiam Dei, propterea quod sit natura Deus.

Deinde verbum, vocabunt, in hoc loco Ieremiae, significat, invocabunt, id est, ipsum Messiam perpetuo Ecclesia invocabit hoc modo, nominans ipsum, Iehova et iustificatorem. Ipsa autem invocatio testatur eum esse natura Deum. Et cum in ipsa invocatione ad ipsum Messiam directa, nominetur ipse Iehova et iustificator, non dubium est eum natura Deum esse.

Micheae 5. Egressus eius ab initio ante dies mundi. Etsi brevitas talium testimoniorum auget obscuritatem, tamen quia eaedem sententiae saepe repetuntur, collatio singula dicta illustrat et confirmat. Dicit hunc Messiam egressum esse ante dies mundi, quo dicto aut hoc significatur Filium natum esse ante conditionem mundi, aut egressum, id est, promissum, ostensum in verbo, et conspectum esse Patribus in ipso mundi principio, et deinceps, et inde usque ab initio fuisse deprecatorem pro Ecclesia, et defensorem Ecclesiae. Luctatur cum Iacob, et Iacob de ipso dicit, Benedicat vobis Deus, et Angelus qui eripuit me ex cunctis malis. Hoc praeconium est Messiae, qui liberat a veris et aeternis malis, a peccatis, ab ira Dei, a morte. Haec beneficia maiora sunt, quam custodia corporum, quae fit per Angelos creatos. Loquitur et cum Moise, Iosua, et Daniele.

Ideo et 1. Corinth. 10. expresse adfirmat Paulus, Christum adfuisse populo in deserto. Bibebant ex spirituali comitante eos petra. Petra autem erat Christus.

Psal. 45. Et concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus. Hic adfirmat Messiam, quem venturum esse praedicat, Deum esse, et nomine utitur Adonai, quod proprie Deo tribui solet. Est autem dulcis consolatio in hoc dicto. Cum Psalmus laudat Ecclesiae pulcritudinem, quae non solum iudicio mundi propter crucem squalida videtur, sed etiam revera adhuc languida est, et multas sordes, ignorantiam, et vitiosos adfectus multos circumfert. Interea tamen sciamus nos, quanquam imbecilles, propter immensam misericordiam, tamen huic nostro Regi placere, et praedicari pulcritudinem, id est, aliquas esse virtutes Deo placentes, veram invocationem, propagationem verae doctrinae, et reliquam inchoatam obedientiam.

Psal. 72 dicit Messiam sempiternum esse, et semper adorandum. Fuit nomen eius semper, Ante solem manet nomen eius, et benedicentur in eo

omnes gentes. Item, Timebunt eum donec erunt Sol et Luna. Item, Adorabunt coram eo semper.

In his verbis perspicue describitur aeternitas, Ante solem, id est, antequam sol conditus est, erat hic Filius. Nam Ebraicus Psalmus hic insigni verbo usus est, significans haud dubie natum esse Filium, ante conditionem solis.

Deinde et manifeste adfirmat hunc Messiam semper invocandum esse, etiam cum non conspicietur oculis. Non igitur loquitur de gestu corporum, qui praesentibus Regibus exhibetur, sed loquitur de mente, quae petit a Messia, ut misereatur nostri, et sit intercessor pro nobis, det remissionem peccatorum, Spiritum sanctum et vitam aeternam, et sit opitulator et defensor etiam in huius vitae periculis, adversus furores Diaboli et impiorum, sicut et ipse inquit, Oves meae vocem meam audiunt. Nemo rapiet eas ex manu mea. Talis adoratio vere tribuit omnipotentiam Messiae, et testificatur eum esse Deum, ut supra dixi, has et similes sententias de invocatione, diligenter excerpendas esse, quia simul docent, quis sit Messias, et consolationes necessarias nobis proponunt.

Post haec testimonia ab effectibus sumta, quae quia proprietates continent, soli divinae et infinitae naturae tribuendas, minus labefactari possunt, addatur et ex Psalmo secundo vox aeterni Patris, Ego hodie genui te, et illustretur hoc dictum, collatis testimoniis, quae sunt in narratione Iohannis, ubi Messias discernitur a caeteris filiis. Nominatur enim unigenitus, caeteri autem adpellantur filii adoptione. Cum igitur Messias sit natura filius, necesse est de substantia Patris genitum esse. Hinc perspicuum est dictum Psalmi enarrandum esse de generatione filii, qua vere ex substantia Patris genitus est. Ego hodie, id est, ab aeterno genui te, scilicet, vera generatione, de mea substantia.

Hactenus testimonia recensui ex veteri et novo Testamento, quae adfirmant Filium Dei unigenitum, qui se patefecit generi humano, adsumta natura humana ex virgine Maria, et dicitur λόγος et imago aeterni Patris, vere de substantia aeterni Patris natum esse, et natura Deum et omnipotentem esse. Cum autem tota haec sententia procul extra humanae rationis conspectum posita sit, et humanae rationi haec valde absurda et tetra videantur, Deum generare, et plures esse personas coaeternas et omnipotentes, necesse est diligenter erudiri et muniri mentes de re tanta. Nec tantum humanae rationis imbecillitas per sese cogitatione rei tantae turbatur, sed etiam Diabolus odio filii Dei irritat levia ingenia, ut opiniones gignant, amplectantur, et spargant contumeliosas adversus Deum, et aut palam abiiciant Prophetarum et Apostolorum doctrinam, ut fecit Mahomet, aut eludant vera testimonia.

Adversus hos horrendos furores primum vera doctrina muniendae sunt mentes, deinde et singuli adsiduis et ardentibus votis petamus regi nostras mentes a Deo, ne languefactae amittant veram lucem.

Utroque autem genere testimoniorum nos confirmemus, videlicet dictis Propheticis et Apostolicis, et deinde vero et constanti consensu veteris Ecclesiae, quae perspicue adfirmat his tantis controversiis agitatis, sic intellecta esse Apostolorum testimonia, et ab ipsis Apostolis, et ab eorum auditoribus fideliter hanc sententiam initio propagatam esse per probatos doctores, ut supra de Irenaeo et Gregorio Neocaesariensi diximus.

Horum clarissima et constantissima adseveratio nos quoque confirmat. Est enim audienda Ecclesia, sed tamen, ut supra dixi, fides in invocatione nititur, non humana autoritate, sed ipso verbo Dei. Quare necesse est, semper etiam aliqua perspicua et firma testimonia ex scriptis Apostolicis complecti, qualia sunt apud Iohannem multa, quae quidem magis etiam perspicua sunt caeteris. Postquam haec fundamenta constituta sunt, diluenda sunt praecipua argumenta quae obiiciuntur.

REFUTATIO.

In hac parte hactenus necesse fuit dici de natura divina Filii Dei. Infra de adsumtione humanae naturae plura dicenda erunt, ubi fortassis commodius esset diluere argumenta, quae contra divinam naturam Filii obiiciuntur, ex iis quae conveniunt humanae naturae, et admirandae servituti, quam subiit ut fieret victima. Sed tamen hic breviter ea complectemur, ut veris testimoniis, quae iam recitata sunt, Lector teneat proxime adiunctas refutationes contrariorum. Aliquid enim lucis adferunt huic doctrinae de re omnium maxima et gravissima.

Prima obiectio est, quae omnibus in oculos occurrit, et maxime videtur labefactare sententiam de divinitate Filii.

Natura divina nec patitur nec moritur,

Christus autem mortuus est,
Non est igitur natura Deus.

Ad hanc obiectionem necesse est respondere, quia absurdissimum videtur dicere Deum lacerari et mori. Est igitur haec responsio.

Etsi haec tota causa longe extra omnium creaturarum conspectum posita est, tamen cum testimonia divinitus tradita in scriptis Propheticis et Apostolicis, adfirment duas naturas esse in Messia natu ex virgine Maria, ut scriptum est, Et verbum caro factum est, regula haec tenenda est.

Quaedam propria uni naturae, non impediunt, quo minus adsit altera natura. Propria autem sunt haec humanae naturae, lacerari membra, pati, mori. Ideo Petrus diserte dixit, Christum passum esse carne. Et Irenaeus pie et perspicue inquit, pagina 185. Christum crucifixum et mortuum esse, requiescente verbo, ut crucifigi et mori posset. Id est, divina natura non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit irae aeterni Patris adversus peccatum generis humani, non est usa sua potentia, non exeruit suas vires. Interea lacereta et mortua est natura, quae potuit lacerari et mori.

Congruit autem hoc Irenaei dictum ad verba quae sunt in epistola ad Philippenses cap. 2. Qui cum esset in forma Dei, id est, sapientia et potentia aequalis Patri, non rapuit aequalitatem Dei. Id est, cum missus esset, ut obediret Deo in passione, non fecit contra vocationem, non est usus sua potentia contra vocationem, Sed se ipsum exinanivit, id est, non exeruit suam potentiam, et humiliavit se, formam servi accipiens, id est, induens cum humana natura mortalitatem, habitu inventus ut homo, id est, adfectibus et destructione, gaudio, pavoribus, tristitia, dolore, morte. Etsi igitur ita unitae sunt duae naturae, imago aeterni Patris, et humana natura ex virgine adsumta, ut sint una persona, tamen naturae retinuerunt suas proprietates.

Et conspicitur in hac admiranda passione, magnitudo irae Dei adversus peccatum. Non est leve dictum, Christum crucifixum esse, requiescente verbo, id est, cum ira aeterni Patris effunderetur in Filium, quievit λόγος, et fuit obediens, non exeruit vires contra Patrem, et interea lacerata est humana natura. Haec humilitas, qua se Filius ita subiecit Patri, nunc non potest comprehendi, sed in vita aeterna considerabitur. Nunc vero hoc cogitemus, veram et ingentem iram Dei esse adversus peccatum, cum filius Dei hoc modo factus sit supplex et subiectus.

Secunda obiectio, Pater maior me est. Hoc dictum Ariani praecipue opposuerunt adversus veritatem, cum vera et simplex sit expositio. Alia dicta loquuntur de essentia, alia de officio Christi missi ad docendum et ad hanc obedientiam, ut pro nobis victima fieret. In primo cap. apud Iohannem dicitur: Et Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt. Hoc testimonium perspicue adseverat Filium esse Deum, et potentia aequalem Patri.

At alibi saepe dicitur de officio doctoris missi ad hanc obedientiam a Patre, ut hic, Pater maior me est. Pater glorifica me. Haec ideo sic dicuntur, quia Christus tunc, cum in illa visibili et mortali consuetudine Evangelium traderet, voluit se agnosci, non ut fanaticum doctorem, aut qui sine Patre, et sine missione aeterni decreti doceret, Sed, ut constaret promissionem gratiae et vitae aeternae, certo decretum esse immotum divinitatis, adfirmat se personam esse a Patre missam, nec adferre se doctrinam a se uno excogitatam, sed tanquam Legatum, vocem aeterni Patris arcanam exponere.

Itaque in narratione de autoritate doctrinae et de ministerio, fit collatio Mittentis et Missi. Mittens est fons doctrinae, et adprobator et defensor. Hunc vocat maiorem Misso, scilicet, ministro, qui a Mittente accepit doctrinam, et nunc est infirmus, subit crucem, nec exerit suam potentiam, sed expectat testimonia, quibus Pater ornabit hunc Filium, et doctrinam confirmabit, scilicet, Resurrectionem, et deinde missionem Spiritus sancti, et omnia miracula universae Ecclesiae, et extremum iudicium.

Haec enarratio dicti, Pater maior me est, vera, nativa et perspicua est, quia certe necesse est discerni dicta quae loquuntur de essentia, a dictis quae loquuntur de officio, ut hic, Deus quare dereliquisti me, hic certe non loquitur de essentia, sed de se tanquam victima sustinente tunc poenas nostrorum peccatorum, ubi lamentatur in sese iram aeterni Patris effundi, sicut et in Esaia dicitur: Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Hae descriptiones aliquo modo significant, quanta sit ira Dei, vera et horrenda adversus peccata, et quales dolores sustinuerit Filius Dei, scilicet, non tantum corporis lacerationes, sed etiam illos ingentes dolores, qui sunt sensus irae Dei. Harum maximarum rerum cogitatione pii expavescant, et magnitudinem earum pia meditatione considerent; quod si facient, facilius discernent dicta dissimilia, et agnoscent aliquo modo utrumque magnitudinem irae Dei adversus peccata, et magnitudinem misericordiae in filio Dei, qui etsi natura Deus est, tamen ibi sese abiecit, ac prostratus coram aeterno Patre pro universa Ecclesia sua fuit intercessor.

In talibus narrationibus officia describuntur, de quibus saepe commonefieri Ecclesiam necesse est.

Alibi testimonia extant, quae proprie tantum de essentia loquuntur, ut Iohan. 1. Et verbum erat Deus. Etsi autem testimonia de essentia etiam passim sparsa sunt, tamen saepius de beneficiis dicitur, quod eorum consideratione accendi fidem in mentibus piorum, et vitam aeternam oporteat.

Norunt et diaboli ac fatentur Filium Dei natura Deum esse, eumque horribiliter timent, sed doctrinam de beneficiis summo cum dolore cogitant, quia sciunt ea non pertinere ad se, sed ad genus humanum, sicut in ipso Symbolo scriptum est: Qui propter nos homines, et propter nostram salutem etc. Et Rom. 5. dicitur: Sicut per unius delictum condemnatio in omnes homines, sic per unius iustitiam ad omnes homines iustificatio vitae pervenit.

Ut igitur in conspectu piis sit doctrina de ira Dei, ac deinde consolatio quae accendit iustitiam et vitam aeternam in nobis, ideo in Prophetis et concionibus Filii Dei et Apostolorum saepius repetita est doctrina de miranda humilitate Messiae et passione, et de intercessione, et deinde resurrectione, regno et praesentia Messiae in Ecclesia.

Tenenda est et haec distinctio. Alia dicta loquuntur de arcana gubernatione cum patre, aut de regnante Messia, ut, Quae pater facit, haec et Filius similiter facit. Alia de humiliato seu patiente Christo, ut cum vocatur maledictum. Ita enim decretum fuit in illo arcano consilio Dei, ut Filius certo tempore fieret victima, quo tempore praestitit hanc mirandam obedientiam aeterno Patri, ut quiesceret et sineret in se effundi horrendam iram, nostra peccata punientem. De huius certi temporis obedientia loquuntur multa dicta, quae ad suum tempus accommodata, non pugnant cum aliis dictis, quae loquuntur de potentia regnantis Filii Dei.

Plura autem de humana natura in Christo dicenda erunt, cum veniemus ad sequentes Symboli articulos. Nunc pauca addam, quae proprie ad doctrinam de divina natura Christi pertinent.

Interdum Filius Dei vocatur sapientia Patris, scilicet, quia cum eo deliberat Pater, ut Genes. 1. significatur: Dixit pater, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Item, quia Filius ostendit Patrem, et arcanum consilium eius de redemtione protulit, sicut ipse inquit: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius volet revelare. Caeterum hoc sciendum est, Pater suo intellectu intelligit, sua voluntate vult, sua sapientia est sapiens. Ita et Filius suo intellectu intelligit, sua voluntate vult, sua sapientia est sapiens. Sic et Spiritus sanctus suo intellectu intelligit, sua voluntate vult, et sua sapientia est sapiens.

Etsi autem phrasis illa, qua Filius nominatur sapientia Patris, scriptoribus usitata est, tamen non sic locuti sunt Prophetae et Apostoli, sed Iohannes nominat Filium λόγον, Paulus εἰκόνα. Hae appellationes sunt illustriores.

Removenda est etiam temporis et morae cogitatio a generatione divina. Gregorius hac phrasi utitur: Filius semper natus est. Alii: Filius semper nascitur. Sed removeantur hae temporis et nostrorum motuum progressiones, ab huius generationis consideratione, et simul tamen sciamus Filium Dei esse integrum, nec disputemus haec curiosius.

DE SPIRITU SANCTO.

Tertia persona vocatur Spiritus sanctus. Est autem persona procedens a Patre et Filio, quae mittitur, ut in omnibus electis Angelis et hominibus accendat lucem ad veram agnitionem Dei, et veros motus congruentes voluntati Dei timorem, fidem dilectionem, invocationem, fortitudinem in confessione, tolerantiam, castitatem, et alias virtutes, et vitam aeternam.

Mittitur autem ad homines ita, ut adsit ministerio Evangelii, et sit efficax per ministerium Evangelii, sicut 2. Cor. 3. Evangelium nominatur ministerium Spiritus. Eatenus patefactus est Spiritus sanctus, et haec de eo discenda sunt.

Sed cum haec doctrina de tribus personis aliena sit a iudiciis humanae rationis sine divina revelatione, multi omnibus aetatibus contenderunt tantum unicam esse personam divinam, ut Samosatenus, Photinus, Macedonius, Mahometistae, Dicta vero de Filio, et de Spiritu sancto corruperunt, et negarunt appellatione Spiritus sancti significari personam seu ὑπόστασιν, sed tantum motus creatos in hominum cordibus, sicut in Psalmo dicitur: Terribili et potenti, qui aufert spiritum principum. Et manifestum est vocabulum spiritus, saepe de ventis, saepe de aliis motibus creatis usurpari.

Sed adversus has cavillationes muniendae sunt piae mentes et quaerenda est veritas, quod cum facimus, necesse est prudenter discernere dicta,

quae loquuntur de ventis, aut aliis motibus creatis, ab aliis dictis, quae necesse est intelligi de persona quae singulari specie patefacta est, cum in baptismo Christi discernitur a Patre et a Filio.

Etsi igitur doctrina, quae adfirmat tres esse personas divinas, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, valde mira est, et procul supra et extra conspectum omnium creaturarum posita, tamen necesse est de Deo sentire, sicut se patefecit, iuxta illud mandatum aeternum et immotum, Hunc audite. Huic mandato obtemperemus, et ut Paulus inquit, Redigamus mentes in captivitatem, in obsequium Deo, et testimonia perspicua amplectamur, nec sinamus ea sophisticis cavillationibus eludi.

PRIMUM TESTIMONIUM.

Sit igitur primum hoc testimonium, ostendens Spiritum sanctum esse personam, scilicet, patefactio divinitatis in baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personae. Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus. Est igitur alia persona Patris, alia Filii. Descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non adpareret peculiari specie corporali, quia non esset extra mentes, quarum esset accidens. Aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit autem: Super quem videris Spiritum sanctum.

SECUNDUM TESTIMONIUM.

Secundo apparet peculiari specie Spiritus sanctus in Pentecoste, quem constat clare discerni a Patre et Filio, quia antea Filius dixit: Rogabo patrem et alium paracletum dabit vobis. Haec igitur persona, quae in Pentecoste conspicitur et effunditur in Apostolos, est persona distincta a Patre et a Filio. Et cum sanctificet et vivificet, est omnipotens.

Similis patefactio in domo Cornelii facta est. Nec praetereamus otiosi has patefactiones, sicut maxima pars generis humani eas praeterit, quod horrendum et deplorandum est. Sed sciamus hanc ipsam ob causam factas esse, quia Deus se Ecclesiae suae ostendere, et nobis certa testimonia tradere voluit. Horum cogitatione igitur nos confirmemus.

TERTIUM TESTIMONIUM.

Tertium testimonium, est ipsa baptismi forma, quam Filius Dei ipse tradidit, iubens baptisari homines in nomen, id est, in agnitionem et invocationem Dei Patris, Filii, et Spiritus sancti. Id enim significat haec admiranda professio: Ego baptizo te, id est, abluo te, ut testificer tibi remitti peccata, et te recipi ab hoc vero Deo patre Domini nostri Iesu Christi, qui te recipit propter Filium, exhibitum generi humano, ut sit Mediator, et effundit in te Spiritum sanctum, qui inchoat in nostris mentibus novam et aeternam iustitiam et vitam. Cum igitur forma baptismi discernat Spiritum sanctum, a Patre et Filio, necesse est personam esse. Nam si esset Pater aut Filius, agitans motu creato, non esset tertio loco recitatus Spiritus, tanquam a Patre aut Filio discernendus, si videlicet esset ipse Pater agitans aut agitatio creata in homine.

Deinde cum haec ipsa forma baptismi doceat pariter invocare Spiritum sanctum, cum Patre et Filio, pariter ei tribuit omnipotentiam. Haec tria testimonia si pie considerentur, firma et illustria esse intelligemus. Nam certe patefactiones, in baptismo Christi, et in Pentecoste, non sunt frustra factae. Nunc addemus et dicta certa Christi, in quibus proprie de hac persona concionatur, quae nominatur Spiritus sanctus.

QUARTUM TESTIMONIUM.

Iohan. 14. Rogabo Patrem, et alium paracletum dabit vobis: Cum ait, Alium, discernit a Patre et Filio, hunc paracletum. Non igitur significat Spiritus ipsum Patrem agitantem, non enim esset Alius, nec significat agitationem creatam, non enim mitteretur a Filio, si esset Pater agitans, aut tantum agitatio creata a Patre. At Christus inquit Ioh. 15. Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritus veritatis, qui a Patre procedit. A se, inquit mitti Spiritum sanctum. Non est igitur aut Pater agitans, aut tantum agitatio creata a Patre.

Sunt et haec personae propria. Alius paracletus, qui docebit vos, et quae audiet, loquetur. Si spiritus significaret hoc loco agitationem creatam, esset doctrina, non doctor alius, a Patre et Filio audiens et accipiens.

QUINTUM TESTIMONIUM.

In priore Epistola ad Corinth. cap. 12. clare discernit Paulus Spiritum sanctum a donis creatis,

autorem ab effectibus. Omnia, inquiens, haec efficit unus et idem Spiritus.

Eodem modo loquitur Rom. 8. Ipse Spiritus dat testimonium spiritui nostro. Discernit hic quoque moventem et consolantem Spiritum sanctum, a consolatione qua cor erigitur et vivificatur.

Eodem modo loquitur 2. Corinth. 3. Transformamur tanquam a Domini spiritu, ubi etiam effectorem discernit a luce in nobis creata, ut ibi inquit, id est, a clara et firma notitia, id est, firma fide, et invocatione.

Et quod Spiritus sanctus fuerit, antequam carnem induit Filius Dei, perspicue testatur Petrus, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi in eis, praedicens Christum passurum esse. Hic diserte nominatur Christi Spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem igitur Spiritu sancto et Patres et Apostoli, et pii deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt.

Idque multo illustrius docent verba Esaie 59. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Esaia, et in tota Ecclesia, ad omnem aeternitatem. Non igitur tantum post resurrectionem Christi effusus est in pectora invocantium Deum Spiritus sanctus, sed semper eodem Spiritu sancto, omnes electi sanctificati sunt.

Ac valde prodest hoc Esaiae dictum meminisse, quia dulcissimam doctrinam et consolationem continet. Adfirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, et quasi digito monstrans, docet quid sit Ecclesia, et ubi sit, videlicet ubi sonat vox Evangelii, et testatur ea voce Spiritum sanctum efficacem esse.

Et Zach. 7. Verba quae misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum prophetarum. Hoc dicto utrumque adfirmatur, et gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas, et verbum Dei non esse inanem sonitum, sed adesse Spiritum sanctum, et ea voce movere et accendere mentes, quod firmissime statuendum est piis, ut sciant vere Deum efficacem esse per vocem suae doctrinae et promissionis in mentibus credentium, et accendere in eis lucem, iustitiam, et vitam aeternam, ut 2. Cor. 3. vocatur Evangelium ministerium spiritus. Et Rom. 1. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Constat igitur ex Esaiae et Zachariae dictis, quae recensui, doctrinam de Spiritu sancto in veteri Ecclesia Patrum et Prophetarum notam fuisse. Ideo etiam veteres hoc dictum in Genesi intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona divinitatis: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim inquit Basilius: Sive, quod verius est, et enarratum est ab iis, qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei.

Etsi autem novi Testamenti dicta magis perspicua sunt, tamen congruunt cum eis testimonia Prophetarum.

In dicto Ioël significata est persona divina, cum inquit Deus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, quia enim ait: MEO, testatur non mitti creatam agitationem, sed aliquid essentiae Dei. Nam cum ait, de meo Spiritu, nominat non aliud creatum extra se, sed spiritum, qui in ipso patre est. Utrumque igitur significatum est, quia ait de meo Spiritu, adfirmat hunc Spiritum non esse quiddam creatum. Et quia procedere eum inquit seu effundi, discernit eum a Patre. Est igitur persona, quia quidquid aliquid est Dei, quod tamen non est ipse Pater, est revera persona.

Cogitemus autem in hoc ipso testimonio verum et ingentem in Deo erga nos amorem esse, qui hunc ipsum ignem amoris sui in nos transfundit, coessentialem ipsi, et nos sibi copulat societate non tantum creati doni, sed missi in pectora nostra sui Spiritus. Haec cum in Ecclesia dicuntur, existimant homines prophani inania somnia narrari, Sed quanquam ridemur ab impiis, tamen haec vera esse statuamus, nec existimemus tot promissiones Dei editas tam illustribus testimoniis irritas et inanes esse. Si credis Evangelio, et bona conscientia Deum fiducia filii Mediatoris invocas, scias certo te regi Spiritu sancto, nec indulgeas dubitationi, quae hanc infirmam naturam excruciat, nec approbes impiam doctrinam, quae iubet te de promissionibus divinis dubitare.

Quanquam autem de essentia Dei sine certis divinis testimoniis, nec Angeli, nec ulli doctores certo nos docere possunt, tamen postquam Deus se patefecit, et verbum suum Ecclesiae tradidit, utile est nosse quid probati homines in prima et puriore Ecclesia senserint. Horum enim testimonio et nos confirmamur, qui adfirmant se hanc sententiam ab Apostolis accepisse.

Recitavi autem supra confessionem Gregorii Neocaesariensis perspicuam. Et collegit Basilius testimonia multorum, quorum praecipua fuit in Ecclesia autoritas. Ac nominatim recitat haec verba Eusebii Palaestini: Sanctum Deum lucis conditorem, per salvatorem nostrum Iesum, cum Spiritu sancto invocantes. Haec verba ostendunt veteres diserte tres personas in invocatione complexos esse, et ea forma loquendi de Filio usos esse, ut

animi simul de Mediatoris intercessione et de promissionibus commonefierent.

Testatur et haec ipsa Symboli Niceni professio, Ecclesiam tunc verba Christi de Spiritu sancto sic intellixisse, ut adfirmarit Spiritum sanctum personam esse. Et sic docuisse probatos doctores manifestum est, ut ait Epiphanius. Unigenitus Filius efficit omnia cum Patre, non solum autem Filius, sed et Spiritus sanctus efficit omnia cum Patre et Filio, et ὁμοούσιος est Patri et Filio.

Et Basilius multis scriptis defendens hanc sententiam quae in Symbolo traditur, inquit in quadam Epistola: Oportet nos baptizari sicut accepimus, Credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, fugere autem ut palam blasphemos, eos qui Spiritum sanctum aiunt creaturam esse.

Denique extant multae planae veterum de hoc articulo conciones, quae hic integre recitari non possunt. Legendae tamen sunt aliquae, ut nos ipsos confirmemus horum voce, qui ab Apostolis doctrinam acceperunt, et ornati sunt a Deo testimoniis miraculorum.

Postquam igitur dictum est, tres esse personas divinitatis, discrimina erudite considerentur. Pater non nascitur. Filius, etsi coaeternus est Patri, tamen genitus est, et est imago aeterni Patris. Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Hae appellationes extant in sermonibus Christi.

Sed hic quaerat aliquis, quid intersit inter nasci et procedere? Etsi exhauriri haec arcana non possunt, tamen significare discrimen filius Dei voluit, et nequaquam eius sermo mutandus est. Usus est autem vocabulis humanis, quasi deducens nos ad aspectionem naturae hominis, ut inde similitudo et umbra sumeretur.

Sunt autem in anima hominis duae praecipue potentiae, Intelligens et Volens. Intelligens format imagines, ut quoties de amico cogitas, statim eius imaginem in mente quasi pingis. Volentis autem potentiae sunt amor, odium, et alii adfectus, et cum hac copulatum est in homine cor, quod gignit spiritus, qui sunt incitatores actionum, motuum, et affectuum.

Sit igitur hoc discrimen inter Nasci et Procedere. Nasci, est e potentia intelligente, quia Filius cogitatione nascitur, et est imago patris. At procedere, est a voluntate, quia Spiritus sanctus est agitator seu amor substantialis, tanquam ignis amoris quo pater filium complectitur, et filius patrem, imo quo postea pater et filius dulcissimo complexu sibi copulant Ecclesiam suam. Est autem amor a voluntate, ut constat. Et sensus osculi aliquo modo haec adumbrat. In osculo hominis vero et ardenti, Spiritus ex corde exhalatur, quasi transfundens amorem. Ita Deus amorem in nos suum spiritu suo transfundens, nos ad se rapit.

DE DUPLICI DISCRIMINE PERSONARUM.

Sunt autem duplicia discrimina personarum. Alia sunt interiora, ut gignere, nasci, et procedere. Alia sunt a beneficiis erga Ecclesiam sumta, ut Filius pro nobis factus est victima, Spiritus sanctus mittitur in corda, ut in nobis accendat novam lucem et iustitiam. Etsi autem utraque discrimina aliquo modo cognosci necesse est, tamen haec quae ab officiis sumuntur, magis conspicua sunt, quorum cogitatio pias mentes consolatur et confirmat. Quare prodest ea in invocatione aspici, et saepe recitari.

Sit igitur forma seiungens nostram invocationem ab ethnica, Turcica, Iudaica, ut saepe dictum est, directa ad hunc verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia certis testimoniis, edita promissione, et misso Filio suo Domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis, et resuscitato. Hunc intueatur et alloquatur mens, et statuat vere nos recipi et exaudiri, invocantes hunc verum Deum, cum credimus nos recipi propter Filium Mediatorem, et petat corda nostra consilia, et actiones regi Spiritu sancto procedente ab aeterno Patre, et Filio Domino nostro Iesu Christo.

In tali precatione nos ipsi de tribus personis, et earum beneficiis commonefaciamus, et sciamus Deum recte sic invocari, cum et intuemur personas hoc ordine, et haec beneficia petimus. Et pii talem invocationem experientur non esse irritam.

Potest autem forma talis esse.

Omnipotens, aeterne, vive, et verissime Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite, conditor coeli et terrae, et hominum et Ecclesiae, et conservator et opitulator, una cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, effuso in Apostolos paracleto, sapiens, bone, misericors, iuste, iudex, fortis, caste, liberrime, verax, diligens et exaudiens nos, qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Te invoco et oro supplex, miserere mei, et remitte mihi

omnia mea peccata propter Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον, quem voluisti pro nobis esse victimam καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, mirando et inenarrabili consilio, et sanctifica, doce, guberna, accende corda et animas nostras Spiritu sancto tuo, collige tibi semper Ecclesiam aeternam inter nos, et eam regito, et da ei tranquilla et honesta hospitia, mitiga poenas, et in ira tua iustissima, immensae misericordiae recorderis, ut sit aliqua Ecclesia te vere invocans et celebrans, sicut promisisti, inquiens: Propter nomen meum amovebo furorem meum, et laude mea frenabo te, ne intereas. Propter me, propter me faciam, ut blasphemi confundantur.

Talis forma discernit veram invocationem ab ethnica, Turcica et Iudaica, et de multis fidei articulis, et praecipuis promissionibus et consolationibus pias mentes commonefacit.

Postremo et hoc certo statuamus, nec plures personas divinitatis, quam tres esse, nec pauciores esse, nec alias. Sitque semper in conspectu haec doctrina. Non aliter de essentia et voluntate Dei sentiendum esse, quam sicut se patefecit ipse, iuxta illud: Patrem nemo novit, nisi Filius, et cui Filius volet revelare. Item, Hunc audite. Certum est autem ex baptismo Christi, et ex multis testimoniis citatis, tres personas divinitus patefactas esse, et nec plures nec alias patefactas esse praeter has ipsas, quae in verbis baptismi recensentur. Non igitur aliae, aut plures aut pauciores cogitandae sunt.

Et hic a piis damnandi et execrandi sunt omnes furores, gentium et aliarum sectarum, quae hanc doctrinam corruperunt, ut Ethnici infinita idola invocarunt, quae etsi aliqui philosophantes astute interpretati sunt, tamen interpretationes non congruunt ad veram doctrinam de Deo, sonantem in Ecclesia. Sic Hesiodus, sic Valentiniani infinitam turbam deorum excogitarunt, Manichaei duos, Bonum et Malum, seu φῶς καὶ σκότος, pariter coaeternos conditores. Mahometus, ut Samosatenus, contendit unicam esse personam, Deum conditorem, et negat esse patrem, Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis, et resuscitati. Et contendit in Christo tantum esse humanam naturam, nec assentitur Spiritum sanctum personam esse, sed cogitat esse agitationem creatam in homine, ut dicimus heroicos motus in viris fortibus.

Longum esset recitare omnium temporum furores, quos sparsit diabolus in genere humano, quia studet Deum contumelia afficere, et cum sit ἐπιχαιρέκακος, delectatur horribili miseria hominum, cum eos erroribus fascinatos impulit in exitium. Sed tamen necesse est pios moneri de illis furoribus, ut adversus eos vera doctrina muniantur pectora, imo ut etiam ardentibus votis assidue Deum oremus, ut propter Filium, Spiritu sancto veram doctrinam ab ipso patefactam, et veram invocationem in mentibus nostris accendat, nec sinat nos ab ipso aberrare, sed propter suam gloriam gubernet nos, ut vere ipsum agnoscamus, et invocemus, quod ut in nobis efficiat, toto pectore eum oro, Amen.

Haec de primo articulo Symboli, Credo in unum Deum omnipotentem. Sequitur secundus Articulus de Creatione.

SECUNDUS ARTICULUS SYMBOLI DE CREATIONE.

Sequitur in Symbolo:

Factorem coeli et terrae, visibilium et invisibilium omnium.

Et de Deo illustrior notitia fulgeret in mentibus hominum, si haec hominum natura non languefacta esset post Adae lapsum, et articulus de Creatione magis intelligeretur, et in eo magis conspiceretur Deus. Nunc vero et in hac tanta caligine et imbecillitate hominum intueamur verbum Dei, quo traditur hic articulus et inde discamus doctrinam de Creatione et de praesentia Dei, qui adest creaturis, et de iis circumstantiis, quas in hac quaestione explicari necesse est.

Ac primum hae duae causae creationis semper in conspectu sint, Efficiens et Finalis. Efficiens est Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, una cum Filio suo coaeterno, qui vocatur λόγος καὶ εἰκὼν ἀϊδίου πατρὸς, et cum Spiritu suo sancto. Vocatur autem Creatio proprie fabricatio rerum aliarum, quae sunt extra essentiam Dei, ex nihilo, videlicet, coeli, terrae, angelorum, hominum, et omnium corporum, ac partium mundi, quae fabricatio, ut postea copiosius dicam, non est coaeterna Deo, sed tempus traditum est in Moise, et est facta liberrima voluntate Dei, ut postea dicam. Necesse est enim iunioris moneri, ut discernant doctrinam a Deo traditam, a variis opinionibus, quas philosophi audacter finxerunt, quae fidem et invocatio-

nem valde impediunt, ut cum fingunt mundum coaeternum esse Deo, et Deum alligatum esse causis secundis. Sed haec postea repetemus. Prius enim finalis causa utcunque consideranda est.

Ideo Deus condidit naturas intelligentes, quae sunt praecipuum opus, ut se in eis patefaceret, et eis suam sapientiam et bonitatem communicaret. Nam essentia optima voluit habere opera, in quae rivulos suae sapientiae et bonitatis spargeret, et a quibus vicissim agnosceretur et celebraretur. Hanc esse causam divini consilii inde manifestum est, quia effectu ipso Deus hoc ostendit, cum transfundit in angelos et in homines notitiam de Deo conditore, et imaginem sui, id est, notitias multas, et in his notitiam legis, quae congruit cum aeterna et immota sapientia Dei, et ostendit qualis sit Deus, simul etiam addidit angelis et hominibus liberrimam voluntatem, et hanc ornavit iustitia congruente cum mente et voluntate Dei. Haec testimonia manifeste ostendunt, hoc consilio conditas esse naturas intelligentes, ut Deus communicaret nobis sapientiam et bonitatem suam, et vicissim a nobis agnosceretur ipse, et sapientia et bonitas eius celebraretur.

Deinde haec ipsa transfusio lucis divinae in nos, testatur hanc creaturam vero et non simulato aut fictitio amore diligi a Deo, cum ei tales dotes communicarit, quae in ipso Deo sunt summae, cilicet, sapientiam, libertatem voluntatis, et iustitiam congruentem cum ipsius voluntate. Et facile intelligi potest, Deum vere diligere id opus, quod voluit esse effigiem suam, et in quo fulget sua sapientia et iustitia cum ipsius mente congruens.

Haec cogitatio similitudinis Dei, deducens mentes ad agnitionem bonitatis Dei et amoris erga nos, magnum incendium mutui amoris in natura hominis incorrupta accendisset. Nunc autem in hac tanta caligine hanc cogitationem negligi doleamus. Sed ostendit Deus maius testimonium sui amoris, cum Filius pro nobis supplex et victima factus est. Haec testimonia amoris si vere aspiceremus, vicissim et studium gratitudinis, et ingens dolor propter nostram ingratitudinem in nobis excitaretur. Sed te oramus aeterne Deus propter Filium Mediatorem, accende corda nostra Spiritu sancto tuo, ut te vere agnoscant, invocent, diligant, et tuam bonitatem celebrent.

Etsi autem ipsis angelis et hominibus evidentissima testimonia de Deo impressa sunt, quae testantur esse Deum, et qualis sit, et quod iudicaturus sit, tamen postea in totum mundi opificium sparsa sunt signa, quae certissime testantur hunc mundum non casu ortum esse, sed mentem aeternam architectatricem esse. Ideo domicilium hominum hoc coelum et terra, tam varie distinctum et ornatum est, ut undique nos de Deo commonefaciat. Manifestum est igitur hoc praecipuum consilium Dei esse, propter quod condidit totum mundum, ut sese patefaceret.

Etsi autem conspectu opificii mundi voluit Deus ita moveri hominum mentes, ut firmissime statueremus, et esse Deum, et esse sapientem, bonum, iustum, veracem, castum, iudicem, tamen post lapsum primorum parentum languida est adsensio. Ideo Deus conditor immensa bonitate, rursus patefecit se edita promissione sua, et promulgata lege, et ut certum esset hanc vocem non esse creaturae alicuius, testimonia addita sunt, in quibus Deus conditor et servans naturam rerum nova quaedam opera fecit, perinde ac si novum mundum conderet, quae non poterant fieri, nisi ab immensa potentia, iussit stare solem toto triduo, iussit solem regredi, reddidit mortuis vitam, misit Filium natum ex virgine, qui multos mortuos revocavit in vitam. Haec quasi nova fabricatio, magis movet homines nunc in hac caligine.

Quare testimonia patefactionis utraque consideremus, primum creationem, et alia nova opera, quae non possunt fieri nisi ab immensa potentia, et Deo gratias agamus, quod se patefecit, et doctrinam suam nobis tradidit. Et has duas causas creationis, ut dictum est, Efficientem et Finalem, semper in mentibus nobiscum circumferamus, et saepe cogitemus, ut nos ad agnitionem et amorem Dei exuscitemus. Deinde et circumstantias consideremus, de quibus Ecclesia in hoc articulo praecipue concionatur. Nam etiam philosophia agnoscit has duas causas mundi, Efficientem, et Finalem, sed postea multa disputat absurda, necessario mentem aeternam effudisse hanc machinam, et non posse Deum aliter agere, quam sicut ciet ordo corporum.

De his et aliis quibusdam circumstantiis admoneri homines necesse est, ne fides in invocatione extinguatur, si cogitemus Deum abesse a suo opificio, aut non posse aliter agere, quam ut cient causae secundae, cum saepe hoc ipsum petamus, ut mitigentur aut mutentur causae secundae.

Quare haec membra ordine recitabimus, primum, quod creatio sit commune opus aeterni Patris, Filii, et Spiritus sancti.

Secundum, quod res sint ex nihilo conditae.

Tertium, quod Deus volens et libere condiderit mundum tunc cum voluit.

Quartum, quod non discesserit a suo opere.

Quintum, quod non sit alligatus ad causas secundas.

DE PRIMO.

Quod creatio sit opus commune aeterni Patris, Filii, et Spiritus sancti, Genesis primo significatum est, cum dicitur: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et de Filio multa sunt in Iohanne perspicua et firma testimonia, quae supra recensui. Hic satis est recitare dictum, Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Haec de persona dici, nihil dubium est.

De Spiritu sancto Genes. 1. dictum est: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Paulus 1. Corinth. 12. Omnia, inquit, haec efficit unus et idem Spiritus, ubi etiam diserte de persona dicitur.

DE SECUNDO.

Quod res sint ex nihilo creatae, docet haec sententia: Ipse dixit, et facta sunt, Ipse mandavit et creata sunt, id est, dicente seu iubente Deo, res exortae sunt. Non igitur ex materia priore extructae sunt, ut Stoici, duo aeterna fingebant, mentem et materiam. Refutat autem imaginationem Stoicam et Iohannes inquiens, Omnia per ipsum facta sunt. Ergo et materia coeli et terrae a Deo condita est, nec fuit materia corporum aeterna.

DE TERTIO.

Quod Deus libere et volens tunc cum voluit, condiderit mundum, et quod sit agens liberrimum, manifeste testatur dictum Psalmi 114. Omnia quaecunque voluit, fecit. Et Psalmo 135. Omnia quaecunque voluit Dominus, fecit in coelo et in terra.

DE QUARTO.

Infirmitas humana, etiamsi cogitat Deum esse conditorem, tamen postea imaginatur, ut faber discedit a navi extructa, et relinquit eam nautis gubernandam, ita Deum discedere a suo opere, et relinqui creaturam tantum propriae gubernationi. Haec imaginatio Deum removet a creaturis, et fingit eum otiosum esse. Contra hunc tetrum errorem erudiendae sunt mentes, Deum adesse universae creaturae, et omnes quae servantur, et quatenus servantur, sustentari a Deo. Sed ita tamen, ut Deus sit agens liberum, sustentet donec vult, agat simul quatenus ipse decrevit, et moderetur ac mutet aliqua, propter salutem Ecclesiae suae immensa bonitate. Hanc Dei praesentiam confirmant haec dicta:

Act. 17. In ipso vivimus, movemur et sumus, id est, per ipsum datur, sustentatur, et fovetur vita nostra.

Ebrae. 1. Ferens omni verbo potentiae suae.

Coloss. 1. Omnia per eum consistunt.

1. Tim. 6. additur descriptio Dei: Qui vivificat omnia.

Haec rerum sustentatio et conservatio, qua Deus adest toti opificio suo, et rerum substantias servat, sustentat coelum, et motus coelestes, foecundat terram, procreat fruges in terra, impertit vitam viventibus, dicitur usitata appellatione, Actio Dei generalis. Sed de hac Actione generali spinosae disputationes leguntur, quia homines naturali caligine dilabuntur in Stoicas opiniones, alligant Deum causis secundis, cogitant nihil mutari, deinde quaerunt etiam, cur fiant mala, cum Deus adsit opificio suo.

Harum maximarum quaestionum brevis esset explicatio, si tantum haec responsio semper in conspectu esset, Deum esse agens liberrimum, et libere adesse causis secundis, et multa in eis moderari, et agere una, quatenus ipse pro sua immensa sapientia iudicat esse una agendum. Haec verissima et simplicissima responsio, plana extricatio est multarum difficilium quaestionum. Nunc igitur de hoc quinto membro dicam.

DE QUINTO.

Et Stoici et aliae quaedam sectae alligarunt Deum ad causas secundas, Id est, finxerunt Deum nihil aliter facere posse, quam ut causae secundae sua natura cient, ut cum Sara sit sterilis et anus, cogitant impossibile esse, fieri eam matrem. Ita omnes homines in hac naturali caligine intuentes ordinem naturae, delabuntur in hanc imaginationem, ut existiment nihil aliter fieri, quam ut hic ordo ciet. Ac valde impedit, invocationem haec imaginatio. Cogitamus enim ut Stoici: Quid prodest a Deo petere gubernationem, aut mitigationem malorum, si natura suis legibus fertur? Si est infelix

bellator Iosias, et eventus reguntur naturae legibus, quid prodest auxilium Dei petere, ut ipse dextram eius armet, et militum animos inflaminet? Multi sciunt tales cogitationes, magna impedimenta esse invocationis.

Necesse est igitur in Ecclesia pias mentes recte erudiri de hac quaestione, et bene confirmari contra Stoicos errores. Suntque haec vera principia firmissime tenenda. Deus est agens liberrimum, et adest suo opificio, non ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum. Et quanquam sustentat rerum substantias, et magna ex parte servat ordinem corporum, quem instituit, tamen immensa misericordia multas partes moderatur, et secundas causas vel adiuvat, vel impedit, et saepe mutat, ut cum Moisi mare rubrum patefacit, cum praelianti Iosuae sistit solem, cum propter peccata Israel impedit pluvias toto triennio, et postea reddit precante Elia, cum dat Isaac centuplum, cum Agar pulsae in exilium fontem in deserto monstrat, cum sanat Ezechiam in morbo letali. Denique talia exempla multa scripta sunt, ut quotidie Deum propter Ecclesiam similia facere sciamus, etiamsi non omnium oculis animadvertuntur.

Saepissime vero consilia et voluntates hominum flectit quo vult, sine causis secundis, ut cum movet Alexandri mentem ad bellum Persis inferendum, et deinde praeliantis dextram regit, seu cum incutit terrores fugientibus hostibus, ut Psalmus inquit: Terribili et potenti qui aufert spiritum principum. Ita sciamus Deum liberrime in natura et voluntatibus multa moderari sua sapientia et misericordia, etiam praeter causas secundas. Obstrepunt enim mentibus hominum inter invocandum alias Epicureae opiniones, ut plurimi homines dubitant de providentia, alias opiniones Stoicae, ut cum aliquis significationes futuri mali cernens, cogitat, quid petam liberationem, cum ordo fatalium causarum non mutetur?

Adversus has tenebras humanas, perspicuis et firmis testimoniis divinis erudiendae sunt piae mentes, ut sciant et exaudiri Ecclesiae preces, et Deum non esse Stoicum, sed agens liberum, non alligatum ad causas secundas, imo propter nostros gemitus moderari causas secundas, aut impedire, aut mutare.

Huc pertinent haec dicta:

Matth. 21. Omnia quae petitis credentes, accipietis. Si dicetis huic monti, Iacta te in mare, fiet.

Iohan. 14. Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora his faciet, quia ego ad patrem vado. Et quicquid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur per Filium.

Rom. 4. Abraham praeter spem credidit, spe erectus.

Deut. 8. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.

Ephes. 3. Et ei qui potest SUPER OMNIA et excellenter opem ferre, supra quam petimus aut intelligimus. Haec verba manifeste affirmant opitulari Deum, etiam cum ratio videt causas secundas minitari exitium.

Psalm. 9. Qui exaltas me de portis mortis, ut narrem laudes tuas in portis filiae Zion.

Psalm. 10. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor, id est, iis, qui deserti a causis secundis te invocant.

Psalm. 27. Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.

Psalm. 23. Etiamsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quia tu mecum es.

Psalm. 46. Propterea non timebimus, cum turbatitur terra.

Iohan. 10. Nemo rapiet oves meas de manibus meis.

Et Matth. 16. Portae inferorum non praevalebunt adversus Ecclesiam. Ubi fit collatio potentium creaturarum cum Ecclesia. Et causae secundae potentiores sunt, quam Ecclesia, sed reprimuntur divinitus.

Ac talium consolationum plenae sunt conciones divinae, hanc ipsam ob causam propositae, ut cum potentia mundi, si causas secundas consideremus, longe antecellat Ecclesiae, sciamus tamen Deum liberrime moderari omnium rerum vires et motus, et velle sibi Ecclesiam servare, et revera exaudire invocantes ipsum, in agnitione et fiducia Domini nostri Iesu Christi.

Ac prodest habere in promtu multa dicta, quae adfirmant, Deum tunc vere velle opitulari, cum a creaturis deserti sumus, sicut clare inquit Psalm. 71. Liberavit pauperem, cui non erat adiutor.

Et Esai. 57. Dominus habitat in contrito et humili spiritu.

Et Iob inquit cap. 13. Etiamsi occiderit me, sperabo in eum, quasi dicat, Non irascar Deo, non

desinam petere et expectare salutem, etiamsi causae secundae omnes ita vincent, ut haec corporalis vita extinguatur, reddi tamen mihi vitam scio.

Et addit: Coram eo arguam vias meas. Id est, agnosco me habere peccāta, et Deum iustum esse, subiicientem Ecclesiam cruci. Sed tamen ipse erit salvator meus, id est, Eripiet me Deus tandem ex omnibus aerumnis, etiam praeter et supra causas secundas.

Exempla etiam nobis proponamus, ac illustre testimonium est in primo exemplo Adae et Hevae, quod manifeste docėt, Deum sine ullis causis secundis opem ferre. Adam et Heva post lapsum nec ab angelis, nec suis consiliis, nec ab ulla creatura iuvari poterant. Hic prodit ex arcana sede Deus, et recipit lapsos, et reddit eis vitam.

Ita postea sequuntur innumerabilia exempla beneficiorum divinorum extra causas secundas, ut cum servavit Deus Nohe in diluvio, cum Saram sterilem et anum, fecit foecundam, cum servavit Ioseph, quem fratres interfecturi erant, cum populo Israel viam concessit per mare rubrum, et deinde multa alia beneficia praestitit praeter secundas causas. Sicut defendit Davidem contra Goliath, et alias, sicut servavit Danielem inter leones, Ionam in ventre ceti, et singuli homines, qui Deum invocant, possent aliquas suas liberationes narrare, ubi manifeste praeter et extra causas secundas servati sunt.

Hanc doctrinam necesse est in invocatione cogitari, quia valde impeditur invocatio hac rationali seu philosophica imaginatione. Res feruntur, sicut natura impellit. Si habes visibilia praesidia, eris tutus in periculo. Si non habes visibilia praesidia, opprimet te inimicorum multitudo. Nec tui gemitus aut precatio mutat ordinem naturae, sed sequentur usitati eventus, congruentes impulsioni naturae, sive velis, sive nolis.

Huic cogitationi opponenda est haec verissima doctrina, quae adfirmat, Deum esse agens liberrimum et alias iuvare ordinem naturae, alias moderari, alias etiam mutare. Ac in voluntatibus hominum, ubi non turbatur ordo naturae, plurima moderari, ut Laban, et deinde Esau, etsi conantur interficere Iacob, tamen eorum voluntas divinitus reprimitur.

Saul multis modis impeditur, ne possit interficere Davidem. Ieremias toties abiicitur in carcerem, et in puteos, et tamen rursus extrahitur, Deo flectente aliquorum voluntates ad eum liberandum.

Talia etsi Democritus diceret casu accidere, tamen Ecclesia certo scit, tales motus a Deo gubernari, sicut scriptum est: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.

Et 1. Reg. 25. inquit Abigail ad Davidem: Erit anima Domini mei custodita tanquam in fasciculo viventium.

Et deinde cap. 26. Sopor Domini irruerat súper eos.

Quare in invocatione luceat haec fides, petens et expectans auxilium Dei in vocatione et negotiis necessariis, sive causae secundae nos adiuvent, sive destituere nos videantur.

Nec satis est, quod Stoici dixerunt, qui, cum eis obiiceretur, Si omnia eveniunt necessario, quid prodest sacrificare? respondebant, sacrificari, ut significaretur gratitudo, non ut peterentur beneficia, imo Ecclesia et petit beneficia, et agit gratias.

DE CAUSA PECCATI, ET DE CONTINGENTIA.

Quandocunque autem de Creatione dicitur, statim quaestio de causa mali, et de causa peccati movetur. Certamina etiam de contingentia omnibus aetatibus fuerunt. Ac ut ordine de his quaestionibus dicamus, primum in genere de omnibus rebus creatis teneatur hoc dictum, quod in Genesi recitatur, et loquitur de rebus creatis, quales a Deo conditae sunt. Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona. Et quid significet bonum dextre intelligatur. Significat autem generaliter hic Bonum, rem Deo placentem, et ordinatam ad certos usus, et in eo ordine servientem. Aliter autem placebat homo, aliter plantae, aut stellae, aut pecudes. Itaque de creatura rationali, de angelis et hominibus, sciamus, in prima creatione eos fuisse bonos, id est, placuisse Deo, et conditos esse, ut essent templum Dei, in quo Deus habitans, communicaret eis suam lucem, iustitiam, vitam et laetitiam.

Quare, ut de homine nunc dicamus, cum natura hominis ita condita sit, ut initio creationis fuerit bona et iusta, et non fuerit obnoxia morti et aliis calamitatibus, semper quaesitum est, unde sint tanta mala, peccatum, mors, et reliquae horribiles miseriae.

De hac quaestione non consulenda est Philo-

sophia, quae tantum in materia propinquas causas considerat, dicit humanum corpus morbis et morti obnoxium esse, quia Elementa et nata ex eis mutabilia sint, et habeant qualitates inter se pugnantes, quae efficiunt corporum mutationes, ut quia in equo alimentum non sarcit in humido radicali quantum absumtum est, paulatim calor nativus fit languidior, et superant externa humiditas et frigiditas, extingui animal necesse est, cum non foveatur suo calore et humore. Haec sicut in pecudibus et in plantis fiunt, ita ad hominem transferunt, nec sciunt priorem causam, cur homo simili mutationi, ut pecudes, subiectus sit, quem adfirmat Deus ita conditum esse, ut esset imago Dei perpetuo vivens, et eum celebrans.

Omittenda est igitur Philosophia, et ex verbo Dei quaerenda veritas. Post Philosophos portentosa deliria finxerunt Manichaei, quae non recitabo. Nam cognita veritate facilis est refutatio opinionum contrariarum.

Adfirmat autem doctrina coelestis, tradita per Prophetas, Filium Dei, et Apostolos, quae semper in Ecclesia fuit, peccati causam non esse Deum, sed voluntatem Diaboli et hominis, qui sua libertate sese a Deo averterunt, et in homine poenam peccati esse mortem et alias calamitates.

Testimonia sint in promptu,

Psalm. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es.

Iohan. 8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater mendacii.

Rom. 5. Per hominem intravit peccatum in mundum, id est, peccatum non est res condita a Deo, sed homo sua libertate se a Deo avertit, et excussit dona Dei, et illam suam destructionem propagavit in posteritatem.

Hic autem dicendum etiam erat, quid sit peccatum, Sed id suo loco dicetur. Nunc satis est scire, peccatum originis esse aversionem a Deo, quae secuta est lapsum Adae. Postquam enim natura amisit lucem et rectitudinem, quae in creatione fuerat insita homini, iam in mente hominis caligo est, et in voluntate aversio a Deo, et contumacia in corde, quae mala impediunt homines, ne integram obedientiam Legi Dei haec corrupta natura praestare possit. Sed actuale peccatum est actio contra Legem Dei. Haec suo loco copiosius declarabuntur.

Cum autem dicitur, Deum non esse causam peccati, id sic intelligatur, nec rem a Deo conditam esse peccatum, nec Deum velle peccatum, nec adprobare, nec impellere voluntates ad peccandum, sed horribiliter irasci peccato, ut in Lege et tristissimis poenis ostendit, imo irae magnitudo maxime conspicitur in hoc testimonio, quod placari non voluit, nisi Filius fieret victima.

Nec valet insulsa cavillatio quorundam veterum et recentium, qui excusaturi absurditatem dicunt, etiamsi Deus velit peccatum, tamen eum non peccare, quia ipsi non sit Lex posita. Haec est Sycophantia execranda. Pingit enim Deum velut Tyrannum, volentem bona et mala sine regula.

Contra enim sentiendum est, Deum vere talem esse, qualem se esse ostendit in Lege, et haec Deum vere velle, quae in Lege adprobat. Nec fingendae sunt in Deo contradictoriae aut contrariae voluntates.

Ut igitur hae propositiones verae, necessariae, aeternae et immotae sunt, Deus est, Deus est sapiens, Deus est castus, ita haec perpetua et immota est, Deus irascitur libidinibus Neronis. Imo execrandus furor est contrarium dicere.

Etsi autem in Lege promulgata voce Dei, et tot concionibus, in quibus iudicium et ira describitur adversus peccatum, clarius conspicitur voluntas Dei, quam in imagine, quam transfudit in naturam hominis, tamen et ipsae notitiae naturales et iudicium conscientiae in homine testantur, Deum nec velle nec adprobare peccata.

Quod vero Ebraica phrasi dicitur: Indurabo cor Pharaonis, et similia dicta multa occurrunt, certum est consuetudine sermonis Ebraici, illa verba significare permissionem, et non effectionem, ut: Ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas nos opprimi tentatione. Nolite esse solliciti, id est, ne sollicitudine fracti desperetis. Et ubique obvia sunt exempla huius phrasis, quae manifeste ostendunt, hanc sententiam esse verborum, quam recensui, quod eo observandum est diligentius, quia rudiores hac consuetudine non animadversa, etiam olim Augustini tempore et antea, decepti sunt.

Postquam autem certum est, Deum non esse causam peccati, nec velle nec adprobare peccatum, sequitur concedendam esse contingentiam, id est, non omnia necessario fieri. Ac ut vocabulum intelligatur, addam breves descriptiones, et earum exempla.

Necessitas absoluta vocatur, cum contradictoria propositio prorsus sua natura impossibilis est. Ac in doctrina Ecclesiae hae propositiones de Deo absolute necessariae sunt: Deus est, Deus est intelligens, omnipotens, aeternus, verax, bonus, iustus, castus, et similes, in quibus de essentia et

potentia Dei verae asseverationes divinitus patefactae sunt.

Deinde cum de voluntate Dei in creatione et operibus omnibus extra ipsum loquimur, sciendum est voluntatem Dei liberrimam esse, et Deum esse agens liberrimum, id est, posse creare, aut non creare, posse lapsum hominem recipere, aut non recipere, posse Pharaonem delere, aut non delere, posse depellere Sennacherib a Ierosolyma aut non depellere.

Haec libertas est fons contingentiae. Est igitur contingens, quod cum fit, non necesse fuit fieri, nec contradictorium erat impossibile.

Ita in doctrina Ecclesiae haec est contingens: Sol quotidie oritur ascendens super hemisphaerium nostrum, quia oritur decreto voluntatis divinae, quae liberrime hunc ordinem instituit. Sed Physici vocant has necessarias: Sol oritur, Ignis calet.

Vocantur autem a doctis, Necessariae necessitate Physica, id est, quia talis ordo in natura divinitus institutus est, nec sine singulari et extraordinario opere Dei mutatur: Sed Ecclesia scit reipsa contingentes esse.

Nunc de contingentia dicatur in actionibus humanis. In creatione hominis praecipue haec tria dona erant: Imago mentis divinae, vis intelligendi, et in ea lucens agnitio Dei, et notitia legis divinae, et aliae quaedam notitiae. Deinde voluntas recta, quae poterat obtemperare Legi Dei. Et libertas in voluntate, quae erat facultas, qua poterat homo velle seu eligere, seu reiicere ea, quae cognitio ostendebat, aut etiam suspendere actionem.

Haec facultas pars erat similitudinis Dei, et inter summa ornamenta creaturae. Et adhuc est pars similitudinis Dei, quatenus reliqua est. Fuit autem longe praestantior haec libertas in natura integra. Nunc etsi mutilata est, tamen quod ad electionem externarum actionum, quae rationi subiectae sunt, attinet, in homine reliqua est. Haec libertas quantacunquae reliqua est, Fons est contingentiae humanarum actionum.

Ut igitur Heva et Adam sua libertate averterunt se a Deo, ita hae sunt verissime contingentes, et nequaquam necessariae: Adam violat mandatum Dei, Adam violans mandatum Dei accersit sibi mortem, Quia verissimum est, Deum non voluisse, nec adprobasse id peccatum, nec impulisse, nec coegisse voluntatem Adae ad id peccatum.

Haec de fonte contingentiae vere dicta sunt, quae ostendunt Stoicas imaginationes de necessitate repudiandas esse. Affirmo igitur Pharaonem, Saulem, Neronem, sua voluntate libere et contingenter, non aliqua fatali necessitate, nec Deo impellente eorum voluntates, elegisse scelera, quae fecerunt, sicut in Osea dicitur: Ex te perditio tua est Israel. Et de Diabolo dicitur: Ex propriis mendacium loquitur.

Postquam de necessitate absoluta, et de fontibus contingentiae dictum est, priusquam Stoica argumenta, quae contra veram sententiam sophistice excogita sunt, diluo, recitabo gradus necessitatis, quibus consideratis, planior fiet explicatio argumentorum.

Primus gradus est. Necessaria necessitate absoluta, seu simpliciter necessaria, dicuntur, quorum opposita simpliciter sunt impossibilia. Tales sunt propositiones de essentia, et de virtutibus Dei. Deus est, Deus est essentia intelligens, verax, benefica, iusta, casta, liberrima.

Secundus gradus est. Necessaria necessitate definitionum, et demonstrationum, ubi si fingatur oppositum, fit implicatio contradictionis, ut si Trigonus non habet tres angulos, non est Trigonus. Si virtus non est congruens quiddam cum regula mentis divinae, non est virtus. Hic gradus proximus est primo, quia est regula mentis divinae immota. Ut haec immota est: Deus vult castitatem, ita et haec immota est: Castitas est virtus.

Tertius gradus est. Necessaria necessitate physica, quae, quia natura sic ordinata est, eodem modo se habent, sed tamen a Deo mutari possunt, ut exempla testantur. Et sic condita sunt liberrima voluntate Dei, et reguntur liberrima voluntate Dei. Ut ignis necessario calefacit, necessitate physica. Sol necessario movetur necessitate physica, id est, sic instituto ordine divinitus. Sed tamen Deus potest sistere Solem, ut fecit in pugna Iosuae. Ac Stoicorum delirium execrandum est, ut supra quoque dixi, qui fingunt, Deum alligatum esse causis secundis, nec posse aliter agere, quam ut cient causae secundae. Imo ideo invocamus, ut sua libertate regat et moderetur causas secundas, id est, physicas. Non sunt igitur prorsus immutabilia haec, quae in hoc tertio gradu recensentur, ut illa, quae ad primum et secundum gradum pertinent.

Quartus gradus est mutabilium, quae tamen vocantur Necessaria necessitate consequentiae, id est, quae sunt quidem re ipsa mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic a Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis, quae non mutantur, cum tamen mutari potuissent, vel quia cum fiunt contradictoriae, simul verae esse non possunt. Ut ne-

cessaria est Resuscitatio mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum.

Necesse est perire Saulem, quia causas non mutat, quas tamen revera mutare poterat. Nec necesse fuit eum machinari exitium Davidi, aut interficere Sacerdotes. Sicut et Samuel de libertate dicit 1. Reg. 13. Si hoc non fecisses, Deus confirmasset regnum perpetuo.

Denique omnia cum fiunt, ideo tunc necessaria dicuntur, quia contradictoriae non possunt simul verae esse, ut cum Plato sedet, contradictoria falsa est, Plato non sedet. Vult enim Deus certitudinem aliquam esse.

Etsi autem revera haec res, scilicet, sedere Platonem, mutabilis est, et haec propositio revera contingens est, tamen necessitate consequentiae, tunc necessaria dicitur.

Quoties autem de necessitate consequentiae dicitur, prudenter discernenda sunt ea, quae a Dei voluntate pendent, ab aliis, quae non pendent a voluntate Dei, sed tantum ab humana voluntate oriuntur: Ut necessaria est necessitate consequentiae haec propositio, Mortui resurgent, quia Deus sic decrevit, et quidem patefecit hoc suum decretum, et vult hanc resurrectionem. Sed hic eventus, Paris rapiet Helenam, pendet principaliter a voluntate humana. Et cum sit malus eventus, nequaquam vult eum Deus. Et tamen quia praevidet Deus id quod fit, quanquam res ipsa revera est mutabilis, tamen propter praevisionem dicitur propositio necessaria necessitate consequentiae. Paulus inquit, Necesse est, ut haereses exoriantur, videlicet, necessitate consequentiae, quia causae non mutantur, quae tamen revera mutari possent. Multa sunt ingenia levia, ambitiosa, curiosa, quae contradicendi studium habent. Haec levi aliqua occasione irritata, movent certamina, et corrumpunt res recte traditas, vel ambitione, vel curiositate, vel studio contradicendi.. Et simul Diabolus sua mirabili astutia hos furores adiuvat oblatis occasionibus, vel incendia animi, hoc est, pravos adfectus suo adflatu augens. His causis positis, sequuntur haereses. Et nequaquam hic imaginanda est necessitas absoluta, vel Stoica. Exposita hac declaratione de gradibus necessitatis, iam explicatio argumentorum, quae contra veram sententiam de contingentia recitantur, facilis est et perspicua.

Primum est.

Determinatio divina est immutabilis,
Omnia contingentia sunt determinata,
Ergo omnia contingentia sunt immutabilia, et per consequens necessaria.

Respondeo ad Maiorem. Ex determinatione divina tantum necessitas consequentiae sequitur. Et aliter intelligenda est determinatio in bonis, quae vult Deus, aliter in malis, quae non vult, sed permittit.

Deus hanc determinans: Mortui resurgent, vult hanc resurrectionem, et condit decretum, ne fiat oppositum. At determinans istam: Nero interficiet Paulum, non vult hanc saevitiam, sed permittit et determinat metas furorum Neronis, ut de Sennacherib dicitur 4. Reg. 19. Ponam chamum in labiis tuis, et reducam te, etc.

Haec sunt simplicia et vera, et conscientiis utilia. Nam Stoica illa imaginatio necessitatis impedit invocationem, et confirmat multa mala in moribus.

Secundum.

Causae secundae non agunt sine prima,
Secundae agunt necessario,
Ergo et prima necessario simul rapitur.

Simplicissima et expeditissima responsio est, secundas non agere sine prima sustentante, quae tamen liberrime concurrit, agit quantum vult, et quatenus vult, et aliter concurrit in regendis motibus coelestibus, in regenda dextra Davidis, et aliter in sustentando Saule, cuius voluntas habet suam quandam et propriam actionem.

Hic et dicta quaedam explicanda sunt, quae interdum detorquentur ad confirmandam Stoicam necessitatem, cum tamen longe aliam doctrinam contineant, quae utilis est bonis mentibus, cum dextre intelligitur.

Salomon inquit: Homo praeparat animam, sed Deus gubernat linguam. In hoc dicto discernuntur Electio, quae est in voluntate, et Eventus. Electio libera est, quia a sola voluntate oritur. Sed eventus, ad quem concurrere multas causas necesse est, non est prorsus in potestate volentis. Ut Pompeius vult bellum, et libere et contingenter vult. Eaque προαίρεσις est in potestate voluntatis. Sed eventus habet plures causas. Victoria non a

sola Pompeii voluntate pendet, sed habet alias causas multas.

Praeterea in humana deliberatione, quamvis ipsa electio, seu προαίρεσις in voluntate libera est, tamen saepe error accidit, ut Pericles et Demosthenes suadent bella, et libere eam sententiam eligunt, moti argumentis probabilibus, quae tamen non erat salutaris futura patriae.

De talibus deliberationibus loquitur Ieremias inquiens: Scio Domine, quod non est hominis via eius, id est, vocatio, Sed consilia et eventus iuvari a Deo oportet. Magna res et difficilis est gubernatio Ecclesiae, aut Civitatis, nec potest sola diligentia humana regi, ut Psalmus inquit: Nisi Dominus custodierit civitatem etc. Imo et sapientes viri extra Ecclesiam, fatentur, humanam diligentiam solam, non esse parem oneri gubernationis, ut apud Herodotum recte dicit Rex Persicus, regnum Persarum crevisse Deo ducente, ipsis Regibus prompte sequentibus, ut usitate in Ecclesia dicitur, praeeunte gratia, comitante voluntate. Monet igitur Ieremias, ut petamus a Deo salutaria consilia, et eventus felices. Sicut ipse suadens deditionem, petit a Deo, ut monstret consilium, et regat eventum. Haec non tollunt libertatem, aut contingentiam. Nam Ieremiae voluntas libera est in hac ipsa precatione. Amemus igitur hoc dictum Ieremiae, et sciamus commonefactionem esse de nostra infirmitate, et de magnitudine periculorum, et de petendo auxilio Dei.

Sic intelligatur et Christi dictum: Sine me nihil potestis facere. Mittit Apostolos et nos imbecilles doctores in media imperia, et iubet spargere vocem Evangelii, flectere voluntates hominum ad Deum, delere idola, regere mores hominum, quod cum facere incipiunt, adversantur orbis Monarchae, sapientes et potentes ubique. Manifestum est igitur, non esse eventus in sola potestate docentium, sed oportere accedere alias causas. Promittit igitur filius Dei auxilium: Sine me nihil potestis facere. Se ait adfuturum Doctoribus, et collecturum Ecclesiam, etiamsi repugnent imperia. Vult etiam sua luce mentes docentium regere, ut recte doceant, et dent salutaria consilia. Sicut ait: Qui manet in me, et Ego in eo, hic copiosum fructum feret. Interim tamen vera est propositio: Paulus volens et libere concionatur, ut David volens et libere praeliatur, etiamsi divinitus adiuvatur.

Male detorta sunt et alia quaedam dicta ad necessitatem, ut Ephes. 1. Electi secundum propositum eius, qui facit omnia secundum consilium voluntatis suae. Et 1. Corinth. 12. Idem est Deus agens omnia in omnibus. Haec dicta certissimum est loqui tantum de salutaribus actionibus in Ecclesia, Suntque consolationes, quae promittunt nobis auxilium et praesentiam Dei, ut sciamus nostra pericula Deo curae esse, et nos in tantis fluctibus rerum humanarum habere custodem et opitulatorem Deum.

Vident Moises, Samuel, et similes, se nullo modo pares esse oneri gubernationis. Sed sciunt Deum adesse in Ecclesia, eamque mirandis modis servare. Talia sunt, quae agit Deus iuvans Moisen, Samuelem, Davidem et similes. Hoc auxilium non tollit libertatem voluntatis in istis. Ita et nunc in maximis motibus sciamus Deum adfuturum esse in Ecclesia, et gubernaturum aliquorum mentes, ut salutaria faciant ad sedandos praesentes motus.

Cum igitur talia dicta dextre intellecta, salutarem doctrinam proponant, vitemus corruptelas, quae detorquent ea sophistice in peregrinam sententiam, ad confirmandas Stoicas opiniones de necessitate.

Recitavi fontes disputationis de contingentia, quibus cognitis, pius et prudens Lector sciet, quid sit sentiendum in hac quaestione, et facile explicabit, et refutabit Labyrinthos aliorum, qui Stoicas opiniones defendunt. Cumque dictum sit in genere de Creatione, nunc de natura hominis, de peccato, et de liberatione dicendum erit eo ordine, qui in Symbolo institutus est.

DE CREATIONE HOMINIS.

Etsi Deus ideo angelos et homines, et hoc totum domicilium angelorum et hominum condidit, ut aliquo modo agnoscatur, tamen nulla creatura exhaurire totum consilium de creatione potest. Eritque haec sapientia propria futurae et perpetuae consuetudinis cum Deo, ex ipsius conspectu discere, quare Deus condiderit genus humanum, quare cum inobedientia primorum parentum meruisset deleri eam creaturam, Filius factus sit intercessor et Mediator, et quale consilium fuerit de copulatione naturae divinae et humanae in Filio. Haec arcana longe et extra et supra captum humanae rationis posita, tunc discemus.

Sed vult tamen in Ecclesia sua Deus initia doctrinae de tantis rebus extare, vult se aliquo modo agnosci et invocari, vult nos gratias agere pro creatione, et pro Filio nobis donato, et reddita vita aeterna, etiamsi nondum res tantas penitus intelligimus.

Sic igitur, ut Psalmus inquit, agamus: Ex ore infantium et lactentium, laudem Dei sonemus.

Agamus Deo gratias, quod condidit sibi in genere humano aeternam Ecclesiam, et sese toties et tam illustribus testimoniis patefecit, misit Filium, dedit vocem Evangelii sui, et nos ad aeternam salutem vocat, et dat Spiritum sanctum, ut in nobis tanta bona inchoet, ac oremus ardentibus votis, ut luce sua in mentibus nostris veram notitiam et fidem de creatione, et de beneficiis, quae nobis dedit, accendat, et pectora nostra inflammet, ut firma fide eum celebremus, et ei obediamus, ac efficiamur haeredes consuetudinis perpetuae cum Filio in vita coelesti.

Quanquam autem nec consilium creationis hominum, nec opus ipsum perspici potest, tamen in Ecclesia necesse est retineri doctrinam, quae divinitus de creatione hominis, et de ipso opere, lapsu, et restitutione tradita est.

Primum igitur narrationi, quae in primo libro Moisi extat de creatione hominis, in primo et secundo capite, firmissima fide assentiamur. Ibi et opus ipsum describitur his verbis: Faciamus homines ad imaginem et similitudinem nostram.

Haec narratio non solum ingentem gloriam humanae naturae, qualis condita est, praedicat, sed etiam ostendit amorem Dei singulare erga genus humanum. Nihil enim gloriosius in creatura cogitari, aut esse potest, quam quod sit imago Dei, referens illa quae sunt in Deo pulcherrima, sapientiam, iustitiam, et libertatem voluntatis in Deo, Deinde cum ideo condiderit hanc naturam, ut in ea luceret conditoris agnitio et imago, et transfuderit in homines dona, quae sunt in ipsa mente divina, pulcherrima, non dubium est, quin valde hoc opus dilexerit, quod sic ornavit, et domicilium ac templum esse voluit, in quo habitaret, et agnosceretur, et ipse illustribus testimoniis sese ostenderet, et cui aeterna bona communicaret.

Cum autem postea de lapsu hominis dici necesse sit, prius hoc considerandum est, in quibus rebus praecipue fuerit integritas, quae quidem significatur maxime in his ipsis verbis, cum dicitur homo ad imaginem Dei conditus esse. Fuit igitur dignitas hominis, quod placuit Deo. Nec placuit tunc sine integritate, sed quia revera in homine fuit sapientia et iustitia Deo placens, quae ad imaginem et similitudinem Dei pertinet.

Augustinus imaginem tantum ad substantiam refert, et interpretatur imaginem hoc modo: Memoria in mente hominis significat Patrem aeternum gignentem Filium. Cogitatio significat Filium, Voluntas Spiritum sanctum. Non reprehendo hanc collationem ab Augustino factam, sed probo etiam nec dubium est aeterni Patris, et Filii, et Spiritus sancti discrimen in humanis mentibus adumbratum esse. Sed complectamur cum substantia etiam virtutes, sicut Paulus imaginem non de sola depravata substantia intelligit, sed de ea, in qua lucent virtutes congruentes cum mente divina.

Pertinent igitur ad imaginem haec tria bona, Mens in qua lucet vera Dei notitia, Voluntas conversa ad Deum, in qua sunt virtutes congruentes cum voluntate Dei, et libertas voluntatis, quae sine ulla contumacia inferiorum virium poterat Legi Dei obedire. Haec dona omnia complectitur adpellatio imaginis, scilicet mentem agnoscentem Deum, et caeteras in eo notitias, quae sunt velut radii sapientiae divinae in nos transfusi, voluntatem conversam ad Deum, et libertatem voluntatis. Et haec libertas non impediebatur contumacia cordis, sed cordis motus domiti, regi a ratione et voluntate poterant.

Iam cogitemus, quanta bona haec fuerint, lux de Deo, et notitia Legis, et firma adsensio, seu fides amplectens promissiones et minas Legi additas, Deinde universi huius opificii mundi, motuum coelestium, humani corporis, animantium, et plantarum cognitio.

Postea et in voluntate et corde, rectitudo et consensus, et omnium pulcherrimarum virtutum copulatio. Voluntas ad Deum conversa erat vero Dei timore, vera fiducia, vera dilectione, erat et recta inter ipsos homines, nulli aberrantes adfectus, sed ardebat in cordibus amor iustitiae, veritatis, beneficentiae, castitatis. Et his pulcherrimis dotibus ornatos se esse primi parentes intelligebant, ut agnoscerent eas testimonia de Deo esse. Hinc discebant, et esse Deum, et qualis sit, et quam obedientiam flagitaret.

Erant haec quidem ingentia bona. Sed tamen multo maius fuit, quod quanquam talis lux in hominum natura lucebat, tamen Deus etiam se singulari modo patefecit, prodiens ex arcana sede sua, et alloquens homines, certum et expressum verbum addidit, ut testaretur se velle hoc modo agnosci, cum mentes statuerent hunc vere Deum conditorem esse, qui sese patefecisset, tradita certa voce. Data sunt igitur mandata de certa arbore, et de coniunctione unius maris et unius foeminae, ut in his officiis declararent obedientiam erga ipsum. Tales erant primi parentes, placebant Deo, et erant pleni luce Dei, iusti, et habebant appetitionum ordinem, rectum et congruentem cum lege mentis, et

voluntas vere libera erat, ita ut posset Legi Dei integre obedire aut avertere se a Deo.

Haec doctrina de integritate hominis primum cogitanda est, non solum ideo, ut magis perspicua sit explicatio de Lapsu, et Peccato originis, sed etiam ut consideremus magnitudinem amoris in Deo, erga genus humanum, quem ostendit in hac donorum excellentia, quod rerum optimarum in natura divina radios in nos transfudit, suam sapientiam, iustitiam et libertatem.

Hic etiam iuniores admonendi sunt, ut doctrinam huc adferant ex Physicis, de potentiis animae, et considerent, quibus adpellationibus utatur sermo Propheticus et Apostolicus. Discernendae sunt potentiae cognoscentes et appetentes. In potentia cognoscente sunt Notitiae, ut autem ad hanc pertinent, adprehensio simplicium, compositio et divisio, argumentatio et iudicium de compositis, divisis, et argumentis, ita et conscientiae iudicium proprie est in parte cognoscente, quia est conclusio extructa ex legibus, ut in Diabolo manent legum notitiae, manet et conscientiae iudicium, etiamsi voluntas repugnat Legi, et petulanter ruit contra conscientiam, id est, contra notitias, quas veras esse sine ulla dubitatione novit.

Usitatum est autem nominare potentiam cognoscentem, intellectum, seu mentem, seu rationem, etsi haec duo vocabula interdum complectuntur etiam voluntatem. Itaque quo in loco quae usurpentur significationes, considerandum est. Potentia appetens, id est, expetens aut fugiens cognita, nominatur voluntas, Et ad hanc adiungendum est cor, quod est verorum adfectuum et non simulatorum fons et domicilium. In intellectu Ioseph notitia est Legis, Deus prohibuit vagas libidines, et vult in genere humano certas esse coniugiorum leges, vere irascitur adulteriis, et horribiliter ea punit. Hac lege movetur voluntas, ne adpetat coniugem domini, sed ut nihil sit simulationis, cor etiam vere timens Deum, et cupiens obedire Deo, fugit adulterium, et voluntas imperat oculis, et aliis membris externis, ne adulterio serviant. Cum igitur cor aliquo modo cum voluntate congruere oporteat, in veris et non simulatis adfectibus, sermo Propheticus adpellatione cordis utitur saepe pro intellectu, voluntate et corde. Interdum sic et mentis adpellatione utitur.

Sciant etiam iuniores usitatum esse Liberum arbitrium nominare voluntatem cum intellectu coniunctam, eligentem videlicet aliquid libere, praecedente cognitione. Sed doctrina de potentiis alibi copiosius traditur, et quantum conceditur, cognoscenda est. Hic autem breviter de ea Lectorem commonefeci, quia magis perspicua erit descriptio peccati originis, ad quam nunc accedimus, intuenti potentias animae.

DE LAPSU PRIMORUM PARENTUM, ET PECCATO ORIGINIS.

Dictum est de creatione hominis, de qua utcunque consentaneum videtur humanae rationi, homines ab aeterna mente architectatrice et opifice conditos esse. Sed quae de lapsu et de causis horribilium malorum in genere humano nunc dicenda sunt, haec vero longius extra conspectum humanae rationis posita sunt.

Cum ingentem magnitudinem miseriarum humanarum, mortem, et alias calamitates horrendas, caedes, bella, magnarum Urbium excidia, gentium vastationes et dissipationes multiplices aspicimus, movemur quidem, ut cogitemus tristem aliquam et magnam causam esse tantarum miseriarum, in tam praestanti natura generis humani, Sed quae sit prima et potissima causa, non cernimus. Philosophi disputant mortem, morbos, et multas pravas inclinationes a materia corporum oriri, sicut putrefieri plantas, et mori pecudes videmus, quia tales sunt materiae vices. Deinde furores, qui a voluntate oriuntur, dicunt hominum erroribus aut petulantia accersi. Nec falsa dicunt Philosophi, quia de causis proximis loquuntur, non de prioribus aut principalibus. Sed hoc ipsum quaeritur, Cur tam praestans natura hominum tantis miseriis onerata est? Unde tanta sit imbecillitas, ut tam facile ruat in tantos furores? Hic doctrina a Deo tradita in Ecclesia, causam principalem recitat, quam etsi humana iudicia ridiculam esse cogitant, et multi in Ecclesia, ut Pelagiani, et alii extenuaverunt, tamen bonae mentes, quae vere et serio amplectuntur doctrinam a Deo traditam, nec commenticiam, nec levem esse statuunt.

Extat autem in Genesi cap. 3. narratio de Lapsu. Hic dicent Philosophi, etiamsi verum est homines tunc conditos discessisse a mandato Dei, quid hoc ad posteritatem pertinuit? aut quae tanta res fuit, vesci pomo interdicto? Sed piae mentes expavescant potius cogitatione primi lapsus et nequaquam audiant virulentas calumnias narrationis divinitus traditae, quae quidem sunt tela magis venenata, quam qualia fuerunt tunc sermones Diaboli, quibus initio sauciatum est cor Hevae.

Etiamsi externum opus, ut vesci pomo, res le-

vis videtur, tamen illa magna et horrenda fuerunt, averti a Deo, negligere mandatum Dei, anteferre ullam rem humanam, Et cum omnes naturae rationales, angeli et homines ita conditi sint a Deo, ut per Spiritum sanctum angeli et homines copulati essent Deo, aeterna societate, et non solum luceret in eis imago sapientiae et iustitiae Dei, sed etiam transfusus esset in eos Spiritus sanctus, ut cum Patre et Filio, mirabili amore connexi essent, quantum malum fuit rumpere illam copulationem? quanta ingratitudo fuit excutere Spiritum sanctum, et illam aeternam coniunctionem cum Deo aspernari? Tanti mali turpitudo non potest ullius angeli vel hominis eloquentia satis exponi, imo ne quidem comprehendi cogitatione potest. Horrendum malum est peccatum, nec magnitudo satis cerni potest, sed reverenter cogitatione lapsus et poenarum expavescamus, et ad Filium Mediatorem confugiamus.

Considerata autem narratione de Lapsu primorum Parentum, deinde ostendamus ex dictis Propheticis et Apostolicis posteritatem ream esse propter illum lapsum, et definitionem firmam et perspicuam constituamus, Quid sit peccatum illud, quod in posteros natos ex commixtione viri et mulieris propagatum est; quod usitate vocant, Peccatum originis.

Ac initio recitemus aliqua testimonia, quae adfirmant, posteritatem ream esse propter Adam. Tradit autem Paulus hanc doctrinam expresse Rom. 5. Per unum hominem, peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pervasit, eo quod omnes peccaverunt, id est, rei facti sunt, seu reiecti et damnati sunt. Nota est enim phrasis Hebraica, quae verbo peccare significat reum, id est, reiectum et damnatum esse. Item, unius delicto omnes mortui sunt, Ergo alii sunt rei propter Adae lapsum. Et Ephes. 6. Eramus natura filii irae, sicut et caeteri, Hebraica phrasis est, filii irae, id est, proprii irae, hoc est, rei et damnati. Et Psalmo 50. dicitur: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, quibus verbis adfirmat Propheta peccatum aliquod propagatum esse a parentibus. Quare malum aliquod, et a primis parentibus in posteros propagatum est.

Etsi autem humana iudicia sine doctrina coelesti, non cernunt ream esse hominum naturam, nec agnoscunt satis, mala haerentia in hominum natura, tamen calamitatum magnitudo commonefactio est de causa, esse videlicet aliquod peccatum in hominum natura, quod sit fons tantorum malorum. Postquam autem certum est, homines natos ex commixtione viri et mulieris, reos esse, iam quaeritur hoc malum quale sit. Aliqui dixerunt, tantum poenam esse, qua obligata est haec natura ad mortem corporis, alii dixerunt, reatum esse sine vitio in ipsis hominis viribus. Sed hi errores tristissimis concionibus Prophetarum et Apostolorum manifeste refutantur.

Est autem haec definitio usitata ab Anshelmo Gallico accepta, et postea in scholis celebrata, quam quidem autor ipse satis luculenter enarrat, sed recentiores non eodem modo eam interpretati sunt.

Peccatum originis est carentia iustitiae originalis, debitae inesse. Libenter amplector hanc definitionem, sed dextre intelligatur, ut autor ipse enarrat. Nam iustitia originalis, non significat tantum acceptationem divinam, sine veris virtutibus insitis hominum naturae. Ideo autem supra recensui prolixius doctrinam de creatione hominis, et de imagine Dei in hominibus, ut postea lapsus intelligi magis perspicue posset.

Erat ante lapsum in mente Adae notitia de Deo illustrior, et firmior adsensus minarum et promissionum legalium. Deinde voluntas nondum erat aversa a Deo, sed erat ornata in creatione multis virtutibus, timore et dilectione Dei, fiducia Dei, et iustitia universali, iuxta totam legem naturae. Nec erant inclinationes in voluntate contra Legem Dei.

Erant et in corde adfectus congruentes cum lege mentis, nec erant inclinationes aut adfectus contra legem mentis. Hanc totam integritatem et concordiam in mente, voluntate, et corde vocarunt rectitudinem et iustitiam originalem.

Cum igitur in definitione Anshelmi dicitur, peccatum originis est defectus iustitiae originis, intelligatur iustitia non tantum acceptatio, sine illis virtutibus, sed utrumque complectendum est, defectus acceptationis, et virtutum, Estque peccatum originis defectus iustitiae originis, id est, in natis ex commixtione maris et foeminae, amissio lucis in mente, et aversio voluntatis a Deo, et contumacia cordis, ne possint homines integre obedire Legi Dei, secuta lapsum Adae, propter quam corruptionem nati sunt rei et filii irae, id est, damnati a Deo, nisi facta fuerit remissio. Si quis vult addere, natos etiam reos esse propter lapsum Adae, non repugno.

Hanc definitionem veram esse, et perpetuam Prophetarum, Apostolorum et veterum scriptorum sententiam certissimum est, videlicet peccatum ori-

ginis, non tantum esse imputationem, sed in ipsa hominum natura caliginem et pravitatem. Ideo veteres plerumque nominant hoc malum, pravam concupiscentiam, qua adpellatione intelligunt non adpetitiones in natura conditas, sed ἀταξίαν adpetitionum. Et Bonaventura dictum Hugonis citat, Peccatum originis esse ignorantiam in mente, et inobedientiam in voluntate.

Iam addenda sunt testimonia Prophetica et Apostolica, quae ostendunt hoc malum in natura hominis, quod nascentes nobiscum adferimus, non tantum reatum seu imputationem esse, sed etiam vitia in hominibus. Rom. 7. manifestum testimonium extat: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae. Non dubium est autem legem in membris, quam sic nominat, esse pravas inclinationes nobiscum nascentes. Et id malum ait repugnare legi mentis et Legi Dei.

Est igitur peccatum originis non modo reatus, sed etiam vitium in ipsa natura.

Simile testimonium extat Rom. 8. Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Nam Legi Dei non subiicitur, nec subiici potest, ostendunt verba non dici de actuali malo, sed morbo durabili haerente in natura, quem nominat sensum carnis, qui non possit Legi Dei subiici. At actuale malum expelli posset, et natura si non depravata esset, Legi Dei subiici posset.

Considerent autem pii, quam tristis concio sit, cum ait, in hac imbecilli et misera natura inimicitiam esse adversus Deum. Quid dici atrocius potest, quam hanc naturam hominis inimicam esse Deo, hoc est, circumferre secum adsiduc caliginem, et dubitationes de Deo, securitatem negligentem Deum, diffidentiam fugitantem Deum, et inclinationes, unde multi errantes impetus contra Legem Dei oriuntur. Haec mala cum nominet sensum carnis, manifestum est malum nobiscum nascens, non tantum reatum esse, sed etiam illud vulnus in natura, videlicet, pravas inclinationes, de quibus dictum est. Nec nova est haec doctrina in Ecclesia, tunc demum a Paulo tradita, sed inde usque ab initio semper Patres et Prophetae hanc infirmitatem naturae humanae et agnoverunt et deploraverunt. Vult enim Deus in Ecclesia semper aliquo modo intelligi et agnosci hoc malum haerens in natura, ut sciant homines se non satisfacere Legi Dei, nec disciplina iustos esse coram Deo, sed quaerant remissionem peccatorum, per Mediatorem. Item, ut discrimen conspiciatur inter Legem Dei et leges politicas. Lex Dei accusat non tantum externa delicta, sed etiam pravas inclinationes in corde. Sed Leges politicae sunt qualecunque frenum, quo externa disciplina regitur, et tantum accusant externa delicta. Ideo statim initio in Moise extat haec concio de pravis inclinationibus in natura. Genes. 8. Cogitatio humani cordis mala est a pueritia, id est, non tantum prava adsuefactione corrumpuntur homines, Sed in ipso corde inclinationes pravae sunt in pueris iam nascentibus. Verba enim in Hebraica lectione magis illustria sunt, Opificium humani cordis, seu plasma, id est, Massa ipsa aut certe motus, seu impetus, seu ὁρμαὶ in corde sunt res malae, id est, aversae a Deo.

Eadem est sententia dicti Ieremiae cap. 17. Perversum est humanum cor in omnibus, et miserum et inscrutabile, id est, Est aversum a Deo, et abutitur omnibus bonis, quaerit gloriam, et voluptates non debito ordine, et obliviscitur Dei in secundis et adversis rebus, deinde inquit, cor miserum esse, quia cor sine luce et consolatione divina, opprimitur desperatione, doloribus, et moestitia aeterna.

Ex his dictis et similibus perspicue intelligitur peccatum originis esse non tantum imputationem, sed etiam vulnera quaedam in natura. Ideo cum Paulus et David nominant haec mala, peccatum non tantum intelligatur imputatio, sed etiam intelligantur defectus et pravae inclinationes, id quod satis perspicue significat Paulus, de potentia peccati loquens, peccatum regnavit, id est, oppressa lege mentis, multos impetus ruentes contra Deum excitavit, quare de malo in natura haerente loquitur, non tantum de otiosa imputatione.

Ac imago proposita est in narratione de viatore vulnerato et spoliato, quae extat in cap. 10. Lucae. Latro diabolus oppressit viatorem hominem, et vulneravit eum, ac spoliavit, quod sic interpretantur, Spoliavit gratia, et vulneravit naturalia, spoliavit, id est, avulsit eum a Deo, et excussit lucem et iustitiam insitam, Fecit et vulnera in ipsa natura, liberi arbitrii vires languefactae sunt, voluntas habet pravas inclinationes, et cor est contumax legi mentis. Ita iacet viator semimortuus, id est, etsi iam perierat homo, si non accessisset Filius Dei, tamen quia ex media morte revocatur hoc modo, cum audit et accipit Evangelium, dicitur hic semimortuus. Eatenus vivit, ut audiat et amplectatur Evangelium, praetereunt autem miserum sacerdos, id est, doctor Legis, et Levita, id est, mactator pecudum. Hi non possunt opem ferre morienti, id est, legis opera non tollunt iram Dei nec recuperant iustitiam et vitam aeternam. Nec sacrificiis et mactatione pecudum placari ira Dei potest. Sed Samaritanus, id est, custos Ecclesiae suae Filius Dei: nam שׁוֹמֵר custodem significat: adficitur misericordia calamitatis nostrae, et infundit vinum et

oleum, id est, arguit peccatum, et addit vocem Evangelii, qua sanat vulnera nostra, dato Spiritu sancto obligat etiam vulnera, id est, peccata praeterita, et reliquias in nobis haerentes tegit, nosque imponit suo corpori, id est, propter nos sustinet, mortem et fit victima pro nobis, deinde nos commendat ei, qui praeest hospitio, videlicet, ministris Evangelii, cui tradit Duos Denarios, vocem legis, et vocem Evangelii, et vult inchoata sanatione magis magisque confirmari in nobis agnitionem Dei, fidem, spem, dilectionem, et caeteras virtutes, et initia vitae aeternae, et promittit sumtus, id est, auxilium utrisque, doctoribus et piis auditoribus.

Haec imago pingit et miserias nostras, et sanationem.

Quaeri autem solet, quae pars hominis sit spoliata, quae vulnerata, et ubi sit peccatum originis. Vera responsio est, peccatum originis in anima et in corpore esse, ac praecipue in tribus viribus, scilicet, in mente caliginem, gignentem tetras dubitationes de providentia, de comminationibus et promissionibus Dei, deinde in voluntate aversionem a Deo, unde sunt ingentia mala, securitas, neglectio irae Dei, diffidentia, amor nostri. Postremo in corde horribilem contumaciam gignentem errantes adpetitiones et flammas pugnantes cum lege Dei, iniustos amores, iniusta odia.

Haec mala omnia uno nomine complecti antiquitas voluit, quae nominavit malum originis concupiscentiam, qua voce non adpetitiones ipsae, quatenus a Deo conditae sunt, intelligantur, sed ἀταξία adpetitionum, ut supra quoque monui. Facile autem spoliatio intelligi potest in utroque, in anima et in corpore. In mente amissa est firma assensio. Ex voluntate excussus est Spiritus sanctus, cor amisit gubernatorem, id est, mens et voluntas non possunt firmiter regere cor, quod varie rapitur non solum temperamenti varietate, sed etiam sua quadam imbecillitate. Spoliationem autem seu defectus secuta sunt vulnera, ut in voluntate amor et admiratio nostri, in corde multiplex contumacia, sicut Anshelmus loquitur de navi destituta gubernatore et remis, quae postea variis motibus agitatur.

Hic autem quaestio agitatur, quomodo in anima peccatum esse possit, cum animae immediate creentur a Deo, ad quod facilis et plana responsio est, si dicimus Animas ex traduce oriri, quod Augustinus et alii multi docti et sapientes magis senserunt. Si quis autem fugiet hanc disputationem, respondere poterit tales nunc creari animas, qualis est haec natura post lapsum, quia dissimiles esse animas non dubium est. Heroicae sunt praestantiores, et magis dominantur omnibus motibus corporum, quam aliae imbecilliores.

Usitatum est sic dici, Animas inficia corporibus. Sed cum defectus quidam proprii sint mentis et voluntatis, ut in mente dubitatio, et in voluntate aversio a Deo, necesse est fateri in ipsa anima quoque malum et peccatum esse.

Nunc ordine recensebo causas et effectus peccati originis, in Adam et in posteritate.

Causae efficientes primum lapsum in Adam et Heva, fuerunt diabolus offundens falsam imaginationem, et voluntas in Heva et Adam, adsentiens illis imaginationibus, ac discedens a verbo Dei. Non igitur Deus, sed voluntas in ipsis primis parentibus causa est peccati, sicut Paulus inquit: Per unum hominem peccatum intravit in mundum.

Dicuntur autem et efficientes causae, quae merentur aliquid. Sic Adam et Heva sunt efficientes causae, quia sibi et posteris meriti sunt reatum, et hos ipsos defectus seu pravitatem quae lapsum secuta est, excussa luce Dei. Postquam enim primi parentes deliquerunt, amiserunt firmam illam notitiam, quae mentibus insita fuerat, et rectitudinem voluntatis, et convenientiam cordis cum lege Dei. Et qualis fuit in eis natura orbata originali iustitia, tales postea procreaverunt. Itaque voluntas in primis parentibus, est causa efficiens corruptionis universae naturae in posteris.

Materia. Non hic, nisi de Materia in qua, id est, de subiecto quaeri potest, videlicet, ubi sit malum originis? Est autem in anima, et in potentiis sentientibus, et earum organis, quia in mente humana est caligo, in voluntate aversio a Deo, amor nostri inordinatus, et multiplex prava inclinatio, et in corde contumacia contra rectum iudicium mentis. Ita loco morbi, ut sic dicam, monstrato, propius aspici malum potest.

Forma. Duplex formale est: alterum peccati regnantis, scilicet, reatus, alterum vitii, seu morbi, videlicet, defectus. Haec dextre explicata facile intelligi possunt ab iis, qui mediocriter exculti sunt doctrina. Disputationes Monachorum de hac re plus habent labyrinthorum, quia inerudite iudicarunt, nec consideraverunt discrimen inter reatum, et ipsum morbum in natura hominem haerentem.

In Paulo renato, quanquam persona non est rea, tamen manent multae dubitationes de Deo, ortae ex caligine mentis. Hanc caliginem et ipsas dubitationes esse defectum lucis, manifestum est, Deinde voluntas non habet dilectionem Dei tam ardentem, ut oportuit, et cor habet multas flammas aberrantes a Deo. Haec mala, defectus seu privationes esse, ut dialectici loquuntur, manifestum est, ut si de navi, quae destituta gubernatore iactatur flu-

ctibus, dicatur defectus seu privatio esse, quod sine ordine nunc huc, nunc illuc impellitur navis, et quod deest gubernator, seu ut de conturbata harmonia in cantu dici potest, ipsam conturbationem seu discordiam sonorum, esse privationes. Haec perspicua sunt.

Et quanquam Scriptores alias nominant hoc malum defectus, alias pravam concupiscentiam seu pravas inclinationes, tamen idem sentiunt omnes, et omnes iudicant formale esse huius totius mali defectus. Nam etiam cum de concupiscentia seu inclinatione dicitur, non intelligitur damnari appetitio, qualis condita est in hominis natura, sed aversio appetitionum a Deo et ἀταξία inclinationum ac affectuum aberrantium a Deo, et temere vagantium. Hinc perspicue intelligi potest, peccati regnantis formale esse reatum, id est, illam relationem, personam, propter vitium quoddam, ordinatam esse ad aeternas poenas, nisi fiat remissio, sed vitii, quod haeret in natura, formale esse defectus multiplices.

Finis. Appellatione finis continentur hic effectus et poenae quae comitantur lapsum Adae, et peccati propagationem, videlicet, ira Dei damnantis et reicientis hominem non renatum. Mors corporis, et innumerabiles calamitates saevientes in corpora, prava inclinatio seu concupiscentia, quae et poena est primi lapsus, et deinde peccatum, qua prava inclinatione impeditur humana natura, ne integre obedire legi Dei in hac vita possit. Est et tristis poena, miserrima servitus, qua totum genus humanum tyrannidi diaboli subiectum est, qui impellit incautas et infirmas hominum mentes, ut alii in alia scelera horribiliter ruant. Cain fratrem interficit, cum quidem et sibi ipsi et generi humano gratulari beneficium Dei debebat, quod Deus illustri testimonio ostenderat se exaudire invocantes.

Etsi enim manet aliqua facultas liberi arbitrii, seu humanae voluntatis, que utcunque regere disciplinam potest, tamen humana imbecillitas saepe vincitur impulsionibus Diaboli, ut in Saul, Ahitophel et multis sapientibus conspicitur. Suntque tristissima spectacula in genere humano, videre horrenda exempla sapientum et virtute praestantium, qui impulsi a diabolo fiunt administri magnorum scelerum, stabiliunt idola, et exercent saevitiam in Ecclesiam, ut Pharao, Arius, Diocletianus, et alii innumerabiles.

Haec recitatio causarum aliquid lucis addit doctrinae de peccato originis, nec cachinnos prophanorum hominum vereamur, qui derident hanc doctrinam, sed ingens magnitudo miseriarum generis humani moveat nos, ut cogitemus non levem esse causam irae Dei, propter quam tantis aerumnis et poenis natura hominum onerata est, quas Paulus breviter complexus est inquiens, per peccatum intravit mors. Magna varietas semper fuit disputationum et explicationum in hac quaestione, ac recitatio variarum opinionum non solum longa esset, sed etiam obscuritatem augeret. Cognitis autem his veris fontibus, diiudicatio opinionum in hac quaestione nequaquam difficilis est. Pelagius omnino sustulit peccatum originis, et finxit homines posse legi Dei perfecte satisfacere, et externa obedientia seu disciplina mediocri coram Deo iustos esse. Ac propemodum idem sensit Occam, et multi alii.

Econtra Manichaeus tetra et portentosa deliramenta sparsit. Duas esse hominum species, alteram a venenata materia, quam dicit ortam esse a malo Deo. Tales dicit nunquam ad bonum converti posse, ut Pharaonem, Catilinam et similes. Alteram speciem dicit a bono Deo ortam esse. Tales dicit ideo converti, non quia ipsorum voluntas sua aliqua actione adsentiatur voci divinae, seu quia se aliquo modo active habeat, sed quia se pure passive habeat velut canalis, per quem fluit aqua. Dicit igitur tales converti, quia eorum natura capax sit divini luminis, ideoque talibus infundi Spiritum sanctum, quia sint ex illo numero orto ex meliore materia.

Explodendi sunt autem et Pelagii et Manichaeorum errores, et contra tales furores diligenter muniendae sunt piae mentes veris testimoniis. Dicta Pauli et prophetica supra recitata, satis, perspicue refutant Pelagium. Adversus Manichaeos haec fundamenta tenenda sunt, Non esse duos conditores Materiae, unum bonum, et alterum malum, sed tantum bonum conditorem esse, et unicam fuisse hominum materiam, quae in creatione bona erat, postea lapsu languefacta est, excussa luce et iustitia divina. Et similem esse materiam omnium hominum, et omnes homines posse converti ad Deum, nec voluntatem se habere pure passive, sed aliquo modo active, ac adsentiri posse Deo trahenti, quia manifestissimum est promissionem Dei universalem esse. Haec satis est iam monuisse. Nam postea de Libero arbitrio copiosius refutandi erunt et Pelagiani et Manichaei.

De dicto Philosophico, Natura bona est.

Addatur et brevis declaratio dicti Philosophici, quod opponunt doctrinae de peccato originis. Usitatum est enim dicere Naturam bonam esse. Id

ita accipiatur. Substantia hominis, et notitiae et adpetitiones, quatenus reliquum est opus a Deo conditum, sunt res bonae, sed accessit postea propter peccatum depravatio, id est, defectus, et ἀταξία. Haec mala, etsi sunt magna, tamen discerni a substantia, et iis bonis, quae in natura hominis reliqua sunt, oportet, ut notitia numerorum est res bona, quia a Deo insita est homini, et ad agnitionem Dei, et multorum divinorum operum necessaria est. Sic de omnibus veris notitiis suo ordine sentiendum est.

Est et notitia legis naturae res bona, Etsi enim post lapsum Adae coepit esse obscurior, et adsensio conturbatur dubitationibus, tamen quantum eius lucis reliquum est, res bona est, et Dei opus. Artes igitur et leges verae bona consequentia ex legibus naturae extructae, res bonae sunt. At interea accedunt multae dubitationes, an Deus curet nos, an puniat, an recipiat, an exaudiat nos, an velit opitulari, an velit dare aeternam vitam et aeterna bona. Hae dubitationes sunt per se vitiosae, quia sunt mala pugnantia cum lege Dei. Sic et discrimen magnum est affectuum. Alii praecepti sunt lege Dei, ut amor sobolis, coniugum, parentum. Alii prohibiti lege Dei, ut contemtus Dei, fremitus adversus Deum, invidentia, amare coniugem alterius.

Etsi autem in hac depravatione naturae, postquam homo excussit rectorem Deum, etiam adfectus praecepti lege Dei, qui utcunque nunc reliqui sunt, contaminantur, et fiunt vitiosi, quia non reguntur dilectione Dei, sicut saepe propter liberos delinquunt homines, tamen ipsa φιλοστοργία a Deo mandata est, et manere in renatis, et purior fieri debet. Abraham ardenter amat Ismael et Isaac, sed tamen antefert mandatum Dei.

Non igitur imaginandum est, ex homine omnes adfectus tollendos, aut omnes eodem modo damnatos esse, ut fanatici Anabaptistae iactitant Stoicam ἀπάθειαν. Imo nulla est vita sine motu, sine adpetitione, seu aliquibus adfectibus et ipsa lex Dei postulat adfectus, Diligas Dominum Deum tuum. Item, diligas proximum. Et Rom. 1. ἀστοργία inter atrocia crimina recensetur.

Haec commemoravi propter multas causas, primum ut imperiti praemoniti magis vitent fanaticorum deliramenta, quae saepe omnes affectus Stoicorum more damnant, et stulta simulatione sibi tribuunt ἀπάθειαν. Deinde ut cum de concupiscentia dicitur, sciant non improbari appetitiones, sicut in natura conditae sunt, sed ἀταξίαν appetitionum.

Postremo, ut cum intelligent oportere in natura adpetitiones et affectus esse, sciant vere haec in Christo fuisse, sed ordinata, veram laetitiam, veram moestitiam, veram et ingentem iram, et alios affectus, sed ita, ut regerentur amore Dei, ut Marci 3. Circumspexit iratus, Et de eo in Psalmo dicitur: Zelus domus tuae comedit me.

DE PECCATO IN RENATIS.

Reliqua est quaestio, An recte dicatur, post baptismum in Infantibus esse peccatum, seu concupiscentiam esse peccatum. Item, in Renatis adultis esse peccatum.

Respondeo primum de Renatis adultis. In talibus coguntur omnes concedere reliqua esse multa peccata, quia in prima Epistola Iohannis capite primo dicitur: Si dicemus nos non habere peccatum, nos ipsos decipimus, et veritas non est in nobis. Hoc illustri testimonio convincuntur omnes, ut in renatis adultis fateantur esse peccata, scilicet, multas flammas vitiosarum cupiditatum, quae simul rapiunt subitum voluntatis consensum, quem difficile est excutere. De his peccatis Actualibus tantum loqui Iohannem aliqui contendunt, quae adesse etiam experientia communis testatur, quae quidem cum sint multa et magna, miseria hominum deploranda esset, etiamsi nihil praeterea mali adesset. Sed prophani homines extenuant haec vitia, qui tantum has actiones dicunt esse peccata, id est, mala pugnantia cum lege Dei, cum voluntas perspicue consentiens, ruit contra legem Dei, seu ut Graeci dicunt, ἐκ προαιρέσεως contra legem Dei facit.

Haec philosophica opinio extenuat peccatum contra iudicium Dei. Et impia audacia est, ac legis divinae depravatio, dicere affectus illos vitiosos sine certo consensu voluntatis, non pugnare cum lege Dei, sed esse deformitates praeter legem Dei. Dolendum est tanta mendacia in Ecclesia sparsa esse, quibus et iudicii divini severitas, et magnitudo misericordiae obscurantur.

Quanquam autem error hic a multis defenditur, tamen pii Propheticam et Apostolicam doctrinam sequantur, quae sic docet.

Vitiosi affectus in non renatis sunt peccata mortalia, id est, mala pugnantia cum lege Dei, propter quae homines rei sunt irae Dei et aeternae poenae. Et horum malorum radix est concupiscentia, de qua, ne sit ambiguitas in vocabulo, supra est dictum complecti eam, in mente caliginem, in voluntate aversionem a Deo, et in corde contumaciam contra legem mentis.

Hoc totum malum in non renatis etiam est peccatum mortale, id est, malum pugnans cum lege Dei, propter quod homines rei sunt irae Dei et poenae aeternae. Nec extenuandum est hoc malum, cuius magnitudo aliquo modo ex assiduis cupiditatum flammis aestimari potest. Quis tam furiosus est, qui ausit dicere, parvum malum esse in hominum natura, dubitationes de providentia, item coecam securitatem, qua fit, ut homines aut leviter, aut non metuant iudicium et iram Dei. Item, Amorem nostri, quo magis nostrae voluptati aut gloriae servimus, quam gloriae Dei. De his malis omnibus dixit Paulus, sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Non autem leve malum cogitetur esse, quod nominat inimicitiam adversus Deum.

De his peccatis omnibus dico, remitti ea renatis, tum in baptismo, tum postea in conversione, ita ne imputentur. Hoc est, reatus tollitur, sed manent morbi ipsi, nisi quod sanatio aliqua ex parte inchoatur, dato Spiritu sancto, qui morbi sunt mala pugnantia cum lege Dei, digna morte aeterna, nisi fieret remissio. Haec est expresse Pauli doctrina capite 7. et 8. ad Romanos, ubi nominat Paulus pravam inclinationem in membris suis, peccatum. Et ne sit ulla ambiguitas in appellatione peccati, ait Paulus pugnare illud malum cum lege mentis.

Nominat autem legem mentis, legem divinam, Et postea addit: Etsi tale malum est in renatis, tamen nulla nunc damnatio est his qui in Christo Iesu ambulant, id est, reatus tollitur.

Si quis igitur non abhorret a formis loquendi dialecticis, et dextre eas intelligat, potest dicere, manere in renatis materiale peccati, id est, malum ipsum pugnans cum lege Dei, sed tolli formale, id est, reatum. Adest malum pugnans cum lege Dei, sed est tectum, ut in Psalmo dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata. Haec explicatio et nostram immunditiem nobis ostendit, et econtra magnitudinem misericordiae tegentis eam illustrat.

Cum autem reprehendimus adversarios propterea, quod negant in renatis concupiscentiam peccatum esse, homines politici vociferantur hanc rixam, tantum inanem λογομαχίαν esse. Si est condonatum, inquiunt, cur tantopere contenditis nominari oportere peccatum? Hanc calumniam refutari necesse est. Non est de vocabulo, sed de multis magnis rebus contentio. Nam multos errores complectuntur adversarii in illa extenuatione peccati originis.

Primum falluntur et fallunt alios de nomine concupiscentiae. Tantum enim intelligunt concupiscentiam, appetitiones sensuum, et has dicunt esse naturam bonam, aut certe ἀδιάφορα. Deinde adfingunt lege tantum prohiberi actualia delicta, et propterea adfirmant homines legi Dei satisfacere posse, et impletione legis iustos esse, hoc est, reddere Deo, quod debent. Sic enim illi ipsi scriptores interpretantur iustitiam, etiam cum de nostra iustitia erga Deum loquuntur.

Hi errores manifeste pugnant cum doctrina Prophetica et Apostolica, quia Paulus Rom. 8. dicit, impossibile erat Legi iustificare, ideo admoneri Ecclesiam, et de tantis rebus recte doceri necesse est.

DE PECCATIS ACTUALIBUS.

Vetus definitio est peccati actualis: Peccatum est cupitum, dictum, aut factum contra legem Dei. Intelligunt affectus, et externa facta pugnantia cum lege Dei. Etsi autem vetus illa descriptio et mutila est et impropria, tamen et recepta est et interpretationibus magis corrumpitur. Optandum autem esset extare definitiones ex Prophetica et Apostolica doctrina sumtas, tum peccati in genere, tum vero peccati actualis.

Recitabo igitur definitionem Peccati in genere, sed ita ut iudicium eruditis et piis permittam et petam, ut si quid desiderant, meliorem tradant mihi et aliis.

Peccatum est defectus vel inclinatio, vel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, et commerens iram Dei, ac aeternas poenas, nisi facta sit remissio.

Haec definitio Originale et Actuale complectitur, et manifeste sumta est ex dicto: Maledictus qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in lege.

Iam facile est inde sumere definitionem Actualis peccati, omissis duobus vocabulis. Peccatum actuale est actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, et commerens iram Dei et aeternas poenas, nisi facta sit remissio. Nam actio significat interiores et exteriores actiones vitiosas, hoc est, etiam affectus vitiosos ex originali malo erumpentes, ut dubitationes de providentia, de comminationibus et promissionibus, neglectionem Dei, diffidentiam de auxilio Dei, errantes flammas libidinum et aliarum cupiditatum. Haec mala interiora etiam sunt vere peccata mortalia in non renatis, sicut ipsa radix.

Etsi enim humana ratio tantum damnat externa facta contra legem Dei, tamen sciendum est, iudicio Dei etiam illa interiora mala vere damnari,

iuxta illud dictum: sensus carnis inimicitia est adversus Deum.

Quanquam igitur multi extra Ecclesiam, et ignorantes Filium Dei, et alii non renati magnas et excellentes virtutes habuerunt, et honesta disciplina mores suos frenarunt, ut Aristides, Socrates, Xenophon, Scipio, Laelius, Pomponius Atticus, tamen non fuerunt iusti coram Deo, sed revera adhuc personae fuerunt iniustae, cum haberent multa magna interiora vitia, dubitationes de Deo et alia. Sicut Pompeius cum in fuga Mitylenen ad Cratippum venisset, disputavit, utrum imperia regantur providentia divina, cum ipse in causa iustiore victus esset.

Idem postea et Cato disputavit. Denique tales querelae fuerunt, sunt et erunt innumerabiles in hominum vita omnibus temporibus. Et ubi illa mentis caligo est de Deo, alii multi morbi, multae flammae sunt vitiosarum cupiditatum.

Quare illi qui fingunt Aristidem et similes propter disciplinam iustos fuisse et haeredes Dei, et Ecclesiae, adiungunt multitudinem sine voce Evangelii, et sine vocatione, non recte iudicant.

Etsi enim nescimus, qui sint gradus talium post mortem, et valde mirum videtur humanis iudiciis tantam hominum multitudinem reiectam esse a Deo, tamen nos necesse est ex voce Evangelii iudicare: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum. Et Rom. 8. Quos elegit, hos vocavit. Quae sententia plane affirmat utrumque, et semper aliquos electos esse in coetu vocatorum, et extra coetum vocatorum non esse electos.

Non contemnamus Filium Dei, et vocem Evangelii, sed agnoscamus immensam misericordiam Dei, qui vult sibi aeternam Ecclesiam colligere agnitione Filii, et non aliter, et pro hoc ingenti beneficio gratias agamus, nec ita leve ducamus, ut applaudamus architectantibus aliam Ecclesiam sine Filio Dei, sine Evangelio, et sine vocatione.

Non igitur opus est discernere in non renatis peccata mortalia et venialia, cum personae tantisper damnatae sint, donec non conversae sunt ad Deum.

Sed postea in renatis seu conversis, necesse est discerni peccata, quia manifestissimum est in renatis in hac tota mortali vita manere magnos morbos, et multa peccata, quae tamen non excutiunt Spiritum sanctum.

Rursus vero esse aliquos lapsus, quibus admissis, homo, qui prius fuerat iustus, postea contaminatus hoc lapsu, fit reus irae Dei, et aeternae mortis, nisi iterum ad Deum convertatur, ut manifestum est Adam et Hevam in lapsu amisisse iustitiam et Spiritum sanctum.

Manifestum est Aaroni Deum horribiliter iratum fuisse, cum assensit vitulum adorantibus, ut Deuter. expresse dicitur. Ideo discerni gradus peccatorum necesse est, sicut et Paulus perspicue discernit.

Aliud vocat peccatum regnans, aliud peccatum non regnans. Sed pro his concinnis et dilucidis appellationibus nunc usitatum est, alia vocare Mortalia, alia Venialia. Definitiones igitur tradam.

Peccatum veniale, seu non regnans est malum originis, et affectus pugnans cum lege Dei, cui tamen repugnat voluntas adiuta a Spiritu sancto, ne contra conscientiam illi pravo motui obtemperemus, et fide petit et credit remitti hanc infirmitatem propter Filium Dei pro nobis interpellantem.

Peccatum mortale, seu regnans in lapso post conversionem, est violatio legis Dei contra conscientiam, qua admissa, persona fit rea aeternae poenae, nisi rursus in conversione fiat remissio. Et tali violatione excusso Spiritu sancto, rursus et prava concupiscentia est peccatum regnans.

Nec dubium est, sic posse labi et saepe labi renatos, quorum alii rursus ad Deum convertuntur, ut Adam, Heva, Aaron, David, Manasse.

Alii non convertuntur rursus, ut Saul, Iudas, et ingens multitudo, ut parabola Matth. 12. ostendit, in qua dicitur redire diabolum in domum purgatam. Et Matth. 13. Venit malus et rapit semen ex corde eius. Et in secunda Epistola Petri cap. 2. Si cum effugerint contaminationes mundi, per agnitionem Domini, et servatoris Iesu Christi, his rursus implicantur, fiunt eis novissima deteriora prioribus.

Necesse est igitur fateri renatos posse labi, et amittere Spiritum sanctum.

Etsi autem difficile est gradum constituere, tamen hic gradus vere constituitur, videlicet, si homo contra conscientiam violet legem Dei, quia manifestum est, in renatis oportere haec duo esse, fidem et bonam conscientiam, sicut testatur Paulus 1. Tim. 1. Summa mandati haec est, dilectio ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Item, Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Item 1. Pet. 3. Conscientiam habentes bonam.

Hic vero etiam complector peccata ignorantiae affectatae. Etsi multi omnibus temporibus, ut nunc quoque, ignorant Evangelium, tamen cum id scire debeant, non discunt, talia peccata similia sunt peccatis contra conscientiam, quia volentes omittunt inquisitionem seu considerationem verae doctrinae. Sic Pharisaei, Episcopi, Reges et alii errantes, habent ignorantiam affectatam.

Sumsi autem discrimen peccati regnantis et non regnantis ex sexto capite ad Romanos. Et convenit cum eo discrimine dictum Pauli ad Rom. 8. Si secundum carnem vivetis, moriemini, Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis.

Ut autem intelligi possit, quid vocet, vivere secundum carnem, hic gradus consideretur. Renati rursus secundum carnem vivunt, cum contra conscientiam violant legem Dei, quos cum ait, secundum carnem vivere, hac ipsa descriptione testatur eos gubernatorem Spiritum sanctum excussisse. Et hos dicit morituros esse, id est, reos esse irae Dei et poenae aeternae.

Econtra de retinentibus Spiritum sanctum, inquit, Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, vivetis. Hic fatetur manere in renatis pravos adfectus, sed his repugnat eorum voluntas adiuta a Spiritu sancto, ne contra conscientiam labantur.

DE LIBERO ARBITRIO.

In capite de creatione hominis dixi libertatem humanae voluntatis insitam esse hominum naturae, et ingens Dei donum fuisse, et partem imaginis Dei. Cum autem post lapsum primorum parentum in intellectu hominum magna caligo secuta sit, et in voluntate tristis aversio a Deo, et in corde contumacia repugnans legi Dei, nunc opus est hac consideratione, qualis libertas reliqua sit.

Saepe autem in Ecclesia magni tumultus ex hac quaestione orti sunt, Ideo necesse est de ea extare veram, firmam et perspicuam sententiam, qua explicata, monendi sunt rudiores, ne curiositate aliqua applaudant falsis opinionibus non intellectis.

Ac primum sciendum est, Stoicos furores prorsus hinc removendos esse. Non iam quaeritur, an omnium eventuum in natura, et humanis actionibus bonis et malis, fatalis sit necessitas, sicut Stoici contenderunt.

Hic error supra perspicue refutatus et damnatus est, quem etsi interdum aliqui sophistice defendunt, tamen bonae mentes sciant nequaquam in Ecclesia utendum esse sophistica, sed simplicem veritatem retinendam esse, praesertim cum Stoica necessitas contumelia Deum afficiat, et noceat bonis moribus.

Deinde nec de praedestinatione iam dicitur, de qua postea Deo iuvante necessarias admonitiones recitabimus. Sed tantum de viribus humanae naturae quaeritur, quales nunc sint, et deducimur in hac explicatione ad aspiciendos nos ipsos, et ad considerationem imbecillitatis nostrae.

Recitabo igitur veram, perspicuam, et perpetuam Ecclesiae catholicae sententiam.

Ut autem supra aliquid de distinctione potentiarum et organorum animae in hominibus dixi, ita hic rursus admoneo iuniores, ut recte discant eam doctrinam, quae de anima hominis et eius potentiis et viribus in philosophia et in Ecclesia traditur, quae non potest in hoc opere tota recitari, sed alibi discenda est, et familiariter nota esse omnibus eruditis debet.

Appellatio liberi arbitrii complectitur summas potentias in homine, scilicet, intellectum et voluntatem, sicut usitate in scholis nominant.

Prodest autem in omnibus actionibus vitae haec consideratio, quo usque progredi humana cognitio possit, et ubi electio voluntatis congruere cum cognitione possit, ubi motus cordis obtemperent cognitioni, ubi repugnent, ubi tantum externa membra moveantur, etiamsi alius est cordis affectus, ut cum Achilles iratus coërcet manus, ne stringant gladium, et ab Agamemnone discedit.

Haec genera actionum intelligi et discerni in hac quaestione utilissimum est. Et ex his gradibus recte sumitur ordo explicationis.

Pars cognoscens in homine in non renatis, doctrinam legis divinae, minas et promissiones auditas seu lectas in Ecclesia, aliquo modo intelligit, sed sine firma adsensione. Ideo voluntas aversa a Deo, nec minas Dei formidat, nec confidit promissionibus.

Ac multo minus in corde sine voce Evangelii et sine Spiritu sancto accendi possunt timor Dei, fiducia, spes, dilectio Dei.

Sed tamen post hanc depravationem adhuc duo sunt genera actionum in voluntate humana. Unum est illustre et omnibus notum, gubernatio potentiae locomotivae, ut vocant, quae scilicet regit motus locales in externis membris, ut voluntas

in Achille imperat manibus, ne stringant gladium. Voluntas in laborante febribus, potest coërcere manus, ne poculum ori admoveant, etiamsi valde sitit.

Hanc libertatem Deus in homine lapso reliquam esse voluit, ut homines disciplina regi possent, iuxta dictum: Lex est iniustis posita. Nisi enim haec libertas in gubernatione potentiae locomotivae seu externorum membrorum reliqua esset, prorsus in non renatis, nullus usus esset disciplinae ullius, et politicarum legum, et comminationum, quae proponendae sunt, ut facta deliberatione, seu delectu commodorum et incommodorum habito, voluntas fugiens poenas imperet externis membris, ne faciant contra leges.

Non obscura est doctrina de hoc genere actionum, et his qui non sunt rudes elementorum physices, magis obvia est. Ac ut vulgo loquimur, Haec gubernatio est δεσποτικὴ, id est, imperat etiam invitis, ut dominus servis. Frenari utcunque aut cieri externa membra, voluntatis imperio possunt, sive intus congruant adfectus seu adpetitiones, sive non congruant, Ut laborans febribus etiam cum valde sitit, potest coërcere manus et labra, ne poculum attingant.

Alterum genus actionum in voluntate obscurius est, cum voluntas vera et seria electione, seu προαιρέσει antefert honestas actiones, ut Hippolytus serio et sine simulatione vitat et fugit novercae concubitum, Fabricius serio et sine simulatione reiicit aurum a Pyrrho missum. Nam et in non renatis voluntas serio potest honestas actiones erga homines aliquo modo velle, sed sine timore Dei, sine vera fiducia et sine dilectione Dei. Sed hae actiones seriae et non simulatae rariores et obscuriores sunt. Ideo magis iubeamus aspici gubernationem potentiae locomotivae, quae utcunque est rectrix disciplinae in pluribus.

Cum igitur Paulus expresse dicat aliquam esse iustitiam carnis, id est, externam obedientiam seu disciplinam, quam homines non renati ut cunque praestare possunt, fatendum est aliquam esse libertatem, seu delectum etiam in non renatis. Ac de gubernatione locomotivae res manifesta est, ut experientia universalis omnes convincit.

Hanc libertatem adimere hominibus non solum stultitia est, sed etiam perversitas est Deum valde offendens, quia Deus in singulis hominibus renatis et non renatis disciplinam regi severe praecipit. Nam et renatis prodest hoc frenum, quia plerique in hac vita sunt imbeciles, Et notum est vetus dictum: vitare peccata, est vitare occasiones peccatorum. Et Paulus inquit: Redigo meum corpus in servitutem, quod aliqua ex parte fit frenandis externis membris. Et in renatis haec diligentia bonum opus est, et Deo placens, praelucente fide, ut suo loco dicetur. Sintque in conspectu causae quatuor, quae nos ad curam regendae disciplinae exuscitent.

Prima, quia necesse est mandatis Dei obedire.

Secunda, ut vitentur poenae in hac mortali vita, et futura, quia certissimum est omnia atrocia delicta etiam in hac vita puniri atrocibus poenis, ut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Non habebit Deus insontem eum, qui vane usurpat nomen eius. Item, Scortatores iudicabit Deus. Vult enim Deus exempla poenarum in hac vita mortali incurrentia in hominum oculos, testimonia esse providentiae, vult sciri non casu volvi res humanas, sed Deum esse inspectorem et iudicem, vult se agnosci qualis sit, videlicet, iustus, verax, castus, horribiliter puniens iniurias, mendacia, libidines, vult et huius vitae poenas signa esse venturi iudicii, et commonefactiones de poenitentia.

Denique gravissimam doctrinam continet haec consideratio poenarum, de qua in his causis tuendae disciplinae loquimur. Et quidem hoc freno coërcet Deus humanum genus, ut hanc sapientiam nobis proponat, sicut et Psalmus inquit: In chamo et freno maxillas eorum constringes.

Tertia causa est, quia Deus vult singulos aliorum vitae etiam parcere, Non tantum nobis nascimur, sed vita universa directa esse debet primum ad agnitionem et celebrationem Dei, deinde ad communem societatem fovendam. Vult igitur Deus servari disciplinam, et vitari turbationes politici ordinis, ut in pace et mediocri tranquillitate, puerperae et matres fovere sobolem, patresfamilias educare et instituere natos possint.

Has tres causas intelligere non difficile est, quae etsi etiam sapientibus ethnicis notae erant, tamen nequaquam contemnendae sunt.

Quarta causa proprius ad Ecclesiae doctrinam pertinet. Est igitur haec quarta causa, Ideo necessaria est disciplina, quia, ut Paulus dicit, Paedagogia est in Christum. Huius dicti sententia diligenter consideranda est. Verissimum est enim Evangelii vocem et Spiritum sanctum non esse efficacem in his, qui perseverant in delictis contra conscientiam. Quare necesse est deponi delicta contra conscientiam. Ita lex est paedagogia in Christum, id est, non solum civilis paedagogia est, ut erat Socratis disciplina, sed etiam ad hoc praestanda est, quia perseverantia in delictis contra conscientiam arcet Spiritum sanctum.

Praeterea sine disciplina ubi vita Cyclopica est, doceri homines non possunt: praecipit igitur Deus, ut mores honeste regantur, et ut diligentia illa non ethnico more, tantum ad pacem corporis referatur, sed ad hunc finem, ut doceri homines de Deo possint, et ut non impediatur neque excutiatur Spiritus sanctus violatione disciplinae, sicut excussit David rapiens alterius coniugem.

Quanquam autem haec disciplina semper necessaria est, tamen nec meretur remissionem peccatorum, nec satisfacit legi, nec iustitia est, propter quam coram Deo accepti simus, ut Paulus inquit: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, ut postea copiosius dicetur.

Deinde et hoc sciendum est. Etsi talis libertas regendae locomotivae semper manet in hominum natura, tamen saepe labuntur homines, flammis cupiditatum incitati, aut etiam a diabolo impulsi, sicut de Iuda manifeste scribitur: Intravit in eum Satanas. Ideo exempla quotidianae vitae, maximae partis humani generis, et omnes historiae ostendunt plurimos homines pollui delictis contra conscientiam, ut Ethnici etiam questi sunt, admirantes unde tanta in hac praestantissima natura humani generis imbecillitas sit.

Sed causa nobis in Ecclesia nota est, Nascimur adferentes morbum originis, qui, ut supra dictum est, non est tantum reatus, sed etiam horribilis destructio et infirmitas omnium virium. Et accedunt insidiae et tyrannis diaboli, sicut in Genesi dictum est: Ponam inimicitias inter serpentem et semen mulieris.

Cum igitur et natura hominum sit imbecilla, et diabolus atrociter grassetur adversus nos, non mirandum est maximam partem generis humani variis modis pollui. Admoneant autem nos et nostri et alieni lapsus, ut confugiamus ad Filium Dei, et petamus auxilium contra infirmitatem nostram et contra diabolum, quia scriptum est: Filius Dei adparuit, ut destruat opera diaboli, item ut conculcet caput Serpentis.

Dictum est, qualis reliqua sit libertas etiam in non renatis. Nunc dicam de aliis quaestionibus. Hic primum haec manifesta sunt, voluntas humana non potest ulla actione sua tollere mortem, non potest exuere pravas inclinationes, seu pravam concupiscentiam, ut vocant, non potest Adam post lapsum retrahere illam integritatem et harmoniam omnium virium, quam antea habuit, imo nec mereri potest remissionem peccati.

Iacet oppressa natura hominum hac tristi servitute, ut manifestum est, Et ut Deus immensa bonitate propter deprecatorem Filium, rursus se patefacit hominibus, et promissionem edit, et gratis recipit eos, ita et nos propter Filium gratis recipit, et deinde reddit aeternam vitam et iustitiam.

Haec praecipua bona non restitui ullius creaturae potentia, sed proprie Dei opera esse manifestum est. Cumque voluntatis humanae libertas extenuatur, hanc liberationem ab ira Dei, et a morte aeterna, et restitutionem vitae et iustitiae aeternae intueamur, et haec praecipua bona sciamus non posse restitui nobis ullius creaturae potentia.

Sed postquam immensa misericordia Dei, edita est promissio reconciliationis, et Deus adiuvat amplectentes promissionem, hic rursus quaeritur, an illam inchoationem obedientiae in corde, fidem, dilectionem, constantiam confessionis in suppliciis, et in aliis virtutibus cordis, voluntas efficiat sine Spiritu sancto? De hac quaestione clarissime et sine ulla ambiguitate adfirmamus, voluntatem has virtutes nequaquam sine Spiritu sancto efficere posse.

Ac palam et expresse damnamus Pelagianos, qui finxerunt homines posse mereri remissionem peccatorum, et quidem sine Spiritu sancto posse legi Dei satisfacere, posse et sine Spiritu sancto fidem, dilectionem Dei, et omnes virtutes alias in corde efficere.

Hos impios errores constanter damnamus, qui Evangelium in philosophiam transformant, et contumeliosi sunt adversus Deum, obruunt beneficia filii Dei, et Spiritus sancti.

Econtra vero adfirmamus iuxta Evangelium omnibus temporibus inde usque ab initio mundi viva membra Ecclesiae, regi et iuvari a Spiritu sancto, ut Rom. 8. dicitur: Qui ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filii Dei, ac Deo aeterno patri Domini nostri Iesu Christi, et filio eius Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui sancto, gratias agimus cum pro toto beneficio reconciliationis, tum vero pro hoc ipso admirando munere, quod Spiritu sancto nos regit, accendit in mentibus nostris lucem veritatis, et veram Dei agnitionem, nec sinit eas occupari impiis et fanaticis furoribus, deinde quod voluntates et corda flectit ad veram obedientiam, timorem Dei, fiduciam, dilectionem, spem, et alias virtutes, et quidem inchoat in nobis vitam et iustitiam aeternam.

Haec tanta dona agnoscenda sunt, et pro eis

gratiae agendae, et ardentibus votis in tota gubernatione vitae petenda sunt.

Oportet autem testimonia firma et perspicua in conspectu esse, et ut refutentur Pelagiani, et ut nos ipsos accendamus ad petendum auxilium Dei, ac vere statuamus Deum velle nos illo tanto munere donare, et nos regere et adiuvare. Sicut scriptum est: Quanto magis Pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Rom. 8. Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei.

Item, Si quis Spiritum Christi non habet, is non est Christi.

Hae duae sententiae satis perspicuae sunt, et plane testantur haeredes vitae aeternae donari et regi Spiritu sancto. Ac certum est spiritum Dei in his dictis non significare rationem, ut aliqui intempestive philosophantes interpretantur, sed Spiritum sanctum a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo procedentem, ac missum in corda piorum, et accendentem voce Evangelii agnitionem Dei, et motus congruentes legi Dei.

1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Significat enim ψυχικὸς homo viventem vita naturali, hoc est, sensu et ratione naturali sine Spiritu Sancto. Sic enim eo loco discernit Paulus animalem a spirituali.

Quanquam enim nascitur nobiscum etiam in hac infirma natura, legis divinae notitia aliqua, ut notitia numerorum, tamen accedunt multae dubitationes de providentia.

Deinde magis etiam de promissione, quae in Evangelio proponitur, mentes dubitant, an vere recipiamur, et exaudiamur, an gratis propter Filium recipiamur. Nam Evangelii notitia non nascitur nobiscum, sed decretum est arcani consilii divini patefactum voce Dei, cum ignotum esset omnibus creaturis. Ideo adsensio difficilior est, quia est sententia extra et supra captum creaturarum posita.

Ut autem fiat adsensio, et corda acquiescant fide in Deo, et in eis accendantur vera dilectio Dei, timor, spes, et aliae virtutes, datur Spiritus sanctus, quo clamamus, Abba Pater, id est, quo vere voluntas et cor flectuntur ad Deum.

Ioh. 1. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest intrare in regnum Dei.

Ioh. 6. Nemo potest venire ad me, nisi quem Pater traxerit.

Ioh. 15. Sine me nihil potestis facere.

Esaiae 59. Veniet Sion redemtor, iis qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, in sempiternum. Haec verba dulcissimam Ecclesiae descriptionem et praecipuam promissionem continent, ac docent, quae sit et ubi sit Ecclesia, et quae habeat propria beneficia Dei.

Ille coetus est Ecclesia, qui sonat Evangelium traditum Prophetis et Apostolis. Et ibi sunt praecipua beneficia vox Evangelii, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti et vitae aeternae. Et quidem simul in hoc Esaiae dicto, promissio continetur, adfirmans perpetuo mansuram esse Ecclesiam Dei, et praedicationem Evangelii non posse prorsus deleri.

Sed excruciat mentes haec quaestio, Cum sine Spiritu sancto nulla virtus inchoetur, aut placeat, otiosine expectabimus consolationem, donec rapi nos novis motibus sentiemus, sicut Enthusiastae et Manichaei imaginati sunt?

De hac quaestione omnes secum ipsi disputant, cum audiunt haec dici, sine Spiritu sancto non fieri homines haeredes vitae aeternae. Deinde disputant, cum non omnibus detur Spiritus sanctus, unde sciam Deum hoc ingens munus mihi dare, aut daturum esse.

Etsi autem labyrinthis disputationum haec doctrina obscurata est, tamen vera et firma responsio haec est: Concurrunt in conversione hae causae, Spiritus sanctus movens corda per Evangelium, et ipsa vox Evangelii cogitata, sive inter audiendum, sive in lectione, sive in pia meditatione, et voluntas hominis, quae non repugnat voci divinae, sed intertrepidationem utcunque adsentitur.

Et quia scimus mandatum Dei esse immotum et immutabile, ut non repugnemus voci divinae, non contemnamus eam, non accusemus Deum mendacii, non indulgeamus nostrae diffidentiae, non sedeamus otiosi expectantes raptum Enthusiastarum, sed mox audito verbo voluntas luctetur, ut amplectatur verbum Dei, et in ea lucta voluntas non se habet ut statua, aut pure passive, alioqui enim certamen et lucta nulla esset.

Simul autem in ea lucta efficax est Spiritus sanctus, ut Paulus inquit Galat. 3. Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et experientia manifesta omnium intelligentium exercitia poeniten-

tiae, testatur, mentes cum acquiescunt in Deo, iuxta promissionem, sentire veram consolationem, et agnoscere misericordiam Dei, et ad eum accedere fiducia Mediatoris, et clamare Abba Pater.

Ac de hac copulatione causarum dictum est: Spiritus opem fert infirmitati nostrae. Et Chrysostomus recte dicit: Trahit Deus, sed volentem trahit.

Non expectandi sunt illi raptus Enthusiastarum, qui violentiam quandam somniant, in qua sensus praecedat fidem, sed fide acquiescendum est in Deo iuxta promissionem, et statuendum, certo hanc esse voluntatem Dei, quam promissio ostendit, Postea fidem sequitur sensus, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et Rom. 15. dicitur, Ut per patientiam et consolationem scripturarum spem teneamus.

Haec videntur ridicula ignaris fidei, qui cogitant futilem et inanem consolationem esse verba seu scripta, sed nos sciamus voluntatem non aliter quaerendam esse, nisi in hoc ipso verbo, quod per Filium, Prophetas, et Apostolos tradidit. Et in Deo acquiescendum esse, iuxta has promissiones. Ita fide et spe cernitur praesentia Dei, et tribuitur Deo gloria, quod sit verax, etiam priusquam sensus accipit liberationem.

Praeterea post regenerationem, etsi manet adhuc ingens imbecillitas, tamen fatendum est, aliquam esse voluntatis libertatem, et in locomotiva regenda, quod manifestum est, et quia a Spiritu sancto adiuvatur in adfectibus spiritualibus David ante lapsum, et imperare membris potest, ne rapiant alienam uxorem, et in anima et in corde, cum adhuc spiritus luctaretur cum pravis adfectibus, poterat dona sua retinere.

Talem esse in renatis libertatem fatendum est. Quod cum ita sit, non simus otiosi, sed excitetur voluntas, et ut locomotivae constanter imperet, et ut in anima et in corde accendat invocationem, et repugnet pravis cupiditatibus, quia et praecipit Deus hoc certamen, ut scriptum est: Sub te sit appetitus tuus, et tu domineris eius, Et possibile est renatis retinere dona, cum iuvari se petunt, ut dictum est: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Id est, non aspernantibus, non repugnantibus, non otiosis, sed volentibus Deo obedire, et invocantibus eum fiducia mediatoris, et cogitantibus Deum hanc militiam nobis praecepisse, sicut inquit Filius Dei: Orate, ne intretis in tentationem, id est, ne succumbatis tentationi. Et Paulus hortatur, ut caveamus ne frustra gratiam acceperimus.

Ex his quae recensui manifestissimum est, non confirmari negligentiam hominum, nec docere nos, sicut Enthusiastae docent, ut voluntas otiosa expectet sensum novum, quo violenter rapiatur, sed ut cogitata voce Dei agnoscamus Filium Dei ideo missum esse, ut Spiritu sancto suo nos adiuvet, et nos in consolatione illa sustentemus promissione et inchoëtur adsensio, cum quidem a Spiritu sancto adiuvemur, et simul excitetur precatio, ut scriptum est: Quanto magis Pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Fit autem haec doctrina illustrior considerato hoc argumento. Certum et manifestum est promissionem reconciliationis universalem esse, nec Deo tribuendam esse προςωποληψίαν. Deus iustissimus vere aequalis est, quod ad suam voluntatem attinet. Sicut Paulus inquit: Deus vult omnes homines salvos fieri. Et certe nos sic sentire necesse est, promissionem universalem esse, sicut verissimum est, et nos ipsos includendos esse in promissionem, ut alibi de electione copiosius dicetur.

Ac ad consolationem conscientiarum necesse est hanc propositionem retineri, promissionem vere universalem esse, quod firmissimum est.

Necesse est autem nos iuxta voluntatem Dei revelatam iudicare, et de Deo sentire sicut se patefecit, nec alibi eius voluntatem nisi in ipsius verbo quaerere: Et cum Deus verax sit, nequaquam in eo contradictoriae voluntates ponendae sunt. Quare etsi aliqua motuum divinorum dissimilitudo est, ut aliter Paulus trahitur, aliter Zachaeus: tamen aliqua est voluntatis adsensio.

Nec pugnant haec, quae dixi, cum illis sententiis: Nemo potest venire ad me, nisi Pater eum traxerit. Inchoat Pater et trahit, sed in illo ipso dicto additur, quomodo trahat, scilicet voce Evangelii. Sic enim inquit: Omnis qui audierit a Patre et didicerit, veniet ad me. Vult disci vocem Evangelii, vult agnosci Filium per vocem Evangelii. Inchoat igitur Deus, et trahit voce Evangelii, sed volentem trahit, et adiuvat assentientem. Et semper vera est sententia: Sine me nihil potestis facere.

Nec detrahitur quidquam de gloria Dei, sed vere adfirmatur auxilium Dei semper initio et deinceps concurrere, iuxta illud: Deus est qui efficit ut velitis et ut perficiatis, id est, trahit voluntates, et deinde non modo ipsas voluntates adiuvat, sed etiam eventus gubernat, et praebet successus.

Exuscitat in Samuele bonos motus, et deinde adiuvat, ac simul in difficili et tristi gubernatione eum adiuvat, et praebet felices eventus. Sed tamen

trahitur Samuel non repugnans, sed aliquo modo adsentiens. Constat enim repugnare eum posse.

Etsi autem saepe magna certamina de hac controversia mota sunt, tamen haec simplex sententia, quam recitavi, perpetua vox est piorum in Ecclesia, ut saniorum scripta clare testantur, Augustini, Prosperi, Bernhardi, et aliorum. Non adiungo recentiores, Scotum et Occam, et similes, qui intempestive philosophati sunt, et finxerunt humanam voluntatem posse Legi Dei satisfacere, mereri remissionem peccatorum etc. Hi errores execrandi sunt, ut mox rursus dicetur.

Illud etiam monendi sunt pii, cum quaeritur quid agat voluntas humana, tantum de Electione in voluntate dici, non de Eventibus, ut in Davidis voluntate est electio, quod velit Deo obedire. Sed eventus praeliorum et victoriae pendent ab aliis causis extra ipsum, videlicet a Deo armante et gubernante manus Ducis et exercituum, et aliquo modo a voluntatibus exercitus.

Videndum est igitur ubi dicta loquantur proprie de Electione, ubi de Eventibus. Sic Salomon inquit in Proverbiis cap. 16. Cor hominis cogitat viam suam, sed Dominus confirmat gressum, quasi dicat, Est quidem deliberatio aliqua, cogitatio et electio. Sed haec non sufficiunt ad eventum, imo interdum errat homo in deliberando, ut Iosias errabat existimans se iustum et necessarium bellum movere adversus Regem Aegyptium.

Deinde concurrere foris ad eventum plures causas oportet, Dei auxilium et instrumenta. Etsi autem sine his adiumentis non potest perfici id quod conamur, tamen non propterea sequitur nullam electionem et nullam libertatem esse.

Sed haec sententia Salomonis et similes haec tria praecipue complectuntur.

Primum, Mandatum seu vocationem a Deo esse, ut a Deo vocati erant Saul, David, Paulus.

Secundum, Audita vocatione, obtemperant aliqui, et iuvari se a Deo petunt, aliqui non obtemperant, aliqui etiam res magnas sine vocatione movent, ut Iosias bellum movit.

Necesse est igitur addi membrum tertium. Ita felices sunt successus, cum a Deo iuvantur. Secundo igitur loco cum impii aut nulla vocatione suis consiliis moventur, aut adversantur vocationi, horum actiones cum non iuventur a Deo, non sunt felices, Sed cum voluntates aliquo modo obtemperant vocationi, et iuvar se petunt, ut David, Paulus, agunt aliquid horum voluntates, sed tunc sunt efficaces et felices cum a Deo adiuvantur.

Admonitio igitur necessaria et utilissima in talibus sententiis proponitur.

Primum, Ne nostras imaginationes sequamur, sed in omni deliberatione mandatum Dei et vocationem consideremus.

Secundo, Quia mandatum Dei et vocationem audimus, voluntas nostra obtemperet, et obedientiam Deo praestare studeat, non sit ignava, aut contumax.

Tertio, Petat etiam auxilium hanc ipsam ob causam, quia negotia sustinemus a Deo mandata, pertinentia ad gloriam ipsius. Ita initium actionum est a Deo, et diligentia nostra flagitatur, et discimus auxilium Dei petendum esse.

De dicto Ieremiae.

Congruit cum hac enarratione et dictum Ieremiae, cap. 10. Scio Domine, quod non est hominis via eius. Loquitur de vocatione et successibus in vocatione. Nam via saepissime significat vocationem. Monet autem Ieremias tantam esse molem actionum et periculorum in quacunque vocatione, ut sola humana vigilantia, et humanae vires nequaquam sint pares tanto oneri, sed fatendum est, opus esse auxilio divino, et ardentibus votis petendum, ut Deus nos adiuvet, sicut et Ioh. 15. scriptum est: Sine me nihil potestis facere.

Sustinet David regiam gubernationem, in qua non prorsus nullus est locus diligentiae suae, tamen praecipua pars a Deo pendet. Deus offert occasiones opportunas, flectit mentem ad bona consilia, et adiuvat eventus. Interea tamen aliqua ex parte diligentiae Davidis est, labores vocationis suscipere, mandare locomotivae, ut manus praelientur, non accersere delicta contra conscientiam, non interficere amicos.

Non igitur tollit Ieremias obedientiam nostrae voluntatis, sed adfirmat opus esse auxilio divino, ac prorsus idem docet, quod prius de sententia Salomonis dictum est.

Primum, non sequendas esse nostras imaginationes, sed in omni deliberatione mandatum Dei, et vocationem considerandam esse.

Secundo, non ignaviam, aut contumaciam in

voluntate nostra confirmandam esse, sed obediendum mandato et vocationi divinae.

Tertio, petendum esse auxilium Dei in tanta mole negotiorum et periculorum, quam sola humana sapientia et humanae vires sustinere nequaquam possunt, sed semper regula teneatur, praeeunte gratia, comitante voluntate, bona et salutaria opera fieri.

Haec simplex enarratio vera et utilis est, et utrumque vitium taxat, ignaviam et fiduciam nostri, et econtra praecipit, ut diligentia nostra exsuscitetur, et simul vera fide et spe petamus et expectemus gubernationem, auxilium, et salutares eventus a Deo.

Eodem modo intelligantur et dicta Psalmi: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Verissima concio est docens opus esse auxilio Dei, nec sequitur. Ergo nihil agit voluntas Davidis in excubiis disponendis, in praeliando, et aliis laboribus militaribus, imo ingens discrimen est inter vigilantissimum et acerrimum ducem Davidem, et inter ignavum et trepidum Achas.

Ac differunt utraque re, diligentia et fide. Ardet pectus Davidis fide et spe, petens et expectans auxilium a Deo, Et fiducia ac spe plenus, alacri animo labores ingentes suscipit. Econtra Achas cogitans se desertum esse a Deo, quanquam quaerit humana praesidia, tamen animo consternato fugit aciem et pericula: Ita in eo voluntas etiam languidior est, quam in Davide.

Eodem modo et hoc dictum intelligatur, Iohan. 3. Non potest sibi homo quidquam sumere, nisi datum sit ei de coelo: ut cum est certamen de imperio inter Antonium et Augustum, irriti sunt conatus Antonii, quia non iuvantur a Deo. Talia sunt exempla innumerabilia.

Conantur filii Ephraim Israëlitas inducere in terram Canaan, quam sciebant semini Abrahae promissam esse, sed non respondent honesto consilio eventus, quia Deus decreverat alio modo se educturum esse Israëlitas ex Aegypto.

Demosthenis fuit honestum consilium, cum adversus Macedonas defendere Graeciam conatur, sed fuit infelix, quia non iuvabatur divinitus. Nec tamen nihil agebat voluntas in Demosthene, quae et volebat patriae defensionem, et magnos labores hac voluntate suscipiebat. Sed ad eventum plures causas concurrere oportebat, auxilium Dei, consensum et labores militum.

Non igitur in illo dicto detrahitur libertas voluntati, sed de eventu dicitur, electionem et conatus irritos esse, nisi a Deo gubernentur et iuventur.

Ut autem haec dicta, quae recitavi, concionantur de negativa sententia, non sufficit electio voluntatis sine auxilio Dei ad res, bonas praesertim, efficiendas, ita dicta alia promissiones et consolationes continent, quae adfirmant velle Deum nobis opitulari, iuvare labores, moderari pericula, regere eventus, ut sint fausti et salutares nobis et aliis.

Tale est hoc dictum ad Philippenses. Deus efficit, ut velitis, et perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant. Cum ad Deum conversi sumus, multa impediunt hanc obedientiam, insidiae Diaboli, nostra infirmitas, et tyranni gubernationem Ecclesiae, et alias piorum vocationes horribiliter turbant. In his difficultatibus multi languefiunt.

Consolatio igitur proponitur, in qua et promissio est, et argumenta duo sunt, alterum a priore beneficio sumtum, alterum a causa finali. Deus, inquit, perficiet inchoatum beneficium, nec deseret vos in periculis et in afflictionibus, sed iuvabit vos, ut gubernatio sit salutaris, quia et antea in conversione vos adiuvit, et vera consolatione vos erexit, et vult aliqua fieri in genere humano ipsi grata.

Haec sententia valde illustratur exemplo primorum parentum. Promissio consolatur eos, quod Deus velit eis opem ferre, etiamsi vident tristia exempla multa, necem Abeli, scelus Cain, et alia. Confirmantur autem primum ipsa promissione, deinde testimonio inchoati beneficii, et consideratione causae finalis. Videt Adam Deum ex arcana sede prodeuntem sua voce edere promissionem, scit se in morte et horrendis pavoribus consolatione divina erectum esse, scit exhibita esse signa reconciliationis in sacrificiis, quae incensa sunt de coelo.

Haec pertinent ad primam particulam, Deus efficit, ut velitis. Edit vocem Evangelii Deus, vocat, trahit, consolatur, vivificat in conversione. Recte igitur ratiocinatur Adam: Deus non frustra edidit vocem Evangelii, nec frustra nos sua consolatione erexit, et ostendit se efficacem esse in nobis. Haec inchoatio testimonium est misericordiae: Vult igitur inchoatum beneficium perficere.

Idem nos cogitemus, nec frustra decretum de reconciliatione, quo nullum bonum maius cogitari potest, nobis traditum esse, nec frustra nos ad

agnitionem Filii vocatos esse, et adiuvari, cum fide erigimur et invocamus.

Haec de signo sumto ab inchoatione dicta sint. Postea Adam et finalem causam intuebatur, cur conditum esset genus humanum, cur imago Dei insita homini, cur facta esset reconciliatio, videlicet ut Ecclesia Deo colligatur, celebratura ipsum in aeterna consuetudine, et laetitia, et cui ipse suam lucem, sapientiam et iustitiam in tota aeternitate communicet.

Haec cum sit voluntas Dei, certe semper coetum aliquem servabit, qui sit pars illius aeternae Ecclesiae, ne tota massa generis humani damnata sit.

Hoc vult Paulus, cum inquit, ut aliqua fiant Deo grata, quasi dicat, Cum in genere humano omnes illi qui sunt extra Ecclesiam, faciant Deo ingrata, excerpit tamen Deus aliquam partem, videlicet vera Ecclesiae membra. Haec vere celebrant Deum, custodiunt doctrinam Evangelii, invocant eum fide, agunt gratias, obediunt ei, et in tota aeternitate eum celebrabunt.

Haec est vis verborum Pauli, cum dicit ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, significatur causa finalis, non ut alii enarrarunt, efficiens, id est, facit, quia ei ita libet.

Ex hac enarratione, quam recensui, non sequitur voluntatem otiosam esse, sed consolatio tradita est, quae adfirmat nos adiuvari a Deo in principio conversionis, et deinceps in omnibus negotiis et periculis vocationis, confessionis et totius obedientiae, sicut alibi dicit: Qui manet in me, et ego in eo, fructum copiosum feret.

De dicto Ecclesiastici.

Tenenda est et simplex enarratio dicti, quod ex Ecclesiastico citatur. Deus reliquit hominem in manu consilii sui.

Haec sententia si sine moderatione aliqua intelligatur, praeconium est libertatis valde amplum. Necesse est autem fateri nunc in hac infirmitate naturae magna libertatis impedimenta esse, quorum primum est ipsa pravitas, quae nobiscum nascitur, quae est caligo de Deo, gignens dubitationes plurimas, et impediens fidem et timorem, ac manifestum est corda plena esse vitiosis motibus, et non posse pravas inclinationes expellere, et sibi sumere ardentem dilectionem Dei.

Secundum impedimentum est Diabolus, qui variis modis occasiones offert hominibus, et impellit eos, ut obtemperent malis cupiditatibus, ut in Cain, Saul, Iuda apparet, quia cum odio Dei ardeat, vult a plurimis cum contumelia adfici, et delectatur destructione operum Dei in genere humano. De hoc horrendo odio et furore in Diabolo saepe cogitandum est, et ardentissima invocatione petendum, ut filius Dei hunc tam saevum hostem reprimat, cuius insidias cavere sola hominum diligentia sine auxilio Dei certe non potest.

Invocamus autem te Fili Dei Iesu Christe, qui apparuisti, ut destruas opera Diaboli, et conculces caput serpentis, ac oramus, ut tu reprimas ac depellas blasphemos et crudelissimos spiritus, ardentes vehementissimo odio Dei, et ingenti rabie grassantes in genus humanum, et serves infirmas Ecclesias et familias nostras, sonantes vocem Evangelii tui, et ad te confugientes, a te defensionem, auxilium et salutem petentes.

Tertium impedimentum est, in hac vitae confusione, moles ipsa negotiorum et periculorum, in quibus quotidie multa improvisa et inextricabilia praeter opinionem hominibus offeruntur, ut David non praevidit seditionem filii, et vulgo dicitur, Nescis quid vesper serus vehat. Item τὸ μέλλον ἀεὶ τυφλὸν ἕρπει.

Cum igitur nunc in hac depravatione naturae, languefacta sit libertas, res ipsa ostendit restrictionem aliquam addendam esse dicto Ecclesiastici.

Respondeo igitur: Verum est initio voluntatem ante lapsum primorum parentum fuisse magis liberam, et illa excellens libertas donum et opus Dei, et pars imaginis Dei fuit, attributa homini in conditione, ut supra dictum est.

Postea vero, etsi languefacta est libertas, ut supra declaravi, tamen aliqua libertas reliqua mansit, et fit voluntas magis libera, cum iuvatur a Spiritu sancto.

Nequaquam enim ita intelligendus est Sirach, ut existimetur excludere Spiritum sanctum. Ideo erudite inquit Augustinus de hoc dicto: Proposuit tibi aquam et ignem, ad utrum voles extende manum, Extende scilicet iuvante Spiritu sancto, et simul extendente tuam manum. Non enim agit Spiritus sanctus, ut in statua, sed concurrunt mens

cogitans verbum Dei, voluntas amplectens et adsentiens, adiuta a Spiritu sancto, et accensa, ut fiant opera salutaria.

Hactenus recte exposita est vera, simplex et perpetua Ecclesiae sententia de libero arbitrio. Cum autem haec quaestio saepe magnos tumultus excitarit, propterea quod Stoici labyrinthi de necessitate huc translati sunt, moneo omnes pios, ut procul separent Stoica deliramenta ab Ecclesiae doctrina. Priusquam autem ab hoc loco discedo, recitabo duo dicta Hieronymi, quae indigent interpretatione.

Prius est, Anathema sit, si quis dicit, Deum impossibilia praecepisse, Id mox alio dicto corrigitur: Anathema sit, si quis dicit, Legem posse fieri sine gratia.

Fortassis autem contra Manichaeos prior sententia tradita est, qui finxerunt partem generis humani, ortam ab ὕλῃ et malo principio, nec externa honesta opera Legis facere posse, ut et illis vetustis temporibus multi prodigiosi errores de voluntate humana a variis sectis sparsi sunt.

Sed recte instituti in Ecclesia sciunt utrumque, externa Legis opera, seu disciplinam esse possibilem: et tamen verissimam esse hanc propositionem de interiore immunditie humani cordis, videlicet, tristissimam immunditiem esse humani cordis, repugnantem Legi, quae non possit tolli viribus humanae naturae. Quare eam Lex semper accusat.

Cum igitur dicitur Lex impossibilia praecipere, intueamur interiores pravas inclinationes. Has nec voluntas nostra, nec Lex tollit. Imo Lex ideo proponitur in ministerio, ut in nobis agnoscamus et deploremus nostram contumaciam. Non ardent corda dilectione Dei, non habent verum timorem et reverentiam erga Deum, non petunt nec expectant ab eo bona, ardenti fide et spe, sed fremunt adversus eum in poenis, et fugiunt eum.

His vitiis opponitur Lex, ut agnoscamus nos Legi et voluntati Dei dissimiles esse. Sic intelligatur Lex impossibilia praecepisse, videlicet, non tolli Lege peccatum et interiorem immunditiem, et totam naturae humanae ἀταξίαν, de qua impossibilitate et Paulus loquitur Rom. 8. Cum impossibile esset Legi Dei iustificare. Item, Sensus carnis inimicitia est adversus Deum, nec enim Legi Dei subiectus est, ac ne potest quidem ei subiici. Haec infra in Titulo de Lege copiosius declarabuntur.

Nunc alterum dictum consideretur, Anathema sit, si quis dicit, Legem sine gratia fieri posse. Hic aliqui gratiam tantum intelligunt auxilium Spiritus sancti, sicut et Philosophi dixerunt, excellentes virtutes oriri ab adflatu divino, sed hoc non satis est.

Intelligi enim gratiam necesse est de utroque beneficio Filii Dei, scilicet de gratuita imputatione, seu acceptatione, et deinde de auxilio, Id est, Primum Lex fit per gratiam, id est, fide recepti propter Mediatorem placemus iam Deo, et quanquam Legi nondum satisfacimus, tamen et nos placemus, et placet inchoata obedientia per gratiam, id est, propter Mediatorem.

Deinde intelligatur gratia etiam de auxilio Dei, quia verissimum est, quod a Spiritu sancto in credentibus accenduntur boni motus, sicut scriptum est Rom. 8. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.

DE LEGE.

Voluerunt et illi ipsi sapientissimi viri, qui Symbolum Nicenum conscripserunt, brevem summam comprehendere eius doctrinae, quae Ecclesiae Dei propria est, et ordine praecipua membra recitare, qui maxime discentes adiuvat, et metas ostendit doctrinae, ut animadverti possit nullam doctrinae partem necessariam omitti.

Exorsi sumus igitur a Deo, ut doctrinae ordo postulat et Symbolum inde orditur, deinde de creatione hominis, de lapsu et de viribus hominis diximus. Idem ordo est doctrinae in ipsis libris Moisi.

Iam dicendum est de doctrina seu verbo, in quo se postea Deus patefecit, Ac primum necesse est discerni Legem et Evangelium seu promissionem gratiae, id est, reconciliationis. Hac distinctione amissa tantae tenebrae erunt, ut nec quid sit Ecclesia Dei, nec quo modo differat ab Ethnica sapientia, nec quo modo detur remissio peccatorum, nec quae sint beneficia Filii Dei, intelligi possit: denique adeo necessaria est vera cognitio huius discriminis, ut nulla tanta sit eloquentia angelorum vel hominum, quae satis exponere possit, quantae tenebrae sequantur hac distinctione amissa.

Definitiones igitur Legis et Evangelii diligenter considerent discentes, et animadvertant, unde et quomodo Lex accepta sit, et quomodo edita sit vox Evangelii. Ac prius de Lege dicendum est, quia est notitia nobiscum nascens, et indita mentibus hominum in creatione, sicut notitia numerorum.

At Evangelium seu promissio gratiae et reconciliationis, non est vox Legis, et nequaquam nobiscum nascitur. Sed singulare et mirandum decretum divinitatis factum deprecante pro nobis Filio, et postea prolatum ex illo arcano consilio, de remissione peccatorum, et de restitutione iustitiae et vitae aeternae, ut deinde dicam.

Nunc vero initio ponenda est Legis definitio.

Lex est doctrina a Deo tradita, praecipiens quales nos esse, et quae facere, quae omittere oportet et requirens perfectam obedientiam erga Deum, et pronuntians irasci Deum omnibus peccantibus, et punire aeternis poenis non praestantes perfectam obedientiam.

Quod autem dicitur, Tradita a Deo, id intelligatur utroque modo, et mentibus hominum in creatione insita, et postea statim voce divina saepe repetita. Nam in ipsa creatione, cum Deus vellet hominem esse imaginem conditoris, transfudit in eum radium sapientiae et iustitiae suae, qui monstraret Deum, et esset norma congruens cum divina mente, discernens iusta et iniusta.

Etsi autem in hac humana caligine magnitudo consilii divini de creatione, non satis cogitari potest, tamen aliquo modo exuscitandae sunt mentes, ut bonitatem divinam considerent.

Quanta bonitas est, quam illustre testimonium, quod Deus diligat humanam naturam, quod transfudit in hominem, ea quae in ipsa Dei essentia sunt optima, scilicet sapientiam legis et iustitiam, et simul Spiritum sanctum rectorem humanae mentis, voluntatis et cordis? qui Spiritus sanctus, cum sit ignis amoris divini, certissimum est verum et ingentem amorem in Deo conditore erga hoc opus fuisse.

Postea etiam post lapsum cum beneficia prius data, partim prorsus extincta, partim obscurata essent, et ut de viatore dicitur in Luca, cum partim spoliati, partim vulnerati essemus, etsi caligo aliqua in mente esse coepit, tamen mansit aliqua Legis notitia, quia Deus vult se adhuc agnosci, vult et peccatum agnosci ac argui, vult etiam vitam, qualiscunque adhuc est, disciplina regi. Ideo aliqua Legis notitia mansit etiam post lapsum.

Et quia nunc est obscurior, Deus ipse subinde statim post lapsum singula praecepta saepe sua voce, et horrendis exemplis poenarum declaravit.

Ac diligenter considerandae sunt Legis repetitiones inde usque a Cain factae. Et testimonia divina in comprobatione recte factorum, et in poenis delictorum, ut Gen. 4. comprobantur opera primi praecepti, quando Deus manifesto signo recipit oblationem Abel, et discernit oblationem factam cum timore et fide, ab oblatione hypocritae, qui est sine timore et sine fide.

Postea etiam prohibentur odium fratris et homicidium, et generale praeceptum traditur, quod mandat omnes vitiosas adpetitiones frenari. Sub te sit adpetitus tuus, et tu domineris ipsius. Deinde repetita est prohibitio homicidii, quando Noha ex arca egressus est. Et prohibitio vagarum libidinum tradita erat in Paradiso expressa voce, Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas, et una foemina inseparabiliter iungantur. Et poenae horribiles homicidii et vagarum libidinum declaraverunt voluntatem Dei ab initio, ut in diluvio, et in eversione Sodomae.

Postea integre et ordine tradita est Lex per Moisen, et confirmata multis ingentibus miraculis, et summa Legis moralis voce Dei in monte Sinai pronuntiata est, et scripta in sacris Tabulis divinitus, quia voluit Deus extare Legem etiam in scripto, et addidit miracula, ut certum sit hanc legem esse normam aeternam iudicii divini, contra peccatum.

Et postea in toto genere humano poenae scelerum omnibus aetatibus sunt testimonia huius iudicii divini. Regulariter enim atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita, ut homines commonefiant de iudicio Dei.

Diligenter ergo in definitione aspiciantur haec verba, tradita a Deo, et discamus infinitum discrimen esse, inter leges humanas et divinam, de quo discrimine postea dicemus.

Prius enim ostendam, unde sit sumta Legis definitio, videlicet ex ipsa lege, quae adfirmat praecipi et postulari integram et perfectam obedientiam, et puniri non praestantes integram et perfectam obedientiam. Dicit enim Lex: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc. Item, Non concupiscas. Item, Maledictus qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege.

Ac valde necesse est intelligi hanc vere esse Legis voluntatem, ne delabantur homines in stultas opiniones Pharisaeorum et Monachorum, ac somnient, homines posse Legi Dei satisfacere, et hanc qualemcunque disciplinam, quae efficit honestas actiones externas, esse impletionem Legis, et hominem tali disciplina iustum esse, et Legi satisfacere.

Haec humana somnia delent agnitionem peccati in nobis, et extinguunt lucem Evangelii de Mediatore, et de iustitia fidei.

Sit hoc infixum mentibus, Naturam in hac depravatione, massam horribiliter immundam esse, et dissimillimam Legi Dei. Et quanquam Deus ornavit aliquos magnis virtutibus, tamen praeter Filium Dei, nemo satisfecit Legi Dei, caeteri omnes collati ad legem et iudicium Dei, sumus similes stercori collato ad solem.

Hanc commonefactionem saepe nobis proponamus, ut e regione agnoscamus Filium Dei Mediatorem, et sciamus nos propter hunc recipi et placere, quanquam sumus tales massae sordidae et immundae. Hanc immensam misericordiam celebremus, et hac consolatione erecti, invocemus Deum, ut postea saepius dicetur.

In hoc vestibulo huius doctrinae, est et hoc monendus auditor, quod etsi Legi additae sunt promissiones, tamen eas omnes conditionales esse, ac postulare conditionem hanc, ut Lex integre impleatur, nec in aliqua parte rei simus, et condemnati a Lege. Ab his promissionibus longe differt promissio gratuita reconciliationis, quae est vox Evangelii, ut postea dicam, Ubi etiam dicemus, quomodo legales promissiones fiant ratae et utiles.

DIVISIO LEGUM.

Prius dicam de legibus divinis et naturalibus, ut postea iudicari possit, quae hominum decreta sint leges, aut legum corruptelae, ut Lacedaemoniorum permissio, quae concedebat pacisci de alterius coniuge cum marito, nequaquam fuit lex, sed horribilis furor, et Legis divinae eversio.

Sit ergo haec prima distinctio. Legum aliae sunt divinae, aliae sunt humana autoritate conditae, quae nec expresse traditae sunt autoritate divina in scriptis Propheticis et Apostolicis, nec sunt leges, quae usitate nominantur Naturales, ut postea dicetur. Prius enim de divinis et naturalibus dicendum est, quae sunt norma aliarum.

Sunt igitur leges divinae, quae a Deo traditae sunt quocunque tempore, et extant in Moise et libris Evangelii. Et quanquam inde usque ab initio mundi sonuerunt in Ecclesia, vox legis, et vox promissionis gratiae, tamen singulari consilio et beneficio Dei constituta est politia Israelitica, ut esset certa doctrinae sedes, in qua Deus manifesta testimonia de Lege et promissione Messiae ederet. Ibi lex moralis, quanquam antea nota erat, tamen voce divina de rupe Sinai, et insignibus miraculis promulgata est.

Et quia non tantum leges de singulorum moribus latae sunt, sed tota politia constituta est, additae sunt leges forenses et ceremoniales, quia, ut sit ordo aliquis vitae humanae, in omni societate civili, universaliter opus est his tribus gradibus Legum, Moralibus, Ceremonialibus et Forensibus.

Tota igitur antiquitas ita distinguit leges Moisi, Tres gradus recitantur. Leges Morales, Ceremoniales, et Forenses seu Iudiciales.

Huius distinctionis consideratio prorsus necessaria semper fuit, quia morales simpliciter sunt immotae, quia sunt sapientia Dei seu norma iustitiae in mente divina immutabilis.

Semper enim et in omni aeternitate vera et immota est haec propositio: Deus irascitur iniustae caedi, adulteriis, et libidinibus cum natura pugnantibus.

Sed ceremoniales et forenses, quae non sunt naturales, propriae fuerunt politiae Mosaicae, ut circumcisio, nec obligarunt gentes, nec nos obligant, et illustri testimonio Deus ostendit, politiam Moisi non pertinere ad nos, quia funditus eam delevit, nec instaurari passus est, etiamsi Iudaei post Titum saepe rebellarunt.

DE LEGIBUS NATURALIBUS.

Etsi autem interdum sic loquuntur aliqui, ut distinguant Naturales a Divinis, tamen vere et recte dicimus, comprehendi naturales in divinis, quia naturales vere sunt radius divinae sapientiae, transfusus in mentes humanas, testificans quod sit Deus, et docens qualis sit, et quod iudicaturus sit, et cum vellet Deus hominum naturam esse suam imaginem, lucere in ea similem sapientiam voluit, et voluit congruere nostras voluntates cum sua sapientia et iustitia.

Itaque leges naturae sint divinae et immotae. Et recte ac erudite tradita est definitio.

Leges naturae sunt notitiae principiorum practicorum de moribus, et conclusionum inde extru-

ctarum congruentes cum regula aeterna et immota mentis divinae, quae principia certissimus et amplectimur firmo adsensu, quia notitiae eorum nobiscum nascuntur divinitus insitae humanis mentibus in creatione, sicut numerorum notitiae.

Dolendum est autem et deplorandum assiduis gemitibus, quod non agnoscimus, quantum hoc decus sit, quod in homine lucet hic radius sapientiae divinae, et cur eum in nos transfuderit, videlicet, ut extet in nobis lux, testificans quod sit Deus, et monstrans qualis sit.

Talis est enim Deus, qualem se in lege expressit, sapiens, verax, beneficus, nequaquam volens promiscuas caedes, et vagas libidines, sed haec mala pugnantia cum sua lege puniens.

Sunt autem leges naturales, omnes morales in Decalogo comprehensae, et multae iudiciales, ut turbantes societatem generis humani iniustis caedibus, furtis et aliis delictis, puniendi sunt. Prohibenda est commixtio in proximis gradibus, qui recitantur Levit. 18.

Tales leges vere sunt naturales, et omnes gentes obligant omnibus temporibus. Quare et ante Moisen discrimina illa commixtionum servanda fuerunt, sicut textus in Levitico dicit, deleri Cananaeos, propter incestas libidines.

Praeterea multa genera legum ceremonialium sunt naturalia, ut necesse est aliqua certa tempora tribui publico ministerio doctrinae coelestis et sacramentorum, ut publice sonet vox Dei in genere humano, et sint consociati coetus testificantes de doctrina Dei.

Item aliquid singuli ex suis facultatibus ad ministerium Evangelii conferant. Ideo dixerunt eruditi, in disputatione de decimis, An decimae sint iuris naturalis, Non quota, sed aliquota est iuris naturalis.

Ex talibus exemplis iudicari potest, quid sit Ius naturale, seu leges naturae, ubicunque leguntur, sive in Moise, sive in scriptis Ethnicis et legibus politicorum virorum, ut Solonis et aliorum congruentibus cum vera ratione. Nobis autem semper sit norma Lex divina, quia ideo promulgavit Deus legem, quia naturales notitiae nunc in hac caligine sunt obscuriores, et multi mali mores contra iudicium naturale passim recepti sunt, ac postea magna tyrannis est consuetudinis, quae vitia vulgaria confirmat, tanquam non pugnent cum natura.

Nunc breviter addam descriptionem trium graduum.

Maxime perspicua descriptio est Legis Moralis, dicere Legem Moralem esse praecepta Decalogi. Sed dextre hoc dictum intelligendum est. Nam de sabbato verum est, mandatum de septimo die ceremoniale esse, et fuisse immutabile. Sed genus est naturale et morale, id est, ut aliqua certa tempora tribuantur publico ministerio coelestis doctrinae. Species, id est, mandatum de septimo die, ceremoniale est.

Ac sine cavillatione volumus accipi hoc nostrum dictum, Quoties decalogum nominamus, intelligi Legem moralem dextre intellectam volumus, quae videlicet praecipit non tantum de externis factis, sed de virtutibus in corde erga Deum et homines.

Et sunt, ut antea dixi, immotae, quia sunt sapientia Dei et regulae iustitiae in ipsa mente divina, quarum radius in nos transfusus est, ut imago congruat cum sapientia et iustitia in Deo.

Haec quomodo intelligenda sint, non obscurum est mediocriter institutis in doctrina Ecclesiae.

Et cum morales leges de virtutibus in corde, et de congruentia cum voluntate Dei praecipiant, antecedunt caeteris legibus, videlicet, Ceremonialibus et Forensibus, quae gubernant externos ritus, nec placent Deo, nisi in cordibus sint virtutes, de quibus lex moralis praecipit, ut infra rursus dicendum erit.

Sit igitur haec descriptio Legum Ceremonialium, esse eas praecepta a Deo tradita proprie de ritibus externis sacramentorum, et sacrificiorum, et privatorum quorundam exercitiorum in cibo et vestitu, qui instituti sunt, ut essent vincula consociantia hunc ipsum populum in politia Mosaica, et distinguentia eum ab omnibus aliis gentibus, et essent nervi publicae congregationis ad conservandum ministerium, docendi integram et incorruptam doctrinam a Deo traditam, videlicet Legem et promissionem Messiae.

Descriptio Legum Forensium seu Iudicialium in libris Moisi, sit haec, esse eas praecepta a Deo tradita de externis actionibus, regentibus hanc civilem societatem in divisione haereditatum contractibus, iudiciis et poenis.

Fuit omnino ingens beneficium Dei, quod politiam Moisi constituit, ut certa sedes doctrinae esset, et tanquam certa Academia, quae velut arx in arduo monte sita conspiceretur undique, et exaudiretur in toto genere humano, ut inde vox doctrinae ad multas gentes perferri posset, et tamen

sedes doctrinae perpetua in loco certo esset et maneret. Suntque anni ab exitu ex Aegypto usque ad resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, mille quingenti quadraginta duo. Tot annos sedes illa doctrinae in populo et loco certo conservata est.

Sed omissa iam declaratione Legum Ceremonialium, et Forensium, quae ad caeteras gentes non pertinent, dicamus aliquanto plura de Legibus moralibus, seu Decalogo, qui indicat peccatum in toto genere humano omnibus temporibus.

DE DECALOGO.

Nequaquam exhauriri potest sapientia Dei in Decalogo proposita, Sed ut diligentius aspiciatur et consideretur, admonitiones aliquas recitabo.

Prima et omnium summa est: Haec ipsa Lex, quae est aeternum et immotum discrimen faciendorum et non faciendorum, est testimonium, quod sit Deus, et qualis sit, videlicet, mens sapiens, bona, benefica, iusta, verax, casta. Impossibile est enim talem ordinem casu existere et manere.

Testatur etiam Deum esse iudicem, et punire sontes, quia tale discrimen non est inane. Nec Deus erit dissimilis sui, nec volet pugnantia cum sua mente et voluntate. Ideo et Psalmus dicit: Non volens impietatem Deus tu es. Videmus autem et poenas in hac praesenti vita quotidianas, quia regulariter atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita.

Secunda admonitio est. Cum ostendat Lex, qualis sit Deus, ostendit etiam qualem oportebat esse hanc hominum naturam, et ad quid condita sit. Vult enim Deus homines esse imaginem suam, vult congruere mentem et voluntatem nostram cum regula mentis suae et iustissima voluntate sua.

Tertia admonitio. Lex ostendit nobis ingentem miseriam nostram. Cum enim natura nostra dissimillima sit Legi, intuentes in eam, tanquam in speculum, videmus illam sapientiam et iustitiam, ad quam conditi sumus, amissam esse, ac discimus ex ea, peccatum causam esse mortis, et omnium calamitatum nostrarum.

Quarta admonitio. Postquam Lege commonefacti, agnoscimus peccatum, miseriam nostram et iram Dei, econtra significatur, quaerendam esse liberationem ab his malis, quia impossibile est genus humanum universum, ad aeternum exitium conditum, et legem frustra voce Dei propositam esse.

Aliquam igitur liberationem restare necesse est, in qua Lex fiet. Restat igitur alia vita, in qua corda nostra erunt sine peccato, et praestabunt integram obedientiam, et interea Liberator aliquis erit, scilicet Filius Dei nobis promissus, qui satisfaciat Legi, praestabit integram obedientiam, et praeterea poenam Legi debitam a nobis sustinebit, et restituet nos, qui et in Lege Moisi multis typis significatus est.

Ideo Paulus inquit: Finis Legis Christus est, ad iustitiam omni credenti, id est, Lex non est tradita, ut propter eam iusti simus, sed ut sit commonefactio de Mediatore, et sciamus eum constitutum esse, ut fieret victima, et sustineret poenam Legi debitam a nobis, et nos propter eum recipi, et ipsum in nobis instauratorem fore Legis.

Hae admonitiones, quas recensui, sint nobis in conspectu, ut diligentius consideremus et Legem Dei, et discrimen Legis et Evangelii. Nunc breviter recitabo praecepta Decalogi.

DECALOGUS.

Supra dixi, quoties nominamus Decalogum, nos intelligere sapientiam et iustitiam, quae est in Deo, et cuius radius in mentes humanas transfusus est, congruens cum mente et voluntate Dei, qui ostendit, quales oporteat esse omnes homines, et damnat omnes, qui non sunt tales, quae sapientia vocatur Lex moralis aut naturalis, et summa, tanquam sapientissimi artificis consilio, comprehensa est in Decalogo.

Huius Tabulae duae propositae sunt, quarum prior praecipit opera interiora et exteriora, quibus immediate cum Deo agimus.

Secunda, continet opera erga homines, quae etsi sunt vincula humanae societatis, tamen Deus et hanc obedientiam severissime postulat, et indicat eam esse cultum Dei. Sic igitur et praecepta secundae Tabulae intelligantur et fiant, ut in omnibus cogitemus haec, Deum esse qui praecipit, et Deo hanc obedientiam praestandam esse, et prospiciatur hic finis, ut fiant haec opera propter Deum.

Postea de omnibus praeceptis etiam dicemus, oportere ea fieri in agnitione et fide Mediatoris, et quomodo hoc intelligendum sit, postea dicetur.

DE PRIMO PRAECEPTO.

Optimo ordine orditur Decalogus a notitia Dei, et monstrat quis sit verus Deus, et quomodo agno-

scendus sit, et discernendus ab omnibus commenticiis numinibus. Necesse est enim hanc notitiam omnibus aliis antecedere, quia, ut dicitur, Ignoti nulla cupido. Nisi verus Deus agnoscatur, quomodo invocari, timeri, diligi potest?

Dirigenda est enim invocatio ad verum Deum, quem cum nec oculis corporalibus cernere, nec brachiis complecti possimus, necesse est tamen mente et fide intueri et alloqui.

Nec sit compellatio nostra similis ethnicae, ut Euripides inquit: O Deus quidquid es, sive hoc coelum, sive alia res. Sed sciat mens aeternum et immotum Dei praeceptum esse, ut verum Deum alloquamur, et eum a commenticiis numinibus discernamus, et intelligamus, quomodo quaerendus sit, scilicet, sicut certis testimoniis essentiam suam et voluntatem patefecit, et sicut docuit suo verbo, se quaerendum, agnoscendum et invocandum esse.

Ideo in primo praecepto hanc adfirmativam orationem proponit. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Deinde addit Exclusivam: Non habebis alios Deos.

Ut autem certo conspici mente et fide, et discerni ab aliis verus Deus posset, addita sunt testimonia visibilia, et nequaquam fallentia, per quae ostensum est, quis sit verus Deus, et quae sit veri Dei doctrina et voluntas, cum inquit: Qui eduxi te de terra Aegypti.

Hic omnia miracula comprehendantur facta in illo populo inde usque ab initio, Et nos deinceps misso Filio intueamur eundem Deum, qui et eduxit populum ex Aegypto, editis tam multis testimoniis, et misit Filium additis similibus testimoniis, resuscitatione mortuorum et aliis, sicut Petrus Actorum tertio dicit: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Iesum etc. Et omnia priora miracula sciamus ideo facta esse, ut essent testimonia de promissionibus, et de hoc Filio, Domino nostro Iesu Christo.

Et sicut Patres, Abraham, Isaac, Iacob, Moises, David, Daniel, et alii in invocatione hunc verum Deum alloqui se sciebant, qui se in promissionibus et illa eductione ex Aegypto patefecerat, et petebant ac credebant se propter semen promissum recipi et exaudiri, et segregabant suam invocationem ab omnium gentium religionibus, quae ignorabant promissiones, ita nostra invocatio eundem verum Deum intueatur et alloquatur, agnoscens Filium et cogitans promissiones et miracula, sicut ipse iubet quaeri Deum, inquiens: Qui videt me, videt Patrem.

Miranda et dulcissima consolatione vagabundas mentes retrahit, et alligat ad hunc conspectum Filii crucifixi, resuscitati, et illustribus testimoniis confirmantis promissiones de remissio peccatorum et vita aeterna.

Sit ergo haec prima doctrina in Decalogo, ut verum Deum agnoscamus, et in invocatione hanc doctrinam exerceamus et discamus.

Quoties incipis precationem, cogites tecum quid invoces, quid sit, et ubi sit ille Deus quem compellaturus es, et cum quibus invoces, an ut Ethnici, aut ut prima Ecclesia, Patres, Prophetae, et Apostoli, an et cur exaudiat.

Haec necesse est in omni vera invocatione cogitari. Ac non temere dictum est a quodam ex veteribus, difficillimum opus esse precationem, quia non solum intentio flagitatur, sed etiam consideratio revelationum et testimoniorum de Deo, et distinctio ab ethnica invocatione, et cogitatio promissionum et fides.

Dirige oculos in Filium resuscitantem Lazarum a mortuis, et tanquam praesens spectator illius mirandi operis, cogita nobis praecipi, ut sic agnoscamus Deum, ut statuamus vere Deum esse creatorem coeli et terrae, et hominum, Patrem huius Domini, qui et semper adest huic Domino, et hunc ipsum filium Dominum nostrum Iesum Christum, et Spiritum sanctum, sicut patefacta est divinitas certissimis testimoniis, traditis per Patres, Prophetas, Filium, et Apostolos.

Deinde et voluntas cogitanda est, qualis sit Deus, et cur exaudiat. Est sapiens, beneficus, iustus, verax, iudex, castus, liber, misericors. Recipit autem nos et exaudit, et servat propter Filium Mediatorem.

Haec omnia in qualibet invocatione cogitari necesse est. Nec contentiose disputes: Cur me deducis ad Lazari resuscitationem? quid haec ad me pertinent? Imo vero talia testimonia omnia propter universam Ecclesiam exhibita sunt, Vult Deus in talibus operibus se conspici et agnosci, sicut in Decalogo recitat eductionem ex Aegypto.

Proponas igitur oculis etiam alia testimonia. Et quia in primis illustris patefactio est in baptismo Christi, hanc saepe in precando cogitemus, ac velut in illa amoenissima ripa Iordanis spectator mente consistas, ubi Iohannes baptizat filium Dei, et tota divinitas cum perspicuo discrimine personarum se ostendit.

Aeternus Pater sonat vocem de Filio. Hic est Filius meus dilectus.

Conspicitur oculis omnium Filius, qui undis abluitur.

Conspicitur et Spiritus sanctus specie columbae alas pandens super Mediatorem.

Hoc mirandum testimonium exhibitum esse sciamus propter universam Ecclesiam, ut agnoscamus verum Deum, et ab omnibus commenticiis religionibus veram procul seiungamus.

Hactenus de notitia diximus, quae est gradus omnium primus in Decalogo. Veram notitiam mox comitantur adfectus, Fides, Dilectio, Timor, de quibus ordine dicendum est.

Ac primum fides est, adsentiri illis patefactionibus, quibus ipse Deus certa testimonia addidit. Et complectendae sunt revelationes Legis, promissionum et Mediatoris. Ideo et in Decalogo nominatim dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi.

Has voces, Tuus, qui te eduxi, fide accipi oportet, id est, te vere respiciens, et curans, tibi dans verbum, te vocans, tibi opitulaturus, te exaudiens, servans in hac vita et post hanc vitam.

Maxima emphasis est in vocabulo TUUS, quia hac ipsa voce Deus foedus nobiscum facit, se vere curare hunc populum audientem hoc ipsum verbum quod tradit, et se tantum Ecclesiam ex hac parte generis humani colligere, quae hoc verbum audit, et amplectitur.

Fides itaque primum opus est Decalogi, qua totam doctrinam a Deo traditam amplectimur, videlicet omnes articulos fidei, ut usitate loquimur in Ecclesia, item, Legem et Promissiones. Et cum Legi additae sint comminationes, notitia, quae statuit Legem esse veram, parit timorem.

Et quia necesse est simul complecti promissionem reconciliationis, in qua etiam se patefecit Deus, et qua post lapsum generis humani, rursus sibi colligit Ecclesiam, fidem accendi necesse est, quae non solum est notitia, sed etiam adsensus et fiducia in voluntate et corde, acquiescens in Deo propter Mediatorem.

Cum enim necesse sit amplecti totam doctrinam de Deo, non dubium est oportere et vocem praecipuae promissionis sciri, quae et docet, quomodo haec lapsa natura recipiatur, et quomodo fiat inchoatio obedientiae, et quomodo placeat.

Cum autem haec fides, qua credimus nos receptos esse propter Mediatorem, accensa est, iam agnita misericordia Dei, incipimus eum diligere. Ita primi praecepti opera sunt vera notitia Dei, fides ac fiducia misericordiae, dilectio, spes et aliae virtutes vicinae.

Humilitas, qua agnita nostra infirmitate, tribuimus Deo gloriam, et in vocatione obedimus fiducia auxilii divini, et in poenis fatemur nos iuste puniri.

Item, Patientia, quae est obedientia in adflictionibus propter Deum tolerandis in confessione, et in poenis.

Et quidem Lex praecipit, ut hae virtutes in nobis perfectae sint et sine peccato, sicut vox divina inquit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus tuis. Sed scimus in hac depravatione naturam humanam repugnare Legi Dei. Ideo antequam plura dicam de operibus huius praecepti, admonendi sunt rudiores, quomodo fieri possint et fiant opera huius praecepti.

Ac primum quidem sciendum est, opera externa huius praecepti, intelligi et fieri posse etiam a non renatis, id est, homo potest discere et profiteri veram doctrinam externa professione, et fugere omnia idola externo gestu.

Haec prima paedagogia etiamsi est necessaria, tamen nondum est impletio huius praecepti, quod postulat integram obedientiam cordis in timore, fide, spe, dilectione, humilitate, patientia.

Sic autem inchoatur interior obedientia.

Cum scimus Lege Dei accusari peccatum in nobis, et vere expavescimus agnitione irae Dei, et audimus promissionem reconciliationis, quae donatur propter Filium Dei, sciamus mandatum Dei immotum et aeternum esse, ut credamus nobis remitti peccata, et nos recipi propter Mediatorem gratis.

Cum haec fides in cordibus nostris lucere coepit, donato Spiritu sancto in hac consolatione, simul caeterae virtutes inchoantur, dilectio, spes, et aliae.

Haec sunt initia obedientiae, et res ipsa ostendit, nos tamen adhuc procul abesse a perfectione legis, et adhuc multum sordium in hac misera natura circumferre. Sed tamen sciendum est, hanc inchoatam obedientiam in reconciliatis placere. Deo propter Mediatorem qui est velut umbraculum, et tegit reliquam in nobis immunditiem, sicut dictum est: Beati quorum tecta sunt peccata. Hanc doctrinam propriam Evangelii infra repetemus copiosius.

Antithesis.

Postquam autem dixi, quae sint huius praecepti opera et quomodo in hac imbecillitate naturae humanae fiant, et Deo placeant, iam addenda est antithesis, ut et humana miseria magis agnoscatur, et huius praecepti doctrina fiat illustrior.

Recitabo autem primum ea peccata, quae minime obscura sunt, quorum primus gradus est, furor eorum, qui palam sunt athei, ut Cyclopes, Epicurei, et similes; Item Academici, et alii multi, quorum alii prorsus negant esse Deum conditorem generis humani, alii negant iudicem esse, alii iubent semper dubitare an sit Deus, et an sit iudex hominum, et an curet humana. Nec tantum vulgi furores in hoc genere varii sunt, sed etiam sapientes et Philosophi varias imaginationes finxerunt.

Stoici etsi dicunt esse Deum, et aspicere ea quae fiunt, tamen fingunt alligatum esse causis secundis, nec posse aliter agere, quam ut cient causae secundae et necessario adiuvare bonarum actionum et omnium scelerum effectionem.

Etsi autem aliqui errores inter hos adeo absurdi et tetri sunt, ut ratio etiam naturali iudicio refutare eos possit, tamen haec varietas consideranda est, ut humanam audaciam magis detestemur, quae horribili impietate, tam portentosas opiniones de Deo fingit et defendit.

Secundus gradus est, furor eorum, qui idola colunt, ut Ethnicorum, qui finxerunt multa esse aeterna numina, et diversam singulis potentiam attribuerunt, ut aliam Saturno, aliam Iovi, aliam Marti, aliam Iunoni, aliam Veneri, estque et in hoc gradu magna varietas.

Alii cogitarunt ipsas statuas esse Deos, alii qui videri prudentiores volebant, alligarunt Deum ad certas statuas et cultus, finxerunt Deum exaudire ad hanc statuam, et propter hos cultus. Alii tribuerunt divinam potentiam creaturis, ut qui invocarunt Herculem, Quirinum.

Talis est et eorum invocatio, qui mortuos homines, ut Petrum, Paulum et similes invocant. Nam hic ritus ab Ethnicis exemplis ortus est, et similis est ethnicae impietati. Tribuit enim creaturis omnipotentiam, quia invocans iudicat absentem, quem invocat, inspicere omnium corda.

Praeterea cum nullo testimonio Dei hic cultus confirmetur et obscuret verum Mediatorem, necesse est eum improbari et damnari.

Tertius gradus est Iudaeorum, Mahometistarum, et omnium haereticorum. Nam hi omnes fingunt sibi deos alios, nec volunt agnoscere hunc verum Deum, qui se in hoc suo verbo tradito per Filium, Prophetas et Apostolos patefecit, cum sic tantum velit agnosci et invocari. Et quanquam multa dicta opponi talium furoribus possunt, tamen hic in genere sententia teneatur recitata in agone: Sanctifica eos in veritate, Sermo tuus est veritas.

Itaque veram de Deo doctrinam et veri Dei invocationem, nulla gens, nulla secta habet, relinquens hanc vocem traditam per Filium Dei, Prophetas et Apostolos. Et quomodo iudicandum sit iuxta hanc patefactionem divinam, infra de Ecclesia dicemus.

Et quia nimis longum est recitare haereticorum catalogum, satis sit monere hoc loco, furores haereticorum esse horribilia peccata, pugnantia cum cum primo praecepto, similia idolorum cultibus.

Non minus tetra idola sunt Manichaeorum, Samosateni, Arii et similium errores, qui quasi simulacra sunt sculpta humana audacia, quam Bacchi aut Veneris statuae. Cumque cogitamus, quam late vagentur haec peccata in genere humano omnibus aetatibus, non potest fieri, quin homo pius toto corpore cohorrescat.

Quare simus vigilantes, ne polluamur haereticis opinionibus, et vera doctrina muniamus nos, ac Deum oremus, ut mentes nostras regat, ne a luce Evangelii aberremus.

Quartus gradus est Magorum, qui pacta faciunt cum Diabolis, et omnium qui Magos consulunt, et aliis superstitiosis observationibus dediti sunt, quibus tribuitur potentia sine ordinatione Dei. Quare cum sequuntur effectus, certum est eos a Diabolo oriri, ut cum ex baculo lac extrahitur ademtum vaccis.

Haec omnia prohibentur Levitici vicesimo: Animam quae declinaverit ad magos et ariolos, et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, et interficiam eam de medio populi sui. Quia non vult nos Deus auxilium petere a diabolis blasphemis spiritibus, nec vult fiduciam nostram ad eos transferri.

Pertinent autem ad hunc gradum multae impiae consecrationes, quae in Ecclesiam irruperunt, similes magicis, ut olei, salis, et multarum rerum.

Quintus gradus, est Hypocritarum, qui etsi vera profitentur, nec sunt polluti externis idolis, tamen in corde sunt securi et sine poenitentia, sine timore Dei, et sine vera fide, et magis amant voluntates suas et opes, quam Deum, ut Nabal. Talis est semper in Ecclesia ingens multitudo, etiam

ubi vera doctrina sonat, sicut parabola de semine significat.

Ac magna varietas est horum Hypocritarum. Alii sunt securi, ut qui nondum sentiunt poenas, quorum aliqui tument persuasione suae sapientiae et iustitiae, et sese admirantur, et longe alios infra se collocant et despiciunt, ut Pharisaeus Luc. 18. Aliqui efferunt se fiducia suae potentiae, et negligentes Deum, movent res magnas fiducia sui, ut Pompeius. Et usitata est haec superbia in summis viris, ut in Hercule, Aiace, Alexandro, Nabugdonosor, qui ante castigationem dicit se sua virtute Babylonicum regnum auxisse. Postea castigatus agnoscit, Dei opera esse, victorias et imperiorum constitutionem.

Alii calamitatibus oppressi, ruunt in impatientiam et desperationem, ut Saul. Haec peccata omnia, securitas, superbia, fiducia et admiratio sui, impatientia et desperatio, pugnant proprie cum primo praecepto, quia sunt vitia proprie opposita timori Dei, et fiduciae auxilii divini.

Sextus gradus est, neglectio Evangelii, quae etiam est multiplex. Alii palam deficiunt, ut Iudas, Iulianus. Alii non invocant Deum fiducia Filii Dei, imo alios mediatores excogitant, ut homines mortuos, aut fingunt novos cultus, ut missas, satisfactiones, monachatus.

Alii imaginantur perpetuo dubitandum esse. Et in multis singulare malum est, indulgere diffidentiae, et manere in dubitatione, quia in se ipsis nondum sentiunt insignes motus divinos. Volunt igitur, ut sensus antecedat fidem, sicut in physicis, homo credit aquam esse calidam, cum immersit digitum, et experientia didicit esse calidum: ita in natura sequitur adsensio experientiam.

Sed in amplectenda promissione divina contrarium fit. Adsensio, id est, fides antecedit consolationem, ut David prius audit promissionem: Non morieris, et hanc intuetur et ei adsentitur, ut veritatis gloriam Deo tribuat. Hac adsensione cum erigitur, sequitur consolatio et sensus laetitiae.

Est igitur sapientia necessaria omnibus hominibus, in quotidiana invocatione discere, quomodo Deum intueri debeas in verbo quod tradidit, et testimoniis patefactionis.

Non cogitandum est tunc demum de velle credere, cum vides Deum coram oculis corporis, aut postquam senseris in corde novum lumen, Sed adsentiaris ipsius promissioni, et in hac vere loqui eum tecum statuito, et simul cogita, quem Deum alloquaris, et ubi se patefecerit, et discernere eum ab omnibus commenticiis numinibus, et cogita, quas promissiones, et cur ediderit, et ea quae in praesentia accipienda sunt, exhiberi tibi credito, ut remissionem peccatorum, et reconciliationem. Quae vero expectanda sunt, mitigato dolore expecta, ut reductionem expectat David, et repugnato diffidentiae et dubitationi.

Sunt igitur et haec peccata pugnantia cum primo praecepto, negligere Mediatorem, fingere alios mediatores, excogitare novos cultus sine mandato divino, quaerere Deum extra verbum ab ipso traditum, non accedere ad hunc Deum patefactum in hoc verbo, non acquiescere in promissione, sed quaerere alia signa, indulgere diffidentiae et dubitationi.

Has pestes non intelligunt homines securi et ebrii voluptatibus, ambitione, aut aliis cupiditatibus, sed in veris doloribus aliquo modo cernuntur. Et homines timentes Deum considerent haec mala humani cordis, et discant opponere promissiones et vocem Evangelii deducentem nos ad promissiones, sicut Moises et Paulus dicunt: Prope est verbum in ore, et in corde tuo.

Recitavi doctrinam de praecipuis operibus primi praecepti, et ostendi antithesin, in qua insignia et horribilia peccata conspici possunt, quae cum hoc primo et summo mandato pugnant, quorum consideratio pias mentes de aliis vicinis malis commonefacere potest.

Cum autem hoc mandatum sit primum et summum, assuefaciamus nos omnes, ut amplissimam sapientiam Dei, quae in hoc mandato continetur, pia et assidua meditatione consideremus, ut in nobis crescant, fides, timor Dei, fiducia, dilectio, spes, amor humilitatis, tolerantia et constantia in fide et spe.

Addendae sunt et hae admonitiones, Primum mandatum summum est, et includendum deinceps in omnibus mandatis. Honora parentes, scilicet, ut Deo obedias, qui obedientiam nostram sibi debitam conspici vult in hoc opere. Non occides, Non moechaberis, Non furtum facies, id est, his mandatis Dei obtemperato propter Deum, ut ostendas te vere timere et diligere Deum, et eum anteferre incendiis tuarum cupiditatum.

Ita ad primum mandatum tanquam ad principale omnia alia opera referenda sunt. Bene facit Pompeius Atticus, sed hac movetur causa, iudicat virtutem esse rem convenientem naturae hominis, et pulchram quod verum est, interea dubitat, an Deo placeat haec obedientia, et an puniat delicta. Prae-

lucere autem oportebat timorem Dei et fidem, imo et agnitionem Filii Dei.

Altera admonitio est, Primum mandatum, est summa lex gubernatrix aliarum legum. Cum certum est Deum mandare aliquid contra caetera mandata, ut Abrahae mandat filii mactationem, hic primi mandati autoritas anteferenda est inferiori praecepto. Sequitur secundum praeceptum.

DE SECUNDO PRAECEPTO.

Ordo in praeceptis demonstrationibus congruit. Prima lex concionatur de agnitione Dei, et voluntatis et cordis motibus, quibus accedere ad Deum et in eo acquiescere debemus.

In secundo mandato proceditur ad externam oris confessionem. Cum enim Deus condiderit genus humanum, ut in eo celebretur, et ut alii alios de ipso doceant, necesse est et vocem de Deo sonare inter nos. Mox igitur dictum est de his operibus externis.

Semper autem meminerimus, in negativis praeceptis etiam adfirmativa contineri: Non abutaris nomine Dei. Quaerendum est igitur, qui sint veri usus, et recitatis adfirmationibus, postea antithesis recitanda est, et ostendendi abusus.

Comprehendemus igitur veros usus, et Deo placentes his quatuor generibus, invocando, gratias agendo, docendo et confitendo.

Prius dictum est de invocatione, quae fit cogitatione mentis et accensa in voluntate fiducia, confugiente ad Deum intus petente et expectante bona. Hic dicitur de voce, quae illos motus cordis exprimit, et cum corde consentit, quia etiam expressam vocem postulat Deus, ut alii erudiantur et confirmentur, imo ut et Diaboli audita veri Dei invocatione expavescant et fugiant.

Pertinet igitur ad hoc praeceptum tota doctrina de precatione, de qua tamen hic brevius dicam, ne fiat haec enarratio nimis prolixa. Et necesse est in omni invocatione in conspectu esse consolationem, quae traditur in doctrina de iustitia fidei.

Ut igitur properemus ad eius partis explicationem, quaedam materiae in aliam operis partem transferantur.

Satis est brevissime moneri iuniores, in omni petitione haec quinque cogitanda esse.

Primum, quem Deum, et quomodo patefactum et distinctum a commenticiis numinibus velis alloqui.

Secundum, de mandato, Cum severissime Deus praeceperit se invocari, et a se bona peti, sciamus hoc opus et hunc cultum maxime necessarium esse.

Tertium, de promissione. Quanta bonitas est Dei, quod non solum praecepit a se peti bona, sed etiam promissiones edidit, de bonis aeternis et praesentibus, in quibus adfirmat se velle opitulari. Et quidem vult sibi tribui laudem veritatis.

Quartum, de fide petente fiducia Filii Dei Mediatoris, aeterna bona et praesentia. Et quidem in omni precatione necesse est praelucere hanc fidem, quae statuit de propter Filium Dei recipi et exaudiri. Ideo dictum est ad Ebraeos 4. Hunc habentes Pontificem, accedamus cum fiducia ad thronum gratiae.

Nec tantum in hoc initio consolationis luceat fides, videlicet, ut statuat nos recipi, et audiri nostros gemitus, sed etiam accedat firma spes, expectans liberationes, quanquam differuntur.

Quintum, de rebus petendis, sint enim in petitione expressae aliquae res necessariae nobis, Ecclesiae, reipublicae, et aliis pro quibus petimus.

Haec membra indigent longiore explicatione, cui infra tribuemus proprium locum.

Nunc hoc sciant bonae mentes necessariam esse et externam invocationem, ut sit tanquam confessio et testificatio, quae ostendat, quomodo de Deo sentiamus. Et hoc opus externum in infantibus et rudibus paedagogia necessaria est, et ab omnibus fieri potest.

Sed vult Deus, ut accedat et cordis invocatio, id est, ut sint in corde vera Dei agnitio, timor Dei, fides et fiducia, intuens Mediatorem, et ardens adfectus petens necessaria.

Non igitur vere fiunt opera huius secundi praecepti, sine operibus primi praecepti. Et placet obedientia in hoc praecepto, sicut antea dictum est de obedientia iuxta primum praeceptum.

Et quia hic omnes mentionem faciunt iuramenti, breviter monendi sunt rudiores, quid sit iurare, et quare ad hoc praeceptum referatur.

Iurare vere est species invocationis, in qua sive Deo, sive hominibus immediate aliquid promittimus, tamen Deo promittimus veritatem, et petimus ab eo, ut ipse apud homines sit confirmator nostrae promissionis, et nos severissime puniat, cum fallimus.

Sequuntur igitur gravissimae poenae primum, quia Deus summa contumelia adfectus est, cum pe- tiverint periuri, ut sit confirmator mendacii. Deinde, quia ipsi se obligaverunt ad poenam, si fefellerint.

Haec admonitio saepe cogitanda est, ut magna pietate servemus veritatem iuramentorum, et non simus in iurando leves et faciles.

Antithesis.

Dixi de veris usibus et de sententiis adfirmativis, quae hic continentur. Nunc considerentur abusus pugnantes cum invocatione, cum gratiarum actione, cum puritate doctrinae, et cum confessione.

Ac potest longa antithesis institui, si quis repetat peccata pugnantia cum primo praecepto.

Sunt autem manifeste contumelia adversus nomen Dei, sermones Cyclopici et Epicurei, omnes falsae invocationes, quales sunt idolorum et hominum mortuorum, pacta magorum, incantationes et fascinationes, omnes corruptelae verae doctrinae et haereses, omnia periuria, omnes blasphemiae, omnes praestigiae sophisticae obruentes veritatem, abiectio veritatis in confessione, falso praetexere nomen Dei vel Evangelii, ambitioni, avaritiae, odiis et aliis iniustis adfectibus, ut Monachi propter quaestum tuentur suam consuetudinem vendendi funebres missas, et multas alias superstitiones. Papa titulo ministerii quaesivit potentiam, movit scelerata bella, adfirmat se posse transferre regna.

Pertinet huc et omnia scandala, quae vel fidem languefaciunt in infirmis mentibus, vel exemplo invitant alios ad imitanda delicta, vel alienant aliorum voluntates ab Evangelio, vel dolorem adferunt piis, et turbant eorum invocationem.

Maxima pars hominum et hoc tempore praetextu Evangelicae libertatis laxat disciplinae frenos. Quia enim audiverunt disciplinam non mereri remissionem peccatorum, voluptates minus moderantur, et onerati crapula, impediunt intentionem in cogitatione de Deo, et invocatione, et languefaciunt motus Spiritus sancti.

Recitavi brevem antithesin, cuius explicatio longum volumen esset. Sed his generibus consideratis, multa adfinia inde iudicari possunt.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Vult Deus recte agnosci, vult Ecclesiam sibi colligere, cui suam bonitatem in omni aeternitate communicet, et a qua vicissim celebretur. Ideo in primo praecepto dixit de agnitione, et voluntatis ac cordis motibus erga Deum. In secundo praecipit illius verae agnitionis professionem.

Sed ut huius agnitionis et professionis propagatio fiat per ministerium certum, non tantum generaliter de notitia et professione dixit: sed addit tertium praeceptum, quomodo propagari et conservari hanc notitiam et professionem velit, scilicet per ministerium docendi doctrinam ab ipso patefactam, quod certis hominibus commendatum est, et ad quod certas congregationes instituit, quas ipse tueri vult, etiamsi potentia Diabolorum et Tyrannorum eos coetus varie dissipare conatur.

Iam igitur in tertio praecepto velut custodes priorum mandatorum constituit, quia certissimum est, hac lege de Sabbato comprehendi totum ministerium. Instituit igitur hic doctores coelestis doctrinae, et eis commendat doctrinam, et addit ceremonias, quae sunt signa doctrinae, et praecipit, ut hos doctores hanc doctrinam a Deo acceptam sonantes, populus reverenter audiat, et ceremonias discat esse testimonia et commonefactiones de voluntate Dei, et in earum usu veram invocationem exerceat.

Haec est sententia mandati de Sabbato. Nam Sabbatum, cum sit dies constituta ad haec officia, ut publice proponatur vox doctrinae, et publicis ceremoniis commonefiant homines, et populus conveniat ad discendum, et ad communem invocationem, praecipua ceremonia est, et nervus totius ministerii. Ideo comprehendi hoc mandato de Sabbato totum ministerium Ecclesiae sciamus.

Sunt igitur opera huius tertii praecepti propria, conservare in Ecclesia ministerium vocis divinae, ut quisque suo loco debet. Doctores a Deo et deinceps ab Ecclesia vocati recte doceant, conservata puritate doctrinae, iuxta primum et secundum praeceptum: Populus reverenter conveniat et audiat vocem doctrinae, et pie ceremoniis utatur, obtemperet recte docentibus, honore adficiat et defendat pios Doctores adiuvet studia necessaria Ecclesiae. Denique omnes homines, gubernatores et populus curent, ne intereat hoc ministerium. Haec est non allegorica interpretatio praecepti, sed prima, nativa, et principalis sententia literae.

Econtra, peccata pugnantia cum hoc tertio

praecepto, sunt omnia delicta omnium, quibus impeditur ministerium Evangelicum, peccant Episcopi, Reges, Principes et privati homines, qui non curant suo loco conservare et tueri Evangelii ministerium, nec iuvant studia literarum et artium necessaria Ecclesiae. Atrocius etiam peccant tyranni, qui delere fontes purae doctrinae conantur, et qui pios doctores interficiunt.

Hic etiam iuniores admonendi sunt de Sabbati Levitici abrogatione, cum quaeritur, An tertium praeceptum ad nos pertineat, cum sabbatum Leviticum nunc abolitum sit.

De hac quaestione recte dicitur speciem abrogatam esse, et fuisse ceremoniam propriam politiae Mosaicae, ut septimo die tales ritus servarentur. Et tamen vult Deus semper manere ministerium docendi, et sacramenta pro tempore instituta administrandi. Et Ecclesiae omnibus temporibus dat ministros, et semper vult publicos congressus esse, ut in genere humano vox de Filio, Domino nostro Iesu Christo exaudiatur, et nota sit. Sic igitur genus non est abrogatum, de quo principaliter haec tertia lex Decalogi loquitur, videlicet, praeceptum severissimum de conservatione ministerii quocunque tempore.

Pertinent igitur huc dicta, quae perspicue ostendunt et institutum esse ministerium publicum docendi Evangelii, et mandatam esse curam, ut omnes conservationem adiuvemus, imo et promissiones additas, quae adfirmant conservationem eius, et crebras instaurationes, singularia Dei opera et beneficia esse.

Iohan. 20. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

Luc. 10. Qui vos audit, me audit, Qui vos spernit, me spernit. Et ad Ephe. 4. Dedit alios quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, et Doctores etc. Ne simus stulti fluctuantes, nec circumagamur quolibet vento doctrinae per praestigias hominum etc.

In hoc dicto et praeceptum est, ut ministerium conservemus, et promissio, quae adfirmat divinitus mitti, et excitari Doctores salutares, quorum voce subinde lux doctrinae restituatur, ne vera Dei notitia in genere humano extinguatur.

Non addam hic longiorem enarrationem huius praecepti, tantum oro lectorem, ut cogitet, quam magna, et quam necessaria opera universae Ecclesiae hic praecipiantur, si de conservatione ministerii hoc praeceptum simpliciter intelligatur, et hanc fideliter adiuvare volet, sicut sine ulla dubitatione severissime Deus praecipit.

Hic conqueri etiam peculiariter iustissimum est, de gubernatoribus, qui negligunt ordinationem, nec curant eligi ministros idoneos, nec postea iuvant examina, et inspectionem. Haec magna negligentia etiam in nostris Ecclesiis usitata est, quam cum deploramus, simul etiam oremus Filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut extrudat operarios idoneos in messem suam et flectat gubernatorum et omnium hominum mentes ad curam conservandi ministerii.

DE SECUNDA TABULA.

Non solum in docendo, sed etiam in omni vita in omnibus actionibus erga proximum, in conspectu sit honorificentissimum testimonium Filii Dei de secunda Tabula, cum inquit Matth. 22. Secundum mandatum, quod simile est isti: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quis hominum aut angelorum ausus fuisset hoc modo loqui, Mandata secundae Tabulae similia esse primae? Certe obligatio maior est erga Deum, quam erga homines.

Etsi autem haud dubie magna sapientia his verbis involuta est, quam explicare nos infirmi non possumus, tamen haec ratio aequalitatis non est absurda.

In omnibus mandatis secundae Tabulae semper oportet includi primum mandatum, ut politicam obedientiam praestemus, non tantum pacis aut utilitatis causa, ut gubernatores politici cogitant, sed praecipue hac mente, et hunc finem intuentes, ut Deo debitum honorem tribuamus, et ei in his officiis, quae etiam iudicat esse cultus, serviamus.

Cum igitur primum mandatum includi sequentibus oporteat, aequalitatis ratio utcunque intelligi potest.

Secundo, taxat Dominus errores Pharisaeorum, et omnium hominum, qui sunt sine luce Evangelii. Ceremonias quae sunt signa tantum, et sunt res mutabiles, maximi faciunt Pharisaei, et existimant principales Dei cultus esse, et longe anteferunt rectitudini cordium erga proximos.

Hanc falsissimam persuasionem damnat hac ipsa amplificatione secundae Tabulae, et monet veros cultus esse, non signa, et opera mutabilia, sed unam et aeternam iustitiam, congruentem cum aeterna norma divinae mentis et voluntatis. Sicut in mente divina, hae propositiones aeternae et immutabiles sunt: Agnosci oportet Deum esse essen-

tiam spiritualem, sapientem, veracem, bonam, iustam, aequalem, castam, beneficam, sic hae propositiones sunt aeternae: Deus vult in creaturis rationalibus castitatem, Deus detestatur iniustas caedes, vagas libidines. Est ergo una et eadem Dei sapientia et iustitia, quae cultus primae et secundae tabulae copulat, et in nobis vult coniungi.

Haec utcunque monere volui, et existimo cogitationem de re tanta piis utilem esse. Ideo autem haec excellens sapientia nobis in hac caligine obscurior est, quia legem non satis intelligimus, et tantum habemus qualemcunque imaginationem philosophicam seu politicam, et non cogitamus, unam et eandem Dei sapientiam et iustitiam esse utramque tabulam.

Etsi autem at enarrationem propero, tamen hoc praefari etiam necesse est: Requirit et haec secunda tabula non solum externa opera, sed etiam interiorem rectitudinem cordis. Ita congruere debebant humana corda cum lege Dei, hoc est, cum sapientia et iustitia Dei, ne haberent inclinationes, affectus, aut actiones contra hunc ordinem, in quo condita est, et qui in lege expressus est.

Etsi autem horribilis est contumacia et confusio huius ordinis in natura hominum, ut experientia ostendit, tamen in renatis placet inchoata obedientia, ut supra diximus, et infra rursus dicturi sumus, cum accedit inchoatio prioris tabulae, et praelucet agnitio Filii Dei, qua credit unusquisque personam reconciliatam esse, et placere Deo propter Mediatorem fide, et deinde refert haec politica opera ad hunc finem, ut Deo praestet obedientiam in his actionibus, et ut in hac obedientia exerceantur fides, invocatio, spes, et aliae virtutes, et luceat universa confessio, sicut scriptum est: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur Pater vester coelestis, ut etiam alii invitentur ad veram agnitionem et invocationem Dei.

Et cum haec tabula praecipiat de vita politica, et haec ipsa vox, Diligas proximum sicut te ipsum, sit norma consociationis hominum, et Deus in ipsa generatione, educatione, et defensione vitae ostendat, non posse homines sine congregatione vivere, manifestissimum est vere voluntatem Dei esse, ut in politica vita vivamus, nec abditi in latebras fugiamus caeteros homines.

Non vult Deus Samuelem aut Danielem latere in solitudine aut specu aliquo, et tantum arcanis ceremoniis vacare, sed vult eos in mediis fluctibus et procellis gubernationis versari, et inter homines circumferre doctrinam divinitus traditam. Vult eos in his periculis exercere fidem, invocationem, et spem, vult eos docere alios, vult conspici testimonia doctrinae, quae Deus per ipsos exhibet.

DE QUARTO PRAECEPTO.

Honora patrem et matrem.

Initium societatis sapientissime sumitur a personis gubernantibus, Et in natura primi gubernatores sunt parentes, deinde caeteri quibus Deus officia parentum commendavit.

Comprehendi igitur in hoc mandato et dicta de magistratibus sciamus, quae Rom. 13. proposita sunt, et saepe alibi. Et cum in hac parva tabella Decalogi, magna sit brevitas, nominatur hic summus obedientiae gradus, scilicet honos, qui veram cordis reverentiam et subiectionem significat, et naturae ordo optimus esset, si hunc honorem corda recte tribuere gubernatoribus possent.

Complectitur enim honos tria praecipue.

Primum, causam et formam institutionis, videlicet, quod Deus instituerit, et instituerit, ut congruat gubernatio ad suam sapientiam et iustitiam.

Secundo, obedientiam externam.

Tertio, ἐπιείκειαν, qua in tanta infirmitate humana quaedam errata imperiis condonemus.

Praecipuus honos est, agnoscere Deum esse autorem huius consociationis in genere humano, et ordinis, quo vult regi homines ad agnoscendum Deum, et ad agnoscendam sapientiam et iustitiam eius, et iudicium eius metuere, ac ei obtemperare. Nec tantum sic est autor, ut approbet legitima imperia, quia cum ratione congruant, sed etiam hoc modo, quia, sicut stellarum motus et suo consilio ordinavit, et sua potentia conservat, ita et ordo politicus Dei opus est, et quantum ordinis in hac confusione humanae naturae manet, a Deo vere et efficaciter conservatur.

Nam diabolus honestam societatem in universum dissiparet, nisi furores eius Deus reprimeret, et partem generis humani protegeret. Huc pertinent dicta Rom. 13. Potestates quae sunt, a Deo ordinatae sunt. Et Daniel. 2. Deus transfert regna et constituit. Et ut sit conservator huius ordinis, manifeste ostendit suam praesentiam in poenis contumacium, quia cum homicidae et seditiosi

elabuntur ex manibus magistratuum, tamen divinitus retrahuntur ad poenas.

Hic autem sunt monendi iuniores discrimen esse inter ordinem politicum et personas, leges contractus, iudicia, poenae, in imperio Romano tempore Neronis sunt res a Deo ordinata et iusta, Et Paulus hunc ordinem veneratur, et Deo pro tali consociatione generis humani gratias agit. Sed tamen Nero est sceleratus et teterrimum monstrum, et Paulus toto corpore cohorrescit, cogitans talem pestem tenere hunc summum gradum inter homines, qui debebat esse custos divinorum beneficiorum, legis Dei, iustitiae et pacis.

Hac distinctione inter rem et personas observata, multa argumenta explicari possunt, de quibus Philosophi disputarunt, et omnes sapientes ignari Evangelii omni tempore disputant, cum quaerunt, An imperia sint a Deo, aut tantum humanis consiliis, aut casu constituantur, et mutentur.

Certum est ordinem politicum opus Dei esse, etiamsi Caligula, Nero et similes iniuste rapiunt, et iniuste administrant imperia.

Dixi primum gradum honoris esse, agnoscere Deum esse autorem huius ordinis, et in hac ipsa obedientia praecipue Deo obtemperare.

Necessario deinde hic gradus sequi debet, ut ipsos parentes et legitimos magistratus, leges et iudices diligamus propter Deum, et eis nos subiiciamus, et in externis officiis sine contumacia obtemperemus, sicut Paulus inquit: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quod dictum haud dubie singulari consilio universae Ecclesiae traditum est, ut falsa imaginatio hominibus eximatur, quae non discernit inter imperia et latrocinia. Sicut pirata ad Alexandrum dixit: Cur magis tibi licet praedari in terra, quam mihi in mari?

Imperia sunt ordinatio Dei et his obediendum est, propter Deum, et Deus punit contumaces.

Latrocinia autem sunt destructio ordinis Dei, et capti a latronibus metu poenae, id est, iniustae saevitiae obediunt, ne vitam amittant. Nec necesse est eos propter Deum obedire, nec peccant, si elabi possunt.

Philosophi autem et multi alii similem imaginationem de imperiis habent, non necesse esse propter Deum obedire. Hunc errorem Paulus eximit universo generi humano hac gravissima sententia: Necesse est obedire propter conscientiam.

Scriptores etiam aliqui non discernentes politicam potestatem et ministros Evangelii, de edictis politicae potestatis, hoc argumentum agitaverunt:

Nemo potest mandare sub poena quam non potest exequi.
Homo non potest aeternas poenas exequi.
Non igitur obligant edicta magistratuum propter poenas aeternas.

Sed vera, perspicua, et firmissima responsio est, quae quidem et deducit nos ad primum autorem gubernationis. Primum igitur ad Maiorem respondendum est, Nemo sola humana autoritate potest mandare sub poena aeterna, sicut in ministerio Evangelico nemo potest humana autoritate remittere peccata. Sed Deus quanquam sine humana voce posset homines gubernare, et sanctificare quos vellet, tamen sua sapientia et bonitate instituit in genere humano ministeria, scilicet ministros Evangelii, et politicos magistratus.

Nec existimemus hos gradus, tantum humano consilio institutos esse, sed Dei opera sunt.

Vox ministri Evangelici verissimi est organum, quo Deus est efficax ac Spiritu sancto movet et trahit corda.

Est et iudex politicus organum, per quem Deus vincula civilis societatis conservat.

Hanc responsionem iuniores meminerint. Est enim vera et erudita, et utilis paci, et refutat hallucinationes multorum, qui de legibus politicis aliter scripserunt.

Caeterum quod sit discrimen inter ministrum Evangelii, et politicos magistratus, et inter ritus institutos ab Episcopis, et leges politici magistratus, infra dicemus. Gerson etsi anxie quaerit, quae leges, cur et quantum obligent homines, tamen ex his labyrinthis non liberat pias mentes. Sed infra in articulo de Ecclesia, de hac quaestione dicturi sumus.

Tertium autem gradum honoris esse diximus ἐπιείκειαν in toleranda infirmitate magistratuum, de qua re propositum est illustre exemplum. Cum patri Noae nudato filius Cham illuderet, alii filii patrem tegunt. Ac propter hoc magnum scelus maledicitur Cham, caeteris vero filiis, qui reverenter texerant Patrem, benedicitur.

Id exemplum sit in conspectu modestis, ut di-

scant patienter ferre quasdam et gubernatorum infirmitates, et multa ipsius gubernationis impedimenta, quae non tam negligentia gubernatorum, quam temporum difficultatibus accidunt.

Bonus et salutaris princeps fuit Ezechias, sed tamen cum eius tempora minus tranquilla essent, quam Salomonis tempus, durior fuit sub ipso servitus, quam sub Salomone.

Haec consideranda sunt, ut communes aerumnas sapienter ferre discamus. Et huc regula a Petro tradita pertinet: Obedite Dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam morosis et durioribus.

Haec breviter attigi, ut veri honores debiti imperiis, rectius intelligantur.

Restant autem quaestiones gravissimae: An omnes iniuriae tolerandae sint, et quando necessaria aut concessa sit defensio, Et quid sit proprie Tyrannus.

De his quaestionibus addere breves commonefactiones utile est.

Quia enim in hac humana infirmitate, multa sunt errata et vitia etiam in mediocri gubernatione, Anabaptistae universaliter non solum personas magistratuum, sed etiam ipsum ordinem damnant, et vociferantur omnia imperia esse tyrannides, et iniustam violentiam.

Deinde utile est etiam scire ipsos dominos, aliquando iuste furores eorum reprimi posse.

Est igitur bonus seu mediocris magistratus, qui habet studium seu προαίρεσιν recte faciendi officium, et plerumque recte facit, etiamsi interdum cessat, aut communi infirmitate superatus peccat. Tales sunt David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, et multi alii, qui quanquam habent aliquos lapsus, tamen προαίρεσις bona fuit, et plerumque recte fecerunt.

Econtra Tyrannus est, qui habet studium seu προαίρεσιν scelerate agendi, et plerumque scelerate agit, etiamsi interdum aliqua recte facit, Tales sunt Nero, Caligula, et multi alii.

Suntque harum definitionum fontes considerandi, ut in hac imbecillitate humana, in caeteris gradibus officiorum similes descriptiones fiant, et conscientiae erudiantur, quomodo Deo placeant nostri labores, cum nulla tanta vigilantia aut virtus sit, quae sit par gubernationi politicae vel Ecclesiasticae.

Sumtae sunt autem definitiones ex his dictis Pauli. In priore ad Corinthios cap. 4. inquit: Hoc requiritur, fideles ut simus. Complectitur autem fidelitas mediocrem scientiam eius rei, quam profiteris, et deinde in administratione sedulitatem. Non est fidelis medicus, qui cum non didicerit artem, tamen exercere audet, sed perfidiose facit, quod promittit ea, quae scit se non didicisse. Nec fidelis est, si didicit, et tamen volens negligit aegrotos. Excludit igitur fidelitas utrumque malum, affectatam ignorantiam, et affectatam negligentiam.

Postquam autem ex isto Pauli dicto didicimus, quales in omnibus officiorum gradibus esse non oporteat, discamus et ex altero dicto agnoscere imbecillitatem, quae simul est in omnibus quanquam bonis gubernatoribus. Sic enim inquit 2. Corin. 3. Non quod sufficientes simus ex nobis cogitare aliquid, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et in Ecclesiast. cap. 7. Non est iustus in terra, qui quanquam facit bona, non etiam peccet. Magnae sunt igitur infirmitates et multa errata omnium gubernatorum etiam optimorum et vigilantissimorum.

Sed tamen fideles in officio, de quibus dictum est, cum etiam sunt vera membra Ecclesiae, placent Deo, qui eorum administrationem adiuvat, et infirmitatem remittit, tegit et sanat.

Hanc consolationem necesse est scire omnes pios gubernatores, suo quemque loco. Et sciat populus communes illas infirmitates in magistratibus bonis seu mediocribus tolerandas esse, de quibus dixit Petrus: Obedite dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam morosis et durioribus.

Sed tamen regula universalis, firma, et immota tenenda est. Cum praecipiunt magistratus, ut faciamus contra mandata Dei, nequaquam eis obediendum est, Sed vox Apostolorum sequenda: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Sic in Babylone recte fecerunt tres viri, qui statuam adorare noluerunt. Recte fecerunt et Apostoli, qui recusant obtemperare principibus populi Iudaici prohibentibus Evangelii praedicationem.

Ac prudenter discernanda est servitus corporum a mandatis, quae iubent facere contra legem Dei. Servitus corporum quanquam dura est, ut facultatum expilatio, aut immodici labores corporum, tamen toleranda est, et in eo casu obedientia praestanda est. Sed cum praecipiunt magistratus, ut subditi faciant contra mandata Dei, ut cum iubent coli et invocari commenticia numina, nequaquam obtemperandum est.

Hic autem quaeritur, an etiam armis reprimendi sint tyranni, praecipientes, ut faciamus contra mandata Dei. In hac quaestione discernendi sunt ministri Evangelii a politicis gubernatoribus. Certum est Evangelii ministros non esse armatos gladio, nec debere nova imperia vi corporali constituere.

Huc pertinet dictum: Sicut misit me Pater meus, ita et ego vos mitto. Constat autem Filium Dei non missum esse, ut vi corporali imperia mundi constitueret, Sicut inquit: Regnum meum non est de hoc mundo. Itaque cum ministri Evangelii, et alii privati homines in confessione non defenduntur a legitimis magistratibus, nequaquam moveant seditiones, sed iniurias et supplicia patienter ferant.

De hac patientia consolationes plurimae sunt, ut sciamus eam Deo placere, sicut scriptum est Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Item, Pretiosa mors sanctorum eius.

At potestas politica legitimo modo Ecclesias tueri adversus iniurias atroces et notorias, ut vocant, cum potest, debet, iuxta illud Proverb. 24. Eripe eos, qui ducuntur ad mortem, Si dices: Vires non suppetunt, Qui inspector est cordis, ipse intelligit.

Non constituit Evangelium novas politias, quare nec infinitam servitutem praecipit. Sed sinit magistratus uti sui imperii legibus, quae concedunt certo modo defensionem adversus iniurias atroces et notorias.

Hanc brevem admonitionem inserui, quam pie et dextre intelligi volo.

De officio magistratus.

Postquam autem de subditorum officiis tam multa dicta sunt, vicissim de gubernatoribus dicendum est, quae beneficia debeant subditis. Id ex definitione Magistratus intelligi potest, quae extat apud Aristotelem et re ipsa congruit cum verbis Moisi Deut. 17. et cum verbis Pauli Rom. 13.

Magistratus est custos legis, quod intelligas de tota lege in externa disciplina, de prima et secunda tabula, Nec cogitandum est, Magistratum similem esse armentarii, et tantum corpora subditorum tueri, sed prior cura sit, ut populus recte doceatur de Deo, et tollantur idola, blasphemiae, et impia dogmata, sicut scriptum est: Et nunc Reges intelligite, Osculamini filium. Item, Aperite portas principes vestras.

Deinde et reliqua praecepta Decalogi sint normae gubernationis. Prohibeat magistratus caedes, vagas libidines, furta, et alias iniurias, iuste regat iudicia, severe puniat sontes, denique ut Paulus eruditissime dixit, ornet honore bona opera, et puniat inhonesta opera, id est, pugnantia cum lege Dei.

Etsi autem haec descriptio brevis est, tamen cogitent prudentes, quanta moles maximorum operum gubernatoribus imponatur, cum Deus vult eos totius Decalogi in externa disciplina custodes esse.

DE QUINTO PRAECEPTO.

Toties iam dictum est, Legem promulgatam esse, non solum disciplinae causa, sed ut accuset peccatum, et ostendat, qualis ordo in natura hominum esse deberet. Quare et optimo ordine praecepta recitantur.

Prior Tabula concionatur de operibus, quibus immediate cum Deo agimus.

Secunda Tabula, exorsa est a parentibus, videlicet, a stirpe societatis, et ab ipso gubernatore inter homines. Constituta iam societate, sic cura tuendae vitae hominum. Ideo statim additur, Non occides.

Ut autem in aliis praeceptis dictum est, legem Dei concionari non tantum de externis operibus, sed de omnium virium ordine in homine, ita et hoc praeceptum enarrat Dominus Matth. 5. Non occides, id est, talis sit ordo omnium virium, Nec manus, nec mens, nec voluntas, nec cor occidat hominem, sed omnes vires intueantur Deum, et propter eum ament et foveant communem consociationem, non velint cuiquam nocere.

Sit autem in conspectu regula, quae etiam caetera praecepta illustrat. Negativae orationi innexae sunt et affirmationes, ut cum supra dicitur: Non habebis Deos alienos, expresse addita est et affirmativa: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Prius monstrat, quis sit verus Deus, et testimonium addit, quo agnoscendus est, et discernendus ab omnibus commenticiis numinibus. Postea addidit exclusivam sententiam: Non habebis Deos alienos.

Sic in secundo praecepto, cum abusus nominis divini prohibentur, necesse est intelligi iustos usus severissime praecipi. Ita in hoc praecepto et sequentibus, negativae orationes complectuntur affirmativas. Non occides, Ergo suo quisque loco sit

custos humanae societatis, Et pertinent ad hoc praeceptum virtutes: Iustitia particularis, beneficentia, aequitas, mansuetudo, clementia seu misericordia.

Hic autem necesse est moneri discentes de magistratuum officio, quibus praecipit Deus, ut sontes occidant.

Utraque Lex divina est, Non occidas, scilicet, privato affectu, et extra ordinem a Deo institutum seu approbatum, Sed magistratus iuxta leges tollat sontes. Id mandatum valet, quia exceptio est divinitus addita Decalogo, videlicet ita, ut iuxta leges tollantur sontes, qua in re magistratus non occidit privato affectu, aut privato arbitrio, sed obtemperat mandato divino, et minister, ac veluti manus est Dei, hoc modo declarantis iram suam adversus scelera, et custodientis communem societatem. Severissime enim praeceptum est Deuteronomii undevigesimo capite: Non parcet oculus tuus, sed sumas animam pro anima, etc.

Ac sciendum est, quatuor gravissimas causas esse publicarum poenarum.

Prima est, iustitia Dei, quia Deus vult in genere humano et ex his exemplis intelligi, esse Deum, discernentem iusta et iniusta, et vere irascentem iniustitiae.

Secunda est, necessitas communis. Cum revera Deus sit custos humanae societatis, Deus hoc modo tollit eos, qui legitimam societatem turbant, imo et intelligi vult, se custodem esse politici ordinis, quia regula est universalis: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Ac retrahit Deus sontes ad poenas, etiam cum ex magistratuum manibus effugerunt.

Tertia est exemplum, ut cum videt multitudo poenas sontium, plurimi coërceantur metu similium poenarum, sicut dicitur: Lex est iniustis posita, scilicet ut lege et metu repressi, imperent externis membris, ne delinquant.

Quarta causa est, commonefactio de futuro iudicio. Nam ex his paucorum poenis vult nos Deus ratiocinari, cum vere irascatur peccatis, restare aliud iudicium, in quo horribiliter Deus puniet omnium scelera, qui non sunt ad eum conversi, nec quaesiverunt remissionem per Mediatorem, sicut praecipit.

Ex hac doctrina de officio Magistratuum, iam facile est interpretari sententias, quae prohibent vindictam, ut apud Paulum: Non vindicantes vosmet ipsi. Item, Si quis percusserit te in dextram, obverte ei et sinistram. Haec dicta omnia necesse est sic intelligi, ne tollatur officium Magistratus. Quia manifestum est, id expresse a Deo mandatum et sancitum esse.

Testimonia nota sunt ex capite decimo tertio Epistolae Pauli ad Romanos: Potestates quae sunt, ordinatae sunt a Deo: et nequaquam dubium est, politicum ordinem ingens beneficium Dei esse, ut alibi copiosius dicetur. Vera est igitur et firmissima interpretatio, dicta illa, quae prohibent vindictam, tantum prohibere vindictam privatam, hoc est, non ordinatam a Deo iuxta leges politicas.

Ac dictum in Deuteronomio: Mihi vindictam, et ego retribuam, verissime comprehendit officium Magistratus. Nam et poena legitima, qua magistratus sontes afficit, est opus a Deo ordinatum et approbatum. Deus immediate aut per angelos, punit Pharaonem, et Sennacherib. Mediate vero per Davidis ducem, punit Absolonem, per Augustum punit Antonium.

Haec perspicua sunt. Itaque in dicto: Mihi vindictam, necesse est comprehendi totum officium magistratus, de quo infra rursus dicendum erit.

Nunc inserui hanc brevem commonefactionem, ut iuniores praemuniti sint contra furores Anabaptistarum, qui iudicia et poenas, et multas partes ordinis politici damnant, nec intelligunt discrimen iustitiae spiritus, et vitae politicae.

Sciant autem omnes homines, gubernatores et subditi, ordinem politicum, cum sapientia et iustitia Dei ordinatus sit, et approbatus, rem bonam esse, quam omnes propter Deum venerari debemus, et qua uti omnes bona conscientia, in vita politica possumus.

Ac vult Deus in talibus officiis multas virtutes exerceri et lucere fidem, invocationem in periculis, gratiarum actionem propter auxilium, celebrationem sapientiae et iustitiae Dei propter ipsius ordinis institutionem et conservationem, praeterea patientiam et dilectionem erga cives. Ostendit enim magnitudo et varietas negotiorum et periculorum vitae, in hac civili consuetudine offerri occasiones omnium virtutum exercendarum.

DE SEXTO PRAECEPTO,

Non moechaberis.

Ut supra dictum est, in negativis orationibus, comprehendi et quasdam affirmativas, ita hic cum

prohibitae sint vagae libidines, quaerendae sunt affirmativae sententiae.

Cum foederis coniugalis violatio prohibeatur, simul intelligas approbari et muniri foedus coniugii, quod quidem et antea in praecepto quarto approbatum est, Honora patrem et matrem. Et adiungantur alia expressa testimonia, Genes. 2. Erunt duo in carnem unam. Et Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Sit igitur prima doctrina huius praecepti affirmativa, Cum Deus voluerit genus humanum per propagationem conservari, certo modo opus generationis ordinavit, ac unum marem et unam foeminam perpetuo et indissolubili vinculo vult coniunctos esse, et extra hanc consuetudinem, prohibet omnes commixtiones.

Et hoc decretum singulari consilio statim in Paradiso promulgatum est. Nam cum dicitur: Erunt duo in carnem unam, simul sancitur lex coniugii. Instituitur enim duorum coniunctio, et prohibentur omnes vagae libidines. Tantum enim unius maris et unius foeminae coniunctio approbatur. Et indissolubilis coniunctio instituitur in dicto: In carmem unam, id est, indissolubiliter copulatam. Haec est simplex et nativa horum verborum sententia.

Simul autem hic considerandum est, quare Deus certo modo generationis opus ordinaverit et castitatem sanxerit.

Est autem castitas, aut prorsus sine commixtione vivere, si natura potest incontaminate vivere, ut angelica, aut puerilis natura, aut aliqui donum habentes, aut servare foedus legitimi coniugii, et non vagari extra coniugium.

Ideo autem Deus sanxit castitatem, quia ut caeteras omnes virtutes ordinavit, ut essent testimonia de ipso, et discernerent eum a malis naturis, ita et castitatem ordinavit, quae est insignis et conspicua virtus, ut cogitantes eum in omni doctrina et invocatione, etiam cogitatione castitatis discernamus eum a diabolis, et aliis immundis naturis.

Vult enim Deus agnosci et discerni ab aliis omnibus naturis per certas proprietates, quia non possumus eum brachiis complecti. Et hae proprietates in omni invocatione cogitandae sunt, ut verum Deum ab omnibus naturis et commenticiis numinibus discernamus. Necesse est enim cogitare quem alloquaris, ubi se hic Deus patefecerit, qualis sit, an et cur exaudiat.

Intueatur ergo mens hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio, et editis testimoniis, resuscitatione mortuorum et aliis, et simul cogitet hunc vere conditorem esse et opitulatorem, sapientem, exaudientem, veracem, bonum, beneficum, iustum, castum, irascentem omnibus sceleribus, quae cum hac sua mente et voluntate pugnant.

Ut igitur castitas in genere humano intelligatur, leges de ea tradidit, et severissimis poenis violationes earum punit, sicut nequaquam dubium est, etiamsi humana iudicia negligenter puniunt vagas libidines, tamen divinitus eas puniri.

Una igitur causa est haec, quare castitatem voluit nobis notam esse, ut discernat ipsum ab immundis naturis.

Altera causa est, cum Deus vere sit talis mens pura et ordinata, vult nos quoque intra metas, quas ordinavit, coërceri. Non cogitant homines prophani et polluti has gravissimas causas, sed bonae mentes considerent eas, et simul poenarum magnitudinem contemplentur, quae propter libidines per totum genus humanum vagantur.

Ad harum causarum considerationem adiungantur praecepta de castitate et poenarum comminationes, et exempla. Et prima vox prohibens vagas libidines, est sententia edita ante lapsum. Erunt duo in carnem unam, postea Decalogus inquit: Non moechaberis. Et Levit. 18. recensentur multae prohibitiones incestae consuetudinis. Et ad Ebraeos dicitur: Scortatores et adulteros iudicabit Deus.

Et 1. Cor. 6. Scortatores, moechi, molles, etc. non possidebunt regnum Dei.

Et ad Gal. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Ephes. 5. Omnis scortator aut contaminatus non habebit haereditatem in regno Christi. Nemo vos decipiat vanis sermonibus. Propter haec enim venit ira Dei super inobedientes.

Haec dicta sunt interpretatio huius praecepti in Decalogo, quae semper in conspectu sint, ut firmissime teneatur sententia Dei de castitate, nec intuentes ethnica exempla, discedamus a regula divinitus tradita.

Multa etiam poenarum exempla nobis proponamus. Certissimum est atrocem violationem huius praecepti atrocibus poenis etiam in hac mortali vita puniri, sicut historiae Sodomorum, Davidis, principum Israël in vicesimo quinto capite Numerorum ostendunt. Et omnibus temporibus omnium

gentium homines exempla multa cernunt. Ideoque in Prophetarum libris aliquae historiae, quanquam paucae recitantur, discamus divinitus puniri libidines, ubicunque similia scelera fiunt.

Est autem et hoc in poenis considerandum, vagari eas in posteritatem, quia regula, quae extat in libro Sapientiae, vera est. Per quae quis peccat, per eadem punitur. Peccata semine commissa, puniuntur in semine, ut post Davidis adulterium, filius sororem vi comprimit, et alter filius fratrem interficit, et adversus patrem movet seditionem, Oedipi filii mutuis vulneribus pereunt, Et vagantur poenae per totas gentes.

Haec tota doctrina semper in conspectu sit omnibus, ut Deo obtemperemus in tuenda castitate, et iram Dei et tristissimas poenas propter nos ipsos, et posteros, et totas gentes vitemus.

Diligenter autem consideranda est particula in Genes. 2. Dixit Dominus: Non est bonum homini esse solum, faciam ei adiutorium etc. Nam in verbo, Dixit, haec omnia comprehenduntur, quae recensui, videlicet, cum Deus sit mens casta, velle eum in opere generationis servari certum ordinem, ac horribiliter irasci vagis libidinibus, et eas punire.

Haec tota deliberatio inclusa est verbo, Dixit, id est, sapientia divina amans iustitiam, castitatem et alias virtutes fecit hoc decretum, quod vult ratum et firmum esse, ut talis sit ordo operis generationis, et hunc ordinem patefecit, ac vult ratum et firmum esse, ac severissime puniet omnes violantes hunc ordinem.

Haec omnia cum non dubium sit in verbo, Dixit, comprehensa esse, hanc vocem infixam animis, diligenter omnes pii considerent, et cogitatione eius exuscitent animos, ut velint huic immoto Dei decreto obedire, et poenas fugere, quia prorsus non dubium est, poenas ordine divino sequi huius decreti violationem.

Iam cogita, quanta multitudo in toto genere humano, variis modis polluta sit, et polluatur omnibus seculis. Cogita etiam poenas quae propter has contaminationes in toto genere humano vagantur.

Praecipue vero consi'eranda est in hac re diaboli malitia, qui furens odio Dei, et vult huius ordinis infinitas ac teterrimas confusiones, et semper impulit homines, ut variis modis se polluerent, imo ut superstitiosos cultus excogitarent omnibus aetatibus ad polluenda corpora.

Et in hac senecta mundi impulit Romanos Episcopos et Mahometum simul ad haec duo tetra scelera augenda et confirmanda, videlicet ad varios cultus idolorum, et ad vagas libidines.

Necesse est autem Ecclesiam Dei doceri, ut Pontificiae legi opponat hanc vocem: Dixit Deus, Non est bonum homini esse solum. Quoties citatur Pontificum autoritas, et clamant Episcopi, Sacrificuli, et similes, Sic dixit Papa, sic dixit Ecclesia, opponamus his legibus hanc vocem: Dixit Deus, Aeterna et immota autoritas est decreti divini, quod congruit ad aeternam normam mentis divinae. Et cum aliud statuitur, fit hoc non tantum coecitate humana, sed summa diaboli malitia impellente coecas mentes hominum, qui cum sciat, quantum Deo displiceant idola et vagae libidines, impulsor est ad utrumque malum, simul ut horribili odio Dei morem gerat, et ut maiorem multitudinem hominum trahat in aeternum exitium.

Cogitemus enim, quanta agmina animarum perierint, propter legem coelibatus sacrificulorum, et propter impia vota monastica. Infinitum malum est, nec ulla creatura magnitudinem eloqui potest. Ideo Paulus istas impias leges et vota coelibatus nominat doctrinam daemoniorum, ut sciat Ecclesia tales a diabolis oriri, et eas constanter damnet et execretur.

Hic autem opponunt dictum Pauli, qui videtur pugnare cum dicto in Genesi. Paulus inquit: Bonum est homini non attingere mulierem. In Genesi vero dicitur: Non est bonum. Simplicissima responsio est. In Genesi, ubi est descriptio naturae, traditur regula communis de maxima parte generis humani, sicut conditum est, ut sit foecundum. Itaque necesse est obedire regulae in Genesi, omnes qui sunt foecundi, et nisi sint in coniugio, contaminantur. Ideo ipse Paulus addit: Melius est nubere, quam uri.

Sed in alio loco Paulus de exceptione loquitur, Si qui non sunt idonei ad coniugium, aut non contaminantur in coelibatu, hi sciant se exceptos esse a communi regula, nec peccant, si manent coelibes, modo ut sint tales, qui non contaminentur.

DE SEPTIMO PRAECEPTO,

Non furtum facies.

Ordinem considera, Quintum praeceptum vitam et corpora singulorum tuetur, Sextum coniu-

gia, Septimum, domos seu nidos singulorum, et res ad victum necessarias. Sciamus autem et hic inclusam esse adfirmativam sententiam in prohibitione furti. Nisi enim distinctio dominiorum, et rerum proprietas esset, adpellatio furti nihil significaret.

Cum autem haec vox divina non sit otiosa, et furari haud dubie significet, res alienas sine iusta causa auferre, seu vi seu fraude, manifestum est in hoc praecepto, distinctionem dominiorum et rerum proprietatem sanciri et confirmari. Et quoties legis vocem audimus, simul complectamur additas promissiones et comminationes, quae sunt nervi legum.

Tuetur Deus legem de homicidiis, manifestis exemplis poenarum, sive magistratus sit executur, sive cesset, ut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Retrahit enim Deus ipse variis modis ad poenas etiam illos, qui ex manibus magistratuum elapsi sunt. Eodem modo de poenis in caeteris praeceptis omnibus sentiendum est. Ideo Propheta inquit: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Et hinc multa dicta a patribus accepta extant. Male parta, male dilabuntur.

Primum igitur haec lex sit nobis testimonium contra fanaticos, qui Evangelium transformant in Platonicam politiam, et fingunt Deo displicere distinctionem dominiorum. His furoribus opponantur et verba huius legis, et poenae divinitus propositae rapientibus res alienas.

Secundo, gratias agamus Deo, quod hunc pulchrum ordinem instituit, quod adprobat rerum distinctionem, vult te frui rebus tuis, et suam legem et poenarum comminationes, circumdat tuis rebus paene ut moenia, quia verissimum est, magis lege Dei et poenarum metu, suam cuiusque domum munitam esse divinitus, quam ullis muris, fossis, turribus, aggeribus et vallis. Haec beneficia Dei agnoscamus, et fateamur ipsum esse autorem et custodem politici ordinis, et grati tueamur hunc ordinem et sciamus nos bona conscientia rebus nostris uti posse, et Deo placere talem rerum usum legibus ordinatum.

Tertio, reprimamur voce Dei, et poenarum metu, ut abstineamus a rebus alienis, et nec voluntas, nec manus sint avidae rerum alienarum. Et tamen cum societas hominum devincta sit hoc modo, ut singuli aliena ope indigeant, consilium Dei et eâ in re consideremus.

Vult Deus per contractus, in quibus servatur mutua aequalitas, res communicari. Agnoscamus igitur voluntatem Dei, et aequalitatem in contractibus praestemus, ut Lex significat: Diligas proximum, sicut te ipsum.

Imo et haec doctrina de aequalitate, sit commonefactio, iustitiam esse aequalitatem, et Deum, cum sit iustus, aequalem esse omnibus hominibus, nec esse apud eum *προσωποληψίαν*. Haec consideratio digna est eruditis, ut agnoscant in singulis virtutibus commonefactiones aliquas esse de Deo, ut mox de veritate magis apparebit.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non dicas falsum testimonium.

In hoc praecepto facile conspici potest adfirmativa sententia, videlicet, sis verax, oratio et tota externa actio sit congrua cum mente, et sint firma dicta et pacta.

Nam hic de virtute pulcherrima praecipitur, quae nominatur veritas, quam omnes intelligunt in hac communi vita maxime necessariam esse, ut videmus, si nulla esset fides pactorum, magna ex parte contractus tollerentur, iudicia etiam essent horribilis confusio vitae, imo plena latrociniis, si non esset quaerenda veritas, et iuxta vera testimonia pronuntiandum.

Necessaria est etiam veritatis conservatio in artibus, nam si medicus pro salubri medicamento daret venena extinguerentur homines. Est igitur evidens utilitas veritatis in contractibus, iudiciis et artibus, Ac sit in conspectu hoc praeceptum Decalogi, ut veritatem summa cura tueamur.

Ac ut de mendaciis contractuum et iudiciorum, quae sunt infinita, iam non dicam: dolendum est tantos esse furores hominum, ut in artibus laudem ingenii esse ducant, veras sententias labefactare, et gignere novas opiniones et praestigiis sophismatum eas defendere. Hi ludi pugnant cum hac voce divina: Non dicas falsum testimonium.

Sed maius scelus est, quando veritas et puritas doctrinae coelestis corrumpitur, ut omnium temporum haeretici et impii doctores horribiliter eam corrumpunt. Haec peccata non solum cum hoc octavo praecepto, sed etiam cum primo et secundo pugnant: Non adsumas nomen Dei vane. Harum maximarum rerum consideratio necessaria est vitae.

Addo et hanc admonitionem. Vult Deus a nobis et intelligi et amari veritatem, ut sciamus et ipsum veracem esse, sicut Paulus inquit: Est autem Deus verax. Itaque et comminationes et promissiones ipsius sciamus ratas et firmissimas esse, et de eius voluntate ex ipsius sermone iudicemus, ac sciamus sine ulla dubitatione, velle eum id quod verba sonant. Promissio remissionis peccatorum universalis est, quam offert omnibus agentibus poenitentiam et credentibus reconciliationem, Et quidem sancita est iureiurando. Non igitur aliam eius arcanam voluntatem esse putemus, quia Deus est verax, nec sunt in Deo contradictoriae voluntates.

Adfirmat etiam Deus saepissime, se nec velle nec approbare peccatum. Et cap. 8. Zachariae expresse dicitur, de peccatis: Haec sunt quae odi, dicit Dominus. Cum autem verax sit Deus, firmissime statuendum est, Deum nequaquam esse causam efficacem peccati in hominibus. Est igitur libertas aliqua et contingentia.

Vides at refutandos Stoicos furores, hanc considerationem veritatis in Deo, multum prodesse. Hanc igitur admonitionem de veritate in Deo, studiosi saepe cogitent.

Ut autem in caeteris praeceptis multo fuimus breviores, quam doctrinae huius amplitudo postulat, sed haec brevitas ad huius compendii modum accommodata est, ita nunc quoque omittam longiores declarationes, quae hic recitantur de distinctione mendaciorum, de vanitate, de adulatione, de obtrectatione, de pactis honestis et inhonestis.

Excusantur dissimulationes vel occultationes officiosae in dictis aut actionibus, in quibus ea occultantur, in quibus confessio non necessaria est, imo et aliis quos tegere debemus, noceret, ut Iosuae 2. Raab narrat abiisse speculatores. Et 1. Reg. 19. Michol imposita statua in lectum, respondet militibus patris, aegrotare Davidem. Et 2. Reg. 17. mulier in Bahurim narrat abiisse Davidis comites.

Tales occultationes aut elusiones, non a vanitate ortae, sed ut aliis prosint, non sunt peccata, nec recte vocantur mendacia, sed figurae potius, et officiosae dissimulationes. Sic et figuras voco, apologos et poëmata docendi causa composita, quae ab aliis iocosa mendacia dicuntur, cum revera sint officiosae narrationes, quae continent imagines et picturas, non ad nocendum excogitatas, sed ut significatio sit illustrior, ut qualis sit tyrannus, clarius conspicitur, cum lupi aut draconis imagine pingitur.

Sed mendacium proprie est, cum vanitate, aut cupiditate nocendi falsa dicuntur, aut vera negantur, seu palam, seu labyrinthis sophismatum involuta veritate, quam confiteri oportebat. Ut non solum peccant, qui manifestis mendaciis aliorum vitae, famae, aut rebus insidiantur, ut Siba venenata calumnia apud Davidem laedit dominum suum, sed etiam cumulant scelera, qui et mentiuntur, et praetextus affingunt, ut specie veritatis mendacia confirment.

Plena est autem vita talium sophismatum non in iudiciis tantum, sed etiam in religionibus. Haec horribilia mendacia execrari et vitare magna sapientia est, et virtus necessaria, ac Deo grata.

De pactis, item de votis regula universalis teneatur, Iniusta nec promittenda esse, nec facienda, etiamsi sint promissa, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, Et recte dicunt Iurisconsulti, nullam valere pactionem turpitudinis. Item iuramentum non debere esse vinculum iniquitatis.

Hae communes regulae sint omnibus notissimae. Ideo pacta aut vota, quae obligant homines ad peccata, ut ad impios cultus, ut alia peccata, necesse est rescindi.

Necesse est igitur eos qui in vita monastica coguntur ad societatem impiorum cultuum, ab illa societate discedere, sicut severissime praecipiunt haec dicta primi praecepti. Non habebis Deos alienos. Item Fugite idola. Item, Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

DE NONO ET DECIMO PRAECEPTO.

Nonum et decimum addunt declarationem, ut sciamus lege Dei non solum de externis operibus praecipi, sed accusari et damnari etiam vitium haerens in hac depravata hominum natura, quod vocant pravam concupiscentiam. Supra autem de vocabulo dictum est, intelligendos esse defectus et ἀταξίαν in omnibus viribus et appetitionibus: non appetitiones ipsas, quales in natura conditae sunt.

Nec tantum damnantur mali affectus, ad quos accessit consensus, ut monachi et Pharisaei docuerunt, sed illa ipsa mala nobiscum nascentia, scilicet defectus et pravae inclinationes, id est, caligo de Deo in mente, aversio voluntatis a Deo, et contumacia in corde repugnans legi Dei.

De his malis haerentibus in hac depravata natura inquit Paulus: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei nec subiicitur, nec subiici potest. Nec leve malum intelligatur, cum nominat inimicitiam adversus Deum. Multas enim pestes complectitur, videlicet, quod mentes non firmiter statuant esse Deum, irasci Deum peccatis, et recipere confugientes ad Filium, quod voluntas et cor sunt sine vero timore, sine fiducia et dilectione Dei, habeat et vagos motus infinitos contra legem Dei, scilicet, confidentiam propriae sapientiae aut virium, contemtum aliorum, invidentiam, ambitionem, cupiditatem vindictae, flammas libidinum. Haec omnia complectitur Paulus verbo inimicitiae, in quo etiam reatus intelligendus est.

Hac interpretatione horum praeceptorum considerata, fateri necesse est nullum hominem in hac depravata natura, in hac mortali vita legi Dei satisfacere posse, ut supra quoque dictum est. Et in sanctis sunt exempla interiorum lapsuum, ut Moises dubitat et trepidat, cum ferienda est petra. Et David inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Paulus clamitat: Non est in carne mea bonum etc.

Agnoscamus igitur, et veris gemitibus deploremus immunditiem nostram, et discamus nos recipi et placere Deo propter Mediatorem fide, non propter nostram munditiem aut dignitatem, ut postea copiosius dicendum erit.

DE PROMISSIONIBUS ET COMMINATIONIBUS ADDITIS LEGI.

Sumamus primum a legibus politicis qualemcunque commonefactionem. Manifestum est contemni legum et magistratuum vocem et autoritatem, nisi poenis afficiantur contumaces, sicut dictum Aeschinis citat Demosthenes: Nihil valet politia, quae non habet nervos contra contumaces.

Sic et Deus universae legi addidit tristissimas comminationes, quae saepe repetitae sunt, sed in maledictionibus Deut. 27. multae coacervatae sunt. Nec existimentur illae maledictiones, inania terriculamenta esse. Sed sciamus Deum veracem esse, et vere erasci peccatis omnibus. Et omnia peccata et singula mereri aeternam iram et aeternam damnationem, nisi fuerit facta remissio propter Filium, iuxta illud: Maledictus, qui non manet in omnibus, quae scripta sunt in Lege.

DE POENIS.

Sed prius de politica et externa contumacia dicam. Certissimum est regulariter atrocia delicta comitari in hac vita atroces poenas, ut de homicidis inquit Christus: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de raptoribus dicitur: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Et de incestis dicitur, Levit. 18. Cananaeos deletos esse propter flagitiosas libidines, et addit: Cavete, ne et vos similiter evomat terra, si similia facietis. Nec dubium est maximas calamitates in toto genere humano poenas esse ingentium peccatorum, cultus idolorum, periurii, homicidiorum, libidinum et rapinarum.

Haec doctrina de poenis in hac vita sit infixa animis, quam esse verissimam clamitat manifesta experientia, quae etiam Ethnicos convicit, ut scripserint et docuerint, ordine divino haud dubie atroces poenas comites esse atrocium scelerum, sicut dicunt usitati versus:

οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν, τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Et similes versus plurimi sunt.

Hae autem poenae corporales, etsi propter iustitiam Dei, mox infliguntur, tamen ideo etiamsi ordinatae sunt, ut sint signa venturi iudicii, et inde discamus, cum non omnia scelera puniantur in hac vita, secuturas esse poenas post hanc vitam, Et mansuros esse in illis poenis, omnes qui non convertuntur ad Deum, sicut vox Evangelii deinde clarius hoc iudicium expressit, ut Ioh. 3. dicitur: Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Item, Qui non credit, iam iudicatus est.

Haec primum de poenis monere necesse est. Sed addendum est, cum Evangelium annuntiet remissionem peccatorum propter Filium Dei, liberantur a culpa et a poena aeterna omnes, qui convertuntur ad Deum fiducia Mediatoris, et ex regno peccati, et aeternae mortis transferuntur in regnum iustitiae et vitae aeternae. Sicut Ioh. 3. saepe dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Item, Qui credit in Filium, habeat vitam aeternam.

Sciendum est igitur remitti poenam aeternam conversis ad Deum. Nec dubium est mitigari etiam praesentes poenas. Sicut in Psalmo 77. dicitur: Non accendit totam iram suam. Et Oseae 11. Non faciam furorem irae meae.

Manere tamen aliquae poenae praesentes possunt, quibus sancti et electi quoque castigantur, ut Psalm. 88. dicitur: Visitabo in virga iniquitates eorum etc. Misericordiam autem meam non auferam ab eo.

Ex hac additione Evangelica sumatur interpretatio comminationis in primo praecepto, de qua magnae disputationes sunt, cum dicitur vagari poenas in tertiam et quartam generationem. Verba loquuntur de poenis corporalibus, et Deus iustus iudex ostendit, delicta contra primum praeceptum maiora esse caeteris delictis. Ideo suo iudicio poenas maiores constituit. Sed tamen cum Evangelium ostendat liberationem a lege, affirmat etiam tolli in conversis poenas aeternas, et mitigari praesentes.

De hac liberatione a lege expresse concionatur Ezech. 18. Anima quae peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris etc. Affirmat enim praeter legem, annuntiari remissionem peccatorum propter venturum Dominum, et vocem Evangelii recitat, addito iureiurando: Vivo ego, dicit Dominus, Nolo ego mortem peccatoris. Ita Ezechielis concio quae videtur dissentire a Moise, intelligatur esse vox Evangelii, sicut est verissime, et annuntiare liberationem a Lege.

DE PRAEMIIS.

Haec de poenis legalibus dixi. Nunc addam pauca de praemiis, ut textus dicit: Qui fecerit ea, vivet in eis. Item, Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram.

Hic etiam primum de politica obedientia, et praemiis in hac vita dicam. Et ut antea regulam recitavi, atrocia delicta comitari atroces poenas in hac vita, Ita regulare est homines beneficos, vitantes homicidia, periuria, adulteria, habere vitae cursum tranquilliorum. Sicut multa dicta sapientum sumta a patribus, et testimoniis experientiae, promittunt talibus maiorem tranquillitatem, ut dictum Theocriti, quod congruit cum Psalmo Generationi rectorum benedicetur *εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα δυσσεβέων δ' οὔ.*

Haec regularia sunt, sed tamen multi honesti etiam tristissimis calamitatibus opprimuntur, quia multa sunt arcana magna peccata, multa etiam parentum tetra flagitia, qui Epicureis furoribus aut idolis polluti sunt. Hinc late vagantur poenae per posteros.

Haec de praemiis praesentibus disciplinae politicae dixisse satis sit. Sed cum haec depravata natura hominum nequaquam possit Legi divinae satisfacere, et semper multa et magna peccata in renatis et non renatis haereant, manent communes poenae, mors et aliae multae calamitates.

Cum autem manifestum sit, nec renatos in hac vita legi satisfacere, quaestio est, An promissiones legales sint prorsus inutiles, cum certissimum sit promissiones legis conditionales esse, et quidem postulare impletionem legis sine peccato, iuxta illud: Maledictus qui non manserit in omnibus, quae sunt scripta in Lege.

Hic respondeo, Postquam fide propter Mediatorem, gratis a Deo recepti sumus, et iusti reputamur, deinde etiam inchoata obedientia Deo placet, quanquam multae sordes in nobis reliquae sunt, ut alibi copiosius dicetur.

Cum igitur Deo placeant tunc bona opera, editae sunt et in Evangelio promissiones, quae pro talibus operibus praemia non solum in futura vita, sed etiam in hac mortali vita offerunt, corporalia et spiritualia, sicut perspicua sententia Filii Dei de praemiis in utraque vita, concionatur, Marc. 10. Qui reliquerit domum propter me et propter Evangelium, recipiet centuplum, nunc in hoc tempore, cum persecutione, et in futuro seculo, vitam aeternam.

Eodem modo de utrisque dicitur in priore Epistola ad Timotheum cap. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens vitae praesentis et venturae. Et de praesenti victu et defensione longa concio est Matth. 6. Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Luc. 6. Date, et dabitur vobis. Et 2. Corinth. 9. Qui suppeditat semen seminanti, suppeditet et panem ad cibum. Et Esai. 33. Panis ei dabitur, et aquae non deficient, Regem florentem videbunt, id est, videbunt politias bene constitutas, tranquillas, disciplina et multis bonis ornatas.

Tales promissiones vocamus legales, quia operibus additae sunt, ac prudenter iudicandum est. In politia Moisi tradita fuit promissio nominatim de sede Ecclesiae certa in illo ipso vestigio Palaestinae. Nunc non habet Ecclesia certam sedem, et tamen Deus ei promisit hospitium in genere. Hoc modo consideremus discrimina promissionum corporalium. Et cum Lex Mosaica de certis locis in specie loquatur, nos intelligamus Ecclesiam habere promissiones rerum corporalium in genere.

Rursus autem alia multo difficilior quaestio excruciat animos. Cum dicas etiam in hac vita dari praemia pro bonis operibus, cur Ecclesia sub-

iecta est maioribus calamitatibus, quam alii homines?

Respondeo, Expresse dictum est in sententia capite 10. Marci, Recipient centuplum, cum persecutione. Utrumque verum est, Ecclesiam propter multas causas, ut suo loco dicetur, subiectam esse cruci, et singulari consilio Dei, pati filium, interfici Abel, Esaiam, Ieremiam, Baptistam, Paulum et alios innumerabiles, et tamen a Deo mirabiliter servari ipsum agmen etiam cum multi milites interficiuntur, et interea his viventibus dari a Deo hospitia, victum, vires corporis, politias, oeconomias. Vult enim Deus in genere humano esse, et manere Ecclesiam, et quidem vult eam conspici, et exaudiri, Ideo scriptum est: Non mortui laudabunt te Domine.

Ut igitur vitam sui coetus tueatur Deus, multis beneficiis eam iuvat, et multas calamitates mitigat. Et quidem exuscitari, exerceri, et confirmari vult fidem, spem, et invocationem in petitione rerum corporalium, Vult etiam in politiis et oeconomiis lucere confessionem, et exerceri officia sincerae dilectionis.

Haec omnia quomodo congruant, recte instituti in doctrina Evangelii, dextre iudicare possunt.

SECUNDA PARS SYMBOLI.

Hactenus dictum est fideliter de parte Symboli prima, de tribus personis, de creatione hominis, et aliarum rerum, de lapsu primorum parentum, de peccato et de Lege. Nunc accedimus ad doctrinam de Filio Mediatore, et de redemtione humani generis, de remissione peccatorum, de restitutione iustitiae et vitae aeternae, de collectione Ecclesiae aeternae, et caeteris articulis qui in Symbolo sequuntur.

Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem etc.

Supra de tribus personis dictum est. Hic recitandus est articulus de duabus naturis in Filio Dei, crucifixo pro nobis et resuscitato. Et dicendum est, quomodo hic articulus semper in Ecclesia propositus sit, etiam Patrum tempore, cum Filius, qui est aeterni Patris coaeterna imago, nondum adsumserat humanam naturam. Oportuit enim hunc Filium semper Ecclesiae notum esse. Et huius Filii agnitio discrimen facit inter veram Dei Ecclesiam, et reliquos homines.

Tradita est Patribus promissio de venturo hoc Domino, et adsumturo humanam naturam, ut fieret victima. Norant igitur Patres tunc adesse hunc Dominum Ecclesiae suae, qui tamen postea adsumturus esset humanam naturam, sicut scriptum est: Abraham vidit diem meum, et laetatus est. Item, Anteaquam Abraham natus est, ego sum.

Hic ipse Dominus manifesta specie fuit conviva Abrahae. Et intelligebant sancti discrimen Legis et promissionis de hac ventura victima, norant recipi homines a Deo propter hunc Mediatorem, non propter Legem, et colligi aeternam Ecclesiam propter eum et per eum. Ita prorsus similis fides fuit verae Ecclesiae ante resurrectionem Christi, et Ecclesiae post resurrectionem, nisi quod tempora adsumtionis naturae humanae discerni oportuit.

De discrimine Legis et Evangelii.

Sit igitur prima haec admonitio maxime necessaria Ecclesiae, de discrimine Legis et Evangelii. Nec opus est iam dici de politia Moisi, et de legibus forensibus et ceremonialibus, quae tantum certi temporis et unius politiae fuerant, de quibus infra rursus dicetur, Sed dicam de Lege morali.

Quid sit Lex moralis?

Una et eadem est Lex moralis, cuius summa in Decalogo comprehensa est, quae est aeterna, congruens cum mente divina, cuius notitia in creatione generi humano insita est, sicut notitia numerorum. Ideoque semper nota fuit Patribus et aliis hominibus, et fuit ac erit eadem in omni aeternitate, quae praecipit, quales nos esse, et quae facere oportet, et quidem postulat integram obedientiam, et damnat non praestantes integram obedientiam, iuxta illud: Maledictus, qui non manet in omnibus, quae sunt scripta in lege.

Et quanquam additae sunt promissiones Legi, tamen quia postulant conditionem impletae Legis, cum nemo Legi satisfaciat, hae promissiones nihil prosunt animae, nisi prius donata sit remissio peccatorum propter Mediatorem.

Procul igitur discerni Legem oportet a promissione Mediatoris, quae est propria vox Evangelii.

Quid sit Evangelium?

Est igitur promissio Mediatoris, promissio adfirmans hominibus donari remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iustitiae, Spiritum sanctum, et haereditatem vitae aeternae propter Filium Mediatorem, gratis, non propter Legem aut nostram dignitatem, sed hanc promissionem fide et fiducia Filii accipi oportet.

Et promulgata est haec promissio statim initio, cum primi parentes recepti sunt, ut scirent hunc Dominum adsumturum esse humanam naturam, iuxta hoc dictum: Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Et saepe repetita est promulgatio, ut ad Abraham dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ac sit intelligebant patres has promissiones, ut scirent tunc quoque Dominum illum adesse suae Ecclesiae, et postea adsumturum esse humanam naturam. Ideo Iacob inquit: Benedicat Deus pueris istis, et Angelus, qui eripuit me ex omnibus malis. Hic nominans angelum, per quem ab omnibus malis ereptus est, intelligit hunc ipsum Dominum, et agnoscit per eum tolli peccatum et mortem, et omnia mala. Agnoscit igitur esse omnipotentem.

Non igitur imaginandum est Evangelium fuisse ignotum Patribus, et esse legem novam aliquanto commodiorem Mosaica, sicut multi indocti omnibus temporibus finxerunt. Sed sciendum est, unam et eandem esse promissionem Evangelii propriam de Mediatore, et reconciliatione, notam Patribus inde usque a prima promulgatione, in qua Adam et Heva recepti sunt, his verbis: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et semper eodem modo, id est, fiducia Mediatoris, omnes salvati sunt et salvantur, qui fuerunt, sunt et erunt vera Ecclesiae membra, ab Adam usque ad resurrectionem mortuorum.

Hoc discrimen Legis et Evangelii seu promissionis, quae est Evangelii propria, necesse est in Ecclesia extare et familiarissime notum esse omnibus, quia amisso hoc discrimine, horrendae tenebrae sequuntur, ut postea copiosius dicetur.

Prius enim de duabus naturis, divina et humana in Mediatore Domino nostro Iesu Christo nato ex virgine dicendum est.

Ac principio fatemur toto pectore, iuxta divinas patefactiones recitatas in Propheticis et Apostolicis scriptis: In hoc Filio Dei Domino nostro Iesu Christo nato ex virgine, crucifixo pro nobis et resuscitato, duas esse naturas, divinam et humanam.

Divina est Filius coaeternus aeterni Patris, qui nominatur λόγος καὶ εἰκὼν aeterni Patris, ut supra in doctrina de personis divinitatis dictum est.

Hic Filius deprecator fuit pro genere humano, et constitutus est Mediator, ac adsumsit certo tempore humanam naturam in virgine Maria, suntque ita unitae hae duae naturae, ut sint una persona. Sic enim loquitur Ecclesia, Et hi modi loquendi recte intelligendi sunt, ad quorum declarationem priusquam accedimus, monendus est Lector, ut subinde in cogitatione huius admirandi et ineffabilis consilii divini, quotidie gratiarum actionem et invocationem misceat.

Itaque gratias agimus tibi omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae una cum Filio tuo et Spiritu sancto, quod patefecisti te nobis, et constituisti Filium Mediatorem, teque oramus, ut mentes nostras gubernes et accendas Spiritu sancto tuo, ut vera et firma fide agnoscamus hunc Filium tuum, et tua beneficia accipiamus, et grati celebremus.

De causis impulsivis et finalibus, quare Mediator sit Deus et homo.

Non est vituperanda consideratio piorum qui admirantes hoc mirandum foedus divinae et humanae naturae in Mediatore, causas quaesiverunt huius copulationis. Etsi enim haec sapientia in tota aeternitate discenda erit, cum audiemus coram aeternum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum colloquentes, tamen consideratio qualiscunque in hac vita inchoanda est.

Decretum hoc factum est liberrimo consilio Dei, nec ita recitabimus causas, quasi aliquid de libertate voluntatis in Deo detrahatur, sed certum est miranda sapientia, et servato ordine iustitiae et misericordiae hoc decretum factum esse, Proinde utcunque congruentes causas quaerimus.

Prima autem non est obscura. Etsi recepit Deus humanum genus per misericordiam propter Filium deprecantem, tamen Deus, cum sit iustus, satisfieri etiam iustitiae suae voluit. Ac mirando

temperamento, iustitiae et misericordiae haec reconciliatio facta est. Cumque genus humanum peccasset, congruebat ordini iustitiae, ut aliquis in genere humano, poenam solveret, quae esset pretium pro caeteris. Hinc satis perspicuum est, quare haec victima sit homo.

Secunda causa, quare sit Deus, peccati infinita malitia est, ut igitur esset pretium infinitae bonitatis et aequivalens, hic Mediator etiam Deus est.

Haec consideratio commonefacit nos de horribili magnitudine peccati. Ostendunt poenae tristissimae in genere humano aliquo modo, quantum malum sit peccatum, sed hoc testimonium multo illustrius est. Necesse est horrendum malum esse peccatum, cum nulla creatura potuerit esse pretium ad placandam iram Dei, sed in illo sapientissimo consilio Dei decretum sit, ut tantum Filius esset pretium.

Deinde magnitudo amoris in aeterno Patre, Filio et Spiritu sancto, erga genus humanum in hoc decreto conspicitur, quod Filius factus est deprecator, et poenam in se derivat, quod pater Filio suo non pepercit, sed voluit eum subiici poenae, ut nos redimeret, quod Spiritus sanctus ipse vult in cordibus reconciliatorum habitare, et Patris, et Filii, et suos motus in nobis accendere.

Tertia, Nulla creata potentia sola potuisset sustinere iram Dei, et in tanta magnitudine dolorum, Deo vere tribuere laudem iustitiae.

Haec est arcana et magna causa, cuius considerationem pii non negligant. Nam in poena, quae debet esse placatio, oportet punienti tribui laudem iustitiae.

Quarta, Nulla creata potentia potuisset vincere mortem et reddere nobis iustitiam et vitam aeternam. Et cum Mediator debeat esse perpetuus custos Ecclesiae, omnibus temporibus eam exaudiens et praesens sanctis ubique, sicut vere adfuit Moisi et populo in deserto, manifestum est potentiam creatam, non posse ubique adesse, nec videre gemitus cordium. Haec autem sunt propria Mediatoris, qui est vere custos Ecclesiae, et Sacerdos in arcano consilio apud Deum interpellans.

Nec creatura ulla potest ingredi in arcanum consilium aeterni Patris, id est, videre omnia consilia divinitatis.

Has causas saepe consideremus, sed ita, ut de iustitia, et de magnitudine misericordiae Dei cogitantes, corda inflammentur gratiarum actione erga Deum, et deploratione nostri stuporis et ignaviae, quod pectora nostra non ardent studio haec cogitandi, nec gratiarum actione.

Nunc de unione et descriptione personae dicam.

Supra definivimus Personam hoc modo. Persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis. Iam cum verum sit in filio Dei esse et naturam divinam, et humanam integram, animam et corpus, cur dicimus unicam esse personam, Christum natum ex virgine?

Hanc quaestionem eo recito, ut quid Ecclesia sentiat, et quomodo loquatur, iuniores discant, et veterum certaminum memoria in Ecclesia conservetur.

Agitarunt enim hanc quaestionem Nestorius et Eutyches. Nestorius contendit Christum natum ex virgine tantum fuisse hominem, sed huic humanae naturae adfuisse divinam, scilicet Filium aeterni Patris, secundum adsistentiam, ut ipse loquebatur, id est, humanam naturam tantum fuisse hospitium seu domicilium divinae naturae. Nec fuisse unitas duas naturas unione personali.

Haec controversia in magna frequentia in Synodo Ephesina diiudicata est anno a natali Christi 433. Et extant adhuc multorum longae sententiae in ea Synodo dictae, contra Nestorium, quae aliquo modo illustrant hanc doctrinam.

Ut autem in articulis fidei necesse est fieri exordiamur a testimoniis divinitus revelatis. Ioh. 1. perspicue dicitur: Et verbum caro factum est. Hac voce palam refutatur Nestorius, qui fingit carnem, id est, humanam naturam, tantum hospitium, esse Filii Dei, unde utrumque sequeretur, neque hunc hominem Christum, esse filium Dei neque Filium simul hominem esse, sed tantum hominis hospitem aut comitem.

Praeterea de dicto Iohannis certum est, utramque naturam manere, nec confusas esse naturas. Necesse est ergo dictum Iohannis sic intelligi, quod haec persona nata ex Maria, sit unica persona, in qua vere sint unitae hae duae naturae, divina, quae est secunda persona divinitatis λόγος, et humana, quae humana natura sustentatur ad divina, et ad divinam dependet, sic ut divina eam sustentet, et ordinem humanae naturae ad divinam terminet.

Et quaesitae sunt qualescunque umbrae ad huius mirandi foederis declarationem, ut, an sit qualiscunque similitudo, copulatio animae et corporis, qua similitudine usus est Athanasius inquiens. Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Item, an qualis-

cunque similitudo sit, ramus insitus trunco. Item, mixtorum seminum vis in rebus natis, aut subiectum sustentans accidentia, ut aqua calorem.

Etsi autem nulla harum similitudinum prorsus congruit, tamen collatio aliquid lucis adfert, cum videmus, ubi sit discrepantia. Humana natura in Christo, non habet rationem personae per sese, sicut Petrus aut Paulus, aut caeteri homines, Sed ut dixi, dependet singulari ordine ad hanc divinam personam Filium, ut ab ea sustentetur et conservetur, et rationem personae cum divina natura accipiat.

Hic quasi complexus naturae imbecillis et finitae, dependentis ad infinitam, significatus est hac imagine, quod Filius complectatur humanam naturam quam adsumit, ut sponsus sponsam. Sed tamen in his imaginibus omnibus aliqua est dissimilitudo.

Etsi igitur docendi causa copulatio animae et corporis dicitur imago huius mirandi foederis duarum naturarum in Christo, tamen et haec dissimilitudo in conspectu est. Anima deserit corpus in morte. At natura divina nunquam deserit humanam naturam in Christo, nec corpus nec animam, ne quidem postquam discessit anima a corpore, Ac saepe recensetur dictum Damasceni, λόγος quod semel adsumsit, nunquam deseruit, nec deseret.

Quanquam autem haec dissimilitudo consideranda est, tamen existimo hanc ipsam ob causam sic conditum esse hominem, ut copulatio animae et corporis, sit qualiscunque pictura huius novi foederis duarum naturarum in Christo, et multa congruunt.

Anima est tanquam gestatrix corporis, et quanquam fons est actionum, et aliae actiones propriae sunt animae, ut intelligere numeros aut Deum, aut universalia, aliae propriae corporis, ut concoquere cibum et potum, nutrire corpus, tamen societas talis est, ut actiones recte tribuantur personae. Homo intelligit, homo concoquit cibum.

Etsi autem, ut dixi, aliqua est dissimilitudo, tamen persona divina gestat humanam naturam, ita ut sit sustentatrix et conservatrix eius. Et quanquam proprietas sua cuiusque naturae manet, tamen quia persona divina sustentat et conservat humanam, et persona una est, verae sunt hae propositiones in concreto, Deus est homo, Deus est passus.

Cum igitur dicat Ecclesia, unicam esse personam, cum tamen duae sint naturae intelligentes, definitio personae dextre explicanda est. Supra dictum est: Persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, hic adde, quae non sustentatur neque conservatur in alia.

Hanc postremam particulam comprehendunt scriptores, in vocabulo, Incommunicabilis, quia dicunt idem esse naturam humanam uniri aeterno Filio, et ei communicari, et ab eo sustentari ac conservari, sed declarationis causa potest addi haec postrema particula, quae non sustentatur neque conservatur in alia.

Cum igitur humana natura in Christo sustentetur a divina, ita ut non esset humana, nisi sic sustentaretur, non sunt duae personae divina et humana, sed sunt unica persona, et divina sustentatrix terminat ordinem alterius naturae, ut iam sint unica persona.

Et usa est Ecclesia his formis loquendi: Natura humana unita est Filio Dei unione hypostatica, id est, personali, quod idem est, ac si dicat. Ut unica sit persona, seu ut humana sustentetur a divina, ut actiones et passiones tribuantur personae, propter illam arctissimam unionem, ut de homine dicimus: Homo intelligit, homo laceratur.

Sic usitata est et haec forma, λόγος assumsit humanam naturam, quod intelligatur de unione personali, ut iam dictus est.

Ex Symbolo et haec forma recepta est, Filius Dei incarnatus est, quod intellege, ut iam dictum est, de unione et de assumtione.

Simus autem verecundi in loquendo, et retineamus eruditorum in Ecclesia consuetudinem, Et diiudicemus, ubi figuris longius petitis usi sint scriptores, ut cum dicunt: Filius induit humanam naturam, aut λόγος induit hominem. Has poëticas figuras recte interpretemur, ne ab unione personali discedamus.

Est omnino mirandum foedus, et mirabile testimonium amoris in Filio erga nos, quod non tantum circumdat sibi humanam naturam hospitium, sed arctius copulat sibi naturam, factus est homo, ut Iohannes loquitur.

Etsi autem, ut dixi, similitudo, quae omnino congruat, ostendi nulla potest: tamen docendi causa utamur hac Origenica umbra, ut fumus in flamma fit ignis, ita utcunque cogitemus arctissimam esse copulationem divinae et humanae naturae, et in tota humana natura lucere divinam et neutram deletam esse.

Hinc utcunque intelligi potest doctrina de communicatione Idiomatum.

Idioma est proprietas uni naturae conveniens, ut si de homine loquamur, mentis idioma est, id est, propria actio, intelligere numeros vel Deum, vel universalia. Corporis proprietas est lacerari. Et tamen haec communicatur personae.

Sic in Christo proprietas est personae divinae, esse omnipotentem. Rursus proprietas est naturae humanae, crucifigi, mori. Et tamen in concreto haec tribuuntur personae. Et receptae sunt propositiones, Deus est homo, Deus est passus, crucifixus, mortuus. Christus est omnipotens, creator, sed magna circumspectione opus est in his propositionibus.

Ac primum sciamus discrimen esse inter vocabula abstracta, et concreta.

Abstracta significant naturam seorsum consideratam, ut divinitas, vel divina natura, humanitas, vel humana natura. Itaque hae propositiones nequaquam receptae sunt, Divinitas est mortua, vel divina natura est mortua, quia hic natura secundum sese consideratur.

Et dictum Petri consideretur 1. Pet. 4. Cum Christus passus sit in carne, ait Christum passum esse, sed in natura humana, quae mori poterat. Et Irenaeus pie dixit pagina 185. Christus crucifixus et mortuus est, Quiescente Verbo, ut crucifigi et mori posset, id est, natura divina non est quidem lacerata aut mortua, sed fuit obediens Patri, quievit, cessit irae aeterni patris adversus peccatum generis humani. Non est usa sua potentia, non exeruit suas vires.

Ac simul in hoc dicto naturarum discrimen indicatur, et illustratur magnitudo irae Dei adversus peccatum effusae in Christum, et admiranda humilitas Filii quiescentis et obedientis Patri, nec exerentis suam potentiam.

Considerentur ergo propositionum discrimina. Hae nequaquam recipiuntur, Natura divina est mortua, Natura divina est humana.

At in concreto verissimae et receptae sunt propositiones, Verbum est homo, Deus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex virgine, passus, quia haec persona nascitur, et crucifigitur, in qua unione personali, unita est humanae naturae divina.

Significant autem concreta totum agens, naturam sustentantem et naturam sustentatam, ut cum dicimus: homo intelligit. Quare persona intelligatur voce concreti. Et proprietas unius naturae, tribuitur personae in concreto.

Receptae sunt et hae propositiones: Verbum factum est homo, Deus incepit esse homo. Sed ut dictum est, intelligantur de assumtione naturae humanae.

Nequaquam autem receptae sunt hae propositiones: Verbum est creatura, Christus est creatura, Christus incepit esse, Christus factus est. Prudenter enim vitata est ambiguitas, et vitatae sunt insidiae. Nam Ariani sic loquentes, Christus est creatura, non de natura humana assumta loquebantur, sed alteram naturam in Christo, priorem humana contendebant ex nihilo conditam esse, non esse imaginem aeterni Patris genitam de substantia eius ὁμοούσιον et coaeternam Patri.

Interpres Latinus in Paulo ad Romanos, et ad Galatas usus est hac duriore voce: Filius Dei factus ex semine David secundum carnem, Item, factus est ex muliere, cum multo rectius uti potuisset voce: Natus est, Nam Graecis usitate γένεσθαι significat natum esse, et γενόμενος natum, ut non dubium est, unde et nomen est, γένεσις nativitas.

Lectio igitur Graeca illustrior est. Et interpretatio fuisset minus dura, si dixisset natum ex semine David. Item, natum ex muliere etc.

Liberat etiam Grammatica dextre iudicantes, magnis labyrinthis, cum quaerunt, an vera sit propositio, Filius Dei est praedestinatus, cui quaestioni occasionem praebuit mendosa interpretatio, in primo capite ad Romanos, ubi non loquitur Paulus de Deo eligente, sed de hominibus agnoscentibus Filium Dei. Sic enim dicit certo cognitum esse hunc virum, quem Apostoli affirmabant esse Messiam, esse Filium Dei, quia et revixit ex morte, et sit efficax, dans Spiritum sanctum, et resuscitans mortuos.

Recte autem Augustinus dicit, naturam humanam, quae assumenda erat ex virgine, praedestinatam, id est, ordinatam et electam esse, ut uniretur Filio. Certe propter hoc decretum, dictum est in prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis.

Volens autem relinquo multas quaestiones, ac tantum oro iuniores, ut considerent, quomodo loquantur eruditi in Ecclesia in propositionibus, quarum in docendo usus est. Et receptas formas iudiciis verae Ecclesiae pie custodiant. Nam in hac causa praecipue periculosa est mutatio.

Nec rixandi causa quaerant captiose dicta, quibus in docendo nihil opus est. Potius huius mi-

randi consilii beneficia considerentur, quare Filius Dei missus sit, ut fieret victima, et cogitatione irae Dei adversus nostra peccata, expavescamus, et rursus erigamur consolatione agnoscentes immensam misericordiam, qua nos Deus propter Filium certo recipit, ut in doctrina de iustitia fidei copiose dicitur.

Quaerunt, an Spiritus sanctus dici possit Christi pater, cum dicat textus in Matthaeo: Quod natum est in ea, est et Spiritu sancto. Respondeo. Pater tantum dicitur, qui suam substantiam transfundit in id, quod gignit. Ideo Spiritus sanctus, etsi format in alvo virginis, corpus nascentis Messiae, tamen nequaquam nominatur Pater, quia non transfudit suam substantiam. Sed sit modus talium quaestionum.

Addenda est necessaria regula, Filium Dei, imaginem aeterni Patris, assumsisse humanam naturam integram, incorruptam, habentem omnes vires et appetitiones naturae proprias et ordinatas, Item, non vitiosam, sed tamen passibilem, et mortalem, sine peccato, Easque infirmitates assumsit volens, propter nos, ut fieret victima. Sic ad Ebraeos 4. dicitur: Non habemus summum sacerdotem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia secundum similitudinem, sine peccato.

Etsi igitur Christus videbat patrem, et erat beatus, sicut inquit Ioh. 3. Filius hominis qui est in coelo. Item Ioh. 14. Ego in Patre sum, et Pater in me est. Item, Pater qui in me manet, ipse facit opera, tamen natura humana habuit suas appetitiones. Et hae saepe recitantur. Esurit, sitit, laetatur, dolet, lacrimat, conflictatur ingenti moestitia, sicut ipse inquit: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Hi affectus in Christo non fuerunt simulati, sed veri et ingentes motus. Nec cogitemus Christum fuisse lapidem aut Stoicum, sed vere laetatus est, vere excruciatur moestitia. Et magnae sunt illius consternationis causae. Non tantum formidat lacerationem corporis sui, sed sentit maius onus, scilicet iram Dei adversus peccata generis humani, quam scit in sese effundi, perinde ac si ipse sese meis et tuis, et aliorum sceleribus polluisset. Ideo enim dicitur pro nobis peccatum esse factus. Doluit item magnam partem generis humani perituram esse spreto hoc beneficio Dei.

Etsi autem magnitudo horum dolorum non potest a nobis intelligi, tamen Ecclesiam aliquid de his tantis rebus cogitare necesse est, quae ideo onerata est cruce, ut agnoscat magnum quiddam esse iram Dei adversus peccata.

Quod vero disputant, An fuga mortis in Christo fuerit vitiosa, cum pars inferior non obtemperaverit superiori, primo respondeo, Lacerationes in carne naturaliter efficere dolores, etiam sine peccato, Item aliquas moestitias in corde et voluntate naturales esse, quae in Christo sine vitio fuerunt. Doluit, sed non ut nos, inordinate.

Deinde supra illum naturalem dolorem fuit in Christo sensus irae Dei, adversus peccatum generis humani, ut Filius novit Patrem integre, ita irae magnitudinem solus tunc vidit et sensit. Hac mole supra vires tunc onerata natura in Christo gemit. Et tamen haec consternatio dissimilis est nostris pavoribus. Christus fert illos magnos dolores sine indignatione adversus Patrem, et hanc obedientiam volens praestat.

Ideo haec consternatio est sine peccato, et non est vitiosa. At in caeteris hominibus, cum fuga existit fremitus adversus voluntatem Dei, et in his qui non eluctantur confugientes ad Filium Dei, accedunt horrendae blasphemiae.

Nec addam longiorem disputationem, sed has res maximas pii in suis doloribus, et in lectione Psalmorum et Propheticarum narrationum considerent, ubi ad nos docendos et consolandos extent talium dolorum descriptiones.

Τέλος θεῷ δόξα.

V. EXPLICATIO SYMBOLI NICENI

PHILIPPO MELANTHONE AUCTORE.

Illam enarrationem Symboli Niceni anno 1550. primum editam Melanthon propter novas controversias sequentibus annis ortas postea totam retexuit, ut has recens motas disputationes integre explicaret et adversariorum argumenta revelleret. Haec vero postrema Symboli Niceni enarratio, quae a. 1557. absoluta est, non ab ipso Melanthone, sed, eo mortuo, a Iohanne Sturione a. 1561. primum edita est sic inscripta:

Explicatio | Symboli | Niceni, sicvt a | Reverendo Viro D. Phi- | lippo Melanthone piae memoriae in Academia Vi- | tebergensi publicè studiosae iuuentuti | proposita est, Aedita | A | M. Iohan: Strio- | ne Curiense Diacono Ecclesiae Vite- | bergensis. | (Insigne typogr.) *Vitebergae | Anno M. D. LXI.* — (In fine:) *Vitebergae. | Ex officina Ioannis | Cratonis, Impen- | sis Cunradi | Rrelii. | Anno M. D. LXI.* Supra hanc Clausulam est Insigne ab illo tituli diversum: Deus Christum crucifixum manibus tenens, quibus Spiritus sanctus et duo angeli impendent. 35 plagg. litt. A—Z, Aa—Mm sign., prima 8 foll. non num., 248 foll. num., seqq. 23 foll. non num., ult. fol. album, 8. (fol. A 2^a — 8^a Ioh. Sturionis epistola dedicatoria ad Principem Georgium Fridericum Marchionem Brandeburgensem Witebergae d. 4. Martii data; fol. A 8^b vacat; fol. 1^a — 248^a [fol. B 1^a — Ii 8^a] Phil. Melanthonis Explicatio in Symbolum Nicenum; fol. Ii 8^b vacat; fol. Kk 1^a — Mm 6^a Locorum annotationes qui passim in hoc libello explicantur; fol. Mm 6^b Errata quaedam [15]; fol. Mm 7^a Clausula cum Insigni typogr.; fol. Mm 7^b — 8^b vacant). *)

Hanc alteram Melanthonis enarrationem Peucerus in *Operum Melanthonis Parte II.* (*Wittebergae excudebat Iohannes Crato. Anno M. D. LXII.* Fol.) p. 210—376. repetivit eamque sic inscripsit:

Enarratio Symboli Niceni postrema, absoluta anno Christi M. D. LVII. (cum 628 annotatt. margin.)

Huic alteri enarrationi, quam hic ex Editione Witebergensi anni 1561.**) recudendam curamus, Ioh. Sturionis *epistolam dedicatoriam* ei praefixam h. l. praemittimus, quippe ex qua utriusque enarrationis huius Symboli historia optime perspicitur.

---

*) Hic liber in Biblioth. Mariana Halensi, regia Berolin., ducali Guelferbyt., senat. Norimb., et in mea collectione est.

**) Ab hac Ed. illa repetitio in Operibus Mel. a Peucero editis eo tantum differt, quod nonnullae inscriptiones additae vel mutatae sunt. Has quidem adscripsi, at in uncinos inclusi, ut intelligatur, eas in Ed. Sturionis non reperiri.

Illustrissimo Principi ac Domino, D. Georgio Friderico Marchioni Brandeburgensi, Stetini et Pomeraniae etc. Duci etc. Burggravio Noribergensi, Domino suo clementissimo. S. D.

Anni sunt sedecim, cum in Academia Witebergensi enarrationem Symboli Niceni inchoavit reverendus vir Caspar Cruciger sacrae Theologiae Doctor, de consilio et sententia Philippi Melanthonis, eo quod post scripta Prophetica et Apostolica et Symbolum Apostolorum, huius Niceni Symboli praecipua fuit autoritas in Ecclesia. Conditum id est, magno consensu a Patribus trecentis octodecim in urbe Bithyniae Nicea temporibus Constantini Magni contra Arrium Alexandrinae Ecclesiae Presbyterum serentem impium dogma astute fucatum contra divinitatem Christi. Etsi autem primis huius incendii initiis mature occurrit Constantinus Imperator, non tamen restinctum est tunc, Sed aliquanto post latius in Asia vagatum est. Nunquam enim quiescit Diabolus, sed cum sit homicida et mendax et ardeat horribili odio Dei, ut Deum contumelia afficiat et Ecclesiam devastet, oppugnat hanc utroque modo, saevitia atque crudelitate Tyrannicae persequutionis, et falsis dogmatibus, impellendo levia ingenia ad spargendas impias opiniones, harumque contagia propagando, et incitando Tyrannos, ut suppliciorum ac caedium immanitate delere Ecclesiam conentur. Vix liberata Ecclesia a tyrannide Diocletiani, Maximini et Licinii, acquieverat aliquantulum, cum incendium hoc Arrius in Aegypto excitavit dolore repulsae ut scribunt, quod Episcopatum Alexandrinum ambienti, praelatus esset Alexander: Re ipsa idem sensit, quod ante docuerant Ebion Samosatenus et similes alii. Sed cum non auderet expresse negare *λόγον* esse *ὑφιστάμενον*, astute alium excogitavit fucum. Dixit non esse coaeternum patri *λόγον*, sed summam creaturam conditam ex nihilo. Id enim formulae, quibus usus est, ostendunt, *ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν λόγος*, hoc est, erat pater, cum nondum esset *λόγος*. Item, dixit esse *λόγον ἐξ οὐκ ὄντων*, ex non existentibus, id est, ex nihilo. Negavit ergo re ipsa Filium esse de essentia Patris et omnipotentem.

Huius interpretationis et sententiae cum haberet suffragatores aliquot Episcopos, et privata dissensio in manifestam erumperet Ecclesiarum distractionem, Constantinus edicto publico convocavit omnes Episcopos in urbem Bithyniae Niceam, ut ibi in Synodo de confessione singulorum et testimoniis, quibus confessio niteretur, dirempta discordia constitueretur una et consentiens forma doctrinae de Filio Dei.

Convenerunt ergo trecenti et octodecim Episcopi, inter quos multi fuerunt mutilati aliqua corporis parte sub Diocletiano Maximino et Licinio, viri pietate, doctrina, sanctitate vitae, constantia confessionis, aetate, insignes et admirandi, qui cum opposuissent Arrio caput primum Iohannis *καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος*: Et dicta de omnipotentia Filii ut Iohannis primo, Omnia per ipsum facta sunt. Item, Ego vitam aeternam do eis. Sine me nihil potestis facere. Et Matth. 18. Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Colossen. 1. Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et omnia per eum consistunt. Ebrae. 1. Per quem et secula fecit, qui est fulgor gloriae et effigies substantiae eius sustentans omnia. Denique dicta de invocatione, quae testantur Filium omnipotentem esse, Adesse ubique, introspicere ac pernoscere abditos atque occultos animorum sensus, exaudire atque opitulari ubique, quae divinae naturae sunt propria, His ergo cum Arrii commentum evidenter refutassent, concluserunt ex collectis testimoniis scripturae contra Arrium Filium patri *ὁμοούσιον* esse, Et ut doctrinae summa brevibus comprehensa semper in conspectu esset, summam totius repetiverunt Symbolo composito, quod a loco Synodi Nicenum vocatum, et plurimorum qui convenerant suffragiis et subscriptione comprobatum est. Repetitae sunt ab iisdem et confirmatae denuo condemnationes impii dogmatis Samosateni, et reiecti sunt atque explosi errores Novati et Miletii, qui negarunt lapsos si redirent ad poenitentiam recipiendos esse. Hae fuerunt occasiones ut conderetur Symbolum Nicenum. Etsi autem non modo non sopita sunt certamina his remediis, sed paulo post vehementius exarserunt, et horribili Arrianorum in Orthodoxos saevitia sunt exasperata, adeo ut in ea distractione Ecclesiarum, paulo post quod dubitatio odium doctrinae parit, maxima multitudo pertaesa obscurarum disputationum et rixarum inter Christianos, avidissime receperit dogma Mahometi prophanis ingeniis plausibile, cuius contagia pene unius anni spatio maximam Asiae et Aphricae partem infecerunt doctrina et armis propagata, profuit tamen confessio Niceae edita et illis temporibus et toti posteritati. Retinuit enim et usurpavit eam Ecclesia omnium temporum tanquam evidens illustre et firmum testimonium ad refutandos et compescendos eos, qui Samosateni et Arrii furores renovarunt. In nostris vero Ecclesiis decantantur publice, ut haec ipsa repetitio testetur de consensu nostro in vera doctrina cum vera Ecclesia Catholica Dei, et ut animi de huius doctrinae certitudine confirmentur. Etsi enim Synodi non possunt

condere novos articulos fidei, quod doctrina de essentia et voluntate Dei longe supra et extra conspectum omnis creaturae rationalis posita, neque ab Angelis ullis neque ab hominibus mentis acie deprehendi potest sed a filio Dei prolata est ex sinu arcano patris, enarrata ab Angelis, patefacta generi humano certo verbo et illustribus testimoniis, tamen testes sunt seu testificationes de aliquo veteri dogmate, quod se ostendunt ac profitentur amplecti, quia non sit novum aut commenticium, sed vera autoritate et perspicuis atque illustribus testimoniis expressum in scriptis Propheticis et Apostolicis, quae testimonia colligentes et conferentes inter se, ex his veram esse demonstrant sententiam quam profitentur, et propter ea testimonia Synodorum decretis assentiuntur alii. Ne quidem Apostoli ipsi tradiderunt ullum dogma, quod non cum patefacta antea in Prophetarum scriptis doctrina consentiret, et citatur dignum memoria ex Petro Apostolo dictum a Clemente Alexandrino sexto *στρωματέων*, quod affirmat Apostolos nihil sine scripturae testimoniis dicere: *ὁ Πέτρος ἐν τῷ κηρύγματι περὶ τῶν ἀποστόλων λέγων φησίν. ἡμεῖς δὲ ἀναπτύξαντες τὰς βίβλους, ὃς εἴχομεν τῶν προφητῶν, ἃ μὲν διὰ παραβολῶν, ἃ δὲ δι' αἰνιγμάτων, ἃ δὲ αὐθεντικῶς καὶ αὐτολεξεὶ τὸν χριστὸν Ἰησοῦν ὀνομαζόντων, εὕρομεν καὶ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ καὶ τὸν θάνατον καὶ τὸν σταυρὸν, καὶ τὰς λοιπὰς κολάσεις πάσας ὅσας ἐποίησαν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι καὶ τὴν ἔγερσιν καὶ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν πρὸ τοῦ Ἱεροσόλυμα κτισθῆναι, καθὼς ἐγέγραπτο. ταῦτα οὖν ἐπιγνόντες ἐπιστεύσαμεν τῷ θεῷ διὰ τῶν γεγραμμένων εἰς αὐτόν.* Et paulo post: *ἔγνωμεν γὰρ ὅτι ὁ θεὸς αὐτὰ προςέταξεν οὕτως καὶ οὐδὲν ἄτερ γραφῆν λέγομεν.* Nititur fides verbo patefacto. Synodi traditas in eodem sententias repetunt et profitentur, et ostendunt ex collatione plurium testimoniorum, quomodo dicta Prophetica et Apostolica intelligenda sint, et adiuvantur iis testimoniis, quae ab Apostolis manasse ex veris certisque monumentis constat.

Cum autem Symboli Niceni, et Apostolici dicta brevia sint, adiunxit semper Ecclesia longiorem explicationem, et repetivit, cum opus fuit, enarrationem collectis testimoniis, quae ostenderent, unde sumpta sit doctrina in eo proposita, et ut fides se figat ac fundet non in humanis sententiis, sed in perspicuo verbo Dei. Ita in Academia Vitebergensi repetivit enarrationem Symboli Niceni, ut dixi, primum Doctor Caspar Cruciger contra Servetum Campanum et similes fanaticos, quorum Servetus per Hispaniam, Galliam, Germanicam et Italiam Samosatenicum virus tunc renovabat, propter quod cum turbare Ecclesias et inficere teneras mentes non desineret multoties admonitus et manifeste convictus, iure ad rogum condemnatus, poenas supplicio corporis luit. Postea cum inchoatam explicationem immatura mors Crucigeri abripuisset, partem eius magnam pertexuit Philippus Melanthon, quam opposuit calumniis et mendaciis illorum, a quibus eum post mutationem quam Germaniae funestum bellum anni quadragesimi sexti attulit, iniustissime praegravatum et acerbissime traductum esse meminimus, contra quos clamores cum posteritati, si qua futura est, dictura esse testimonium scripta eius, quae nulla est unquam abolitura vetustas, non dubitemus, non attrectabimus illa vulnera amplius. Extat autem editio utraque et in manibus Doctorum versatur.

Sed cum, ut fit rebus motis et turbatis, annis sequentibus crescente petulantia ingeniorum et licentia ab aliis alia commoverentur certamina. Alibi Stancarus reprehendens usitatam Ecclesiae doctrinam de modo loquendi in communicatione Idiomatum, et de Mediatore filio Dei disputaret, Eum tantum Mediatorem esse secundum humanam naturam: Alibi Osiander convelleret doctrinam nostrarum Ecclesiarum de imputatione iustitiae Christi novo commento de iustitia essentiali: Alibi Stenckfeldius pravius quam antea et vehementius urgeret fanatica sua deliria de Enthusiasmis contra verbi sonantis et ministerii dignitatem atque autoritatem, deque humana natura Christi absorpta in divinitatem. Serperet etiam furor Anabaptisticus. His ergo causis impulsus Philippus, ut has recens motas disputationes explicaret integre ac perspicue, et revelleret quae ab autoribus ad eas confirmandas excogitabantur, totam retexuit enarrationem Symboli Niceni, in qua cum alias multas doctrinae Christianae partes, ut doctrinam de Lege, de Evangelio, de Libero arbitrio, tum vero in primis doctrinam de Deo et de Filio Dei et de iustificatione hominis coram Deo eximie illustravit, ut vix alia copiosior extet et illustrior horum declaratio, sicut plaeraque eius postrema scripta sunt nervosiora et penetrantiora caeteris.

Ut autem frui Ecclesia posset hoc quoque postremarum eius cogitationum et laborum fructu, addendam censuimus prioribus hanc quoque enarrationem, ne quid explicationis ulli parti motarum controversiarum deesset, et operam editionis hortantibus amicis libenter in me recepi, cum occupatis aliis ad eam rem non satis otii concederetur. Quia piaculum esse iudico, committere negligentia nostra, ut pereat aliquid eorum, quae ab hoc divinitus excitato et gubernato viro, quem post Lutherum nostrae Ecclesiae habuerunt summum, quae ergo ab hoc ad usum Ecclesiae scripta fuerunt, quod dexteritate tractationis, perspicuitate explicationis, facilitate orationis, rectitudine sententiarum cum Propheticis et Apostolicis scriptis et totius primae ac purioris antiquitatis testimoniis consentiente, consolationum verarum fontibus, pietatis et ardentis invocationis nervis, facile caeteros nostri seculi interpretes vincunt. Non enim gignit interpretationes novas et alienas, ut multi hoc tempore petulanter et impudenter faciunt, quos non pudet comminisci dogmata inaudita in Ecclesia et ad ea stabilienda vio-

lenter trahere ac detorquere testimonia aliorum toto coelo ab eo sensu discrepantia, sed erutam ex tota antiquitate magna cura et studio doctrinam, accurateque pensitatam atque ad normam et analogiam doctrinae Propheticae et Apostolicae exploratam colligit et explanat, et quae fuit eius moderatio ac pietas, semper sua scripta Ecclesiae iudicio subiecit.

Hanc editionem postremam princeps Illustrissime et Domine clementissime T. Celsitudini dedicare volui, cuius consilii multas habeo et gravissimas causas: Primum quod C. T. amplecti scio et profiteri toto pectore constanter exemplo patris tui principis omni virtutum genere, prudentia et pietate praestantissimi, doctrinam nostrarum Ecclesiarum comprehensam in ea confessione quae exhibita est Carolo V. Imperatori in Comitiis Augustanis anni 1530. Quam cum idem autor tunc scripserit, et postea perpetuo doctrinae consensu cum plurimis aliis, tum hoc ipso commentario fusius explicarit ac lucidius, non dubito et hunc commentarium tibi gratissimum futurum, et in lectione confessionis Augustanae atque in intelligendis scriptis Propheticis et Apostolicis ac symbolis plurimum te adiuturum esse. Deinde ut filij haeredes fiunt nominis paterni et bonorum quae patres reliquerunt, sic existimo haeredes eos esse debere amicitiarum, quas patres coluerunt. Eximie autem dilexit pater C. tuae et coluit impense utrumque Lutherum et Philippum. Honorum et nomen et scripta cupio C. T. notissima et commendatissima esse, ut patri fuerunt, quae si diligenter legerit et pie sectata fuerit C. T. conservabit ac tuebitur imo augebit eam pietatis gloriam, quam pater omnium praestantium virorum iudicio ac testimonio consequutus est et reliquit, Tertio, quod me qui sub T. C. imperio natus sum, decet non tantum testari et piam ac iustam meam de Ecclesiis patriae curam ac sollicitudinem, et perpetuum obedientiae ac fidei studium erga C. T. sed quantum in me est dare operam, ut ad piorum scriptorum lectionem assiduam ac meditationem inviteris, et ut suppeditentur Ecclesiis patriae multa pia et utilia scripta. Nullius autem commentarii magis erudiunt, quam Philippi Melanthonis, quibus hoc iure refertur acceptum, quod doctrina nostrarum Ecclesiarum in certum corpus redacta, et convenienti ordine exposita est atque comprehensa. Hoc oportet fateri omnes non prorsus caecos et furentes odiis, contra quos cum mortuo etiam non parcant aliqui, ut nominis eius et scriptorum T. C. suscipiat patrocinium ac defensionem, hac quoque dedicatione eam admonere volui, de qua ut spero et polliceor mihi optima omnia, facit et affectio erga Ecclesias C. T. egregia, et forma Ecclesiarum in patria optime constituta, et sapiens ac moderata gubernatio. Ut ergo operam hanc meam C. T. benigne atque clementer suscipiat ea qua par est animi subiectione peto, Et oro Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis et resuscitati, ut per et propter aeternum filium λόγον ipsius καὶ εἰκόνα ἀΐδιον colligat sibi in patria mea aeternam Ecclesiam voce et ministerio Evangelii sui, et sanctificet eam Spiritu sancto suo, praestet tranquillam ac salutarem gubernationem, custodiat ac regat et Celsitudinem tuam atque Illustrissimam coniugem et Consiliarios, et flectos animos vestros ad pia moderata et salutaria consilia. Bene et foeliciter valeat C. T. Datae Witebergae die quarta Martii, qua anno 1484. editus est in lucem Illustrissimus princeps Georgius Marchio Brandeburgensis, C. T. pater, qui et pietate Christianae et sanctae moderationis, et virtutum omnium bellicarum at Togatarum eximium fuit exemplar, huius ut vestigia sequaris praestet Spiritu suo sancto Filius Dei Dominus noster Iesus Christus.

Cel. T.

addictiss.

M. Iohannes Sturio.

EXPLICATIO SYMBOLI NICENI.

Ex Editione Witebergensi anni 1561.

DE DEO.

In vera invocatione necesse est cogitare, quid alloquaris, quid sit Deus, et quomodo se patefecerit, ante, et cur velit exaudire tuos gemitus, et quod velit discerni ab omnibus commenticiis numinibus, et ab omnibus creaturis. Quare primum omnium tenendae sunt definitiones sumtae ex testimoniis divinis, quae nos commonefaciunt, et quid sit Deus, et quomodo velit agnosci et invocari, et quo discrimine cogitandae sint personae, et seiungenda sit invocatio nostra ab Ethnica invocatione: Sit igitur haec definitio prima.

Deus est essentia spiritualis, aeterna, intelligens, alta a creaturis omnibus, verax, bona, iusta, benefica, casta, misericors, liberrima, immensae sapientiae et potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui Filium ab aeterno imaginem suam genuit, et Filius imago Patris coaeterna, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo et testimoniis divinis, quod Pater aeternus cum Filio et Spiritu sancto condiderit coelum et terram, et omnes creaturas, et adsit omnibus creaturis, quo ad conservationem, et colligat sibi in genere humano Ecclesiam aeternam, propter Filium et per eum, et sit iudex iustorum et iniustorum.

Cum igitur invocamus Deum, cogitemus ubi et quibus testimoniis sese Deus patefecerit, ut in Baptismo Christi, et discernamus eum ab omnibus creaturis, et agnoscamus qualis sit, et discernamus personas, sicut nobis revelatae sunt.

Pater cum Filio et Spiritu sancto est conditor et conservator omnium creaturarum, et vult agnosci Filium et Spiritum sanctum. Sic autem Filium nobis patefecit, quod sit is, per quem dicit decretum de Creatione et Redemtione, et quod hic Filius constitutus sit mediator, et initio protulerit Evangelium ex sinu aeterni Patris, ostendat Patrem, et conservet ministerium Evangelii, et certo tempore assumta humana natura, sit factus redemtor, et quod propter hunc Filium velit nos exaudire, et propter eum, et per eum salvet nos, et quod ipse Filius immediate vivificet corda in consolatione per Evangelium, et sic Pater et Filius effundant Spiritum sanctum, qui immediate est laetitia, qua Deo copulamur, Sicut inquit Paulus: Accepistis non Spiritum servitutis ad timorem, sed Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Item 2. ad Timoth. 1. Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis et castitatis. Ita discrimina personarum pie cogitemus, et suas proprietates singulis attribuamus, nec existemus otiosa vocabula esse Filium et Spiritum sanctum, ac de singularum personarum proprietatibus postea plus dicetur.

Non sic invocat Xenophon, qui etiamsi cogitat, Deum esse unicam essentiam et personam sapientem, veracem, iustam, beneficam, vindicem

scelerum, tamen non potest statuere, an et cur exaudiatur, imo dupliciter errat, et de essentia Dei, et de voluntate Dei. Hac distributione utamur docendi causa, ut melius cogitemus, quid sit idola comminisci. Etsi enim dicunt Ethnici, Iudaei et Mahometistae, se hoc nominare Deum, quod est intelligens essentia, aeterna, bona, iusta, omnipotens, conditrix mundi, tamen negant hunc esse verum Deum, qui se in Ecclesia patefecit, qui affirmat esse unam essentiam divinam, conditricem, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Aberrant igitur a vero Deo, qui se certis et illustribus testimoniis patefecit, et fingunt sibi aliquid esse Deum, sine patefactione divina, et alii alios furores comminiscuntur, ut Stoici cogitant Deum esse mentem infusam mundo, quae non possit aliter agere, quam sicut cient suos motus causae secundae.

Postea errant Ethnici, Iudaei, Mahometistae, et alii hostes Evangelii etiam de voluntate Dei, quia ignorant Mediatorem et promissiones, ac dubitant, an recipiantur et exaudiantur a Deo, et quanquam in rebus secundis otiosi cogitant se Deo curae esse, tamen postea in iudicio, aut doloribus, suam dubitationem confitentur, vel Epicurei fiunt, vel irascuntur Deo, ac fremunt adversus iudicium eius.

Hic igitur necesse est tenere doctrinam saepe repetitam a Filio Dei: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item, Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item, Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Item, Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Item, cum non nosset mundus Deum per sapientiam, placuit ei per stultam praedicationem salvos facere credentes. Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum.

Haec et similia dicta affirmant non recte agnosci Deum sine notitia Mediatoris et promissionum. Discernunt igitur Ecclesiam a caeteris gentibus, et in vera invocatione, singulae personae intuendae sunt, et cogitandum est, quae sint officia, et quae singularum sint proprietates, invocas simul Patrem aeternum, Filium et Spiritum sanctum, et agnoscis eos esse unam essentiam divinam, conditricem rerum, et opitulatricem, simul etiam credis Filium esse missum, ut sit propitiator, propter quem tota divinitas te recipit et exaudit, et qui est λόγος patefactor Evangelii, et revera est efficax in corde tuo cum voce Evangelii te sustentas, in qua cernis voluntatem Dei, et effundit Spiritum sanctum in cor tuum, et laetitiam et motus Deo congruentes accendit iuxta dictum: De Spiritu sancto suo dabit vobis.

Primum autem sint in conspectu testimonia, quae affirmant unam esse essentiam divinam, aeternam, immensae sapientiae, potentiae, iustitiae et bonitatis, creatricem coeli et terrae, angelorum et hominum, et aliarum rerum omnium, quae non sunt, aeternus Pater, coaeternus Filius, et coaeternus Spiritus sanctus. Ita dicitur de unitate essentiae. Deut. 6. Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est, id est, Hic Deus qui in Israël patefactus est suo verbo, et qui populum eduxit ex Aegypto, solus est Deus, et non alia commenticia numina, quae ab aliis gentibus nominantur Dii. Quare in textu scriptum est, Deus noster, id est, patefactus in Israël, hunc verum Deum agnoscito, et discernito ab omnibus aliis gentium commenticiis numinibus et Idolis, sicut mandatum est: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies.

Est autem adoratio confessio, quod illa sola essentia, quam alloqueris ut Deum, vere sit talis, ut supra in descriptione Dei dictum est, et quod exaudiat propter Filium, ac propterea ab hac sola omnipotenti essentia, sapienti et bona, mens petit auxilium, et huic agit gratias, id est, fatetur quod ab ea acceperit bona, fatetur item quod huic soli essentiae summa obedientia debeatur, et quod vere puniat contemtum.

Sciant autem iuniores appellationem יְהוָה propriam esse veri Dei patefacti primis patribus, et in Israël, qua initio vera Ecclesia distinxit suam invocationem ab Ethnica, sicut nos dicimus. Deus qui te patefecisti misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo et resuscitato.

Huc iam addantur plura testimonia, ut Deut. 4. Ut scias quod Dominus est Deus, et non est alius praeter eum. Deut. 32. Videte quod ego sim solus, et non est alius praeter me. Esaiae 45. Ego sum Deus, et non est ullus praeterea, praeter me non est Deus formans lucem, et creans tenebras. Item, Non est alius Deus praeter me, Deus iustus et salvans non est praeter me.

Colligantur et de singulis attributis Deo, perspicua testimonia, ut quod sit sapiens, liber, iustus etc. ut 1. Timoth. 1. Soli sapienti Deo honos, et 1. Paralip. 28. Omnia corda scrutatur Deus. Et de libertate Psalm. 114. Omnia quaecunque voluit fecit.

Monendi sunt et hoc iuniores, cum opponitur Deus creaturis, fit mentio unitatis, quia una est

essentia creatrix, et simul tres personae sunt illa creatrix essentia, sed personae discernuntur, cum divinitas intra sese describitur, et cum de incarnatione Filii, et de missione Spiritus sancti dicitur.

Hic autem dicendum est de vocabulo personae, quod in Ecclesia aliter usurpatur, quam in veteri lingua Latina. Graeci magis perspicue locuti sunt, qui nominant ὑφιστάμενον, id est, subsistens, quasi dicat, non tantum imaginatione cogitandum, sed re ipsa subsistens vivum et intelligens, obscurius est, cum dicunt ὑπόστασις, tamen et hoc nomine multum usa est antiquitas, pro eo quod dixerunt ὑφιστάμενον. Postea Latinos Graeci imitati dixerunt πρώσωπα. Sed definitio in Ecclesiae haec traditur: Persona est subsistens vivum, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio. Harum particularum declaratio postea sequetur. Discernit autem Ecclesia οὐσίαν et ὑφιστάμενον. Intelligit enim οὐσίαν communem essentiam, aeternam et omnipotentem Patris, Filii et Spiritus sancti, sed ὑφιστάμενοι sunt subsistentes re ipsa, non tantum imaginatione distincti, Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Hoc enim vult Ecclesiae docere, Patrem, Filium et Spiritum sanctum discerni non tantum vocabulis, sicut multa sunt vocabula Dei apud Hebraeos אֵל שַׁדַּי אֱלֹהִים sed re ipsa alium subsistentem esse Patrem, alium subsistentem esse Filium, alium subsistentem esse Spiritum sanctum, etiamsi sunt ὁμοούσιοι.

DE PATRE.

Pater aeternus est prima persona divinitatis, non nata nec aliunde procedens, sed quae genuit ab aeterno Filium imaginem suam, et a qua procedit Spiritus sanctus, et quae cum Filio et Spiritu sancto res alias omnes creavit et conservat.

DE FILIO.

Filius aeternus est secunda persona divinitatis, quae est substantialis et integra imago aeterni Patris ὁμοούσιος Patri, quam Pater sese intuens et considerans ab aeterno gignit, quae nobis quidem sic manifestatur, quod sit persona, per quam Pater dicit decretum, et totum ordinem creationis et reparationis hominum, et mittitur, ut patefaciat Evangelium, et assumat humanam naturam, et sit Mediator, Redemtor, Iustificator et Salvator.

DE SPIRITU SANCTO.

Spiritus sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor, et laetitia coaeterna inter Patrem et Filium, ὁμοούσιος Patri et Filio. Et nobis sic quidem manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus, amorem et laetitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Timoth. 1. expresse scriptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis Dei et castificationis. In his descriptionibus semper cogitatione complectamur simul communia attributa, quae omnibus personis congruunt, omnipotens, sapiens, verax, beneficus, iustus, castus, misericors.

Sciendum et hoc est, tres esse personas, et nec plures nec pauciores, quia sic se patefecit divinitas, et in confessione Baptismi, hae tres personae nominatim commemorantur aequali honore celebrandae, de quibus et alia testimonia ex scripturis mox recitabimus. Ac de singulis dicendum est, quas habeant appellationes, et ostendendum est tres esse personas, et quod sint ὁμοούσιοι.

Nomina Filii: Filius aeternus nominatur imago aeterni Patris Heb. 1. Qui est fulgor claritatis et imago substantiae eius. Nominatur et Verbum Ioh. 1. In principio erat verbum. Harum duarum appellationum collatio declarat utramque, quia enim verbum nominatur, intelligimus Filium cogitatione gigni. Nam Verbum est aliquid cogitatione natum, et cum nos homines aliquid cogitamus, formamus imagines. Cumque nostris vocabulis usa sit scriptura, et nominet Filium imaginem aeterni Patris, intelligi potest, Verbum sic gigni, quia Pater sese intuens integram imaginem suam gignit, et sic scripserunt Basilius et Augustinus. Sed haec nominis interpretatio tantum hoc dicit, quod nominetur λόγος respectu Patris, in illa aeterna generatione. Significat autem Iohannes eum dici λόγον et respectu Patris, in illa aeterna generatione, et respectu creaturarum, quia sumit narrationem ex Genesi: Dixit Deus, fiat lux, et addit: omnia per hunc λόγον facta sunt, Item respectu prolati Evangelii: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Et Iohan. 8. cum interrogant Iudaei: Tu qui est, Respondit Iesus, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, initio sum hoc quod loquor vobis. Sit igitur haec appellatio λόγος nobis dulcissima. Quanquam enim verum est Filium esse integram et substantialem imaginem Patris, et esse λόγον, quia cogitatione nascitur, tamen et ideo sciamus λόγον dici, quia per eum Pater dixit decretum de toto ordine creationis et reparationis hominum, et haec persona immediate mittitur,

et ad promissionis promulgationem, et ad conservationem ministerii, quia Pater non cognosceretur, nisi edito et promulgato verbo. Loquitur ergo et haec persona ad patres, conservat ministerium, et voce Evangelii dicit consolationem in singulorum credentium cordibus, et monstrat eis Patrem.

Scriptores vetusti post Apostolos, Filium saepe etiam nominant Sapientiam, sumta occasione, vel ex 1. capite 1. Epistolae ad Corinthios, vel ex Proverbiis Salomonis et Syracide, et verum est, eodem modo Filium nominari posse sapientiam, quo λόγος nominatur. Sed iuniores monendi sunt, non hoc ita accipiendum esse, quasi Pater non sit sapiens propria sapientia, sed ut personae discernantur, Sciamus Patrem esse personam intelligentem propria intellectione, et Filium esse personam intelligentem propria intellectione. Magis autem perspicuum est, cum nominatur ΛΟΓΟΣ, quomodo enim diceret Pater et gigneret λόγον, nisi ipse esset quiddam intelligens et cogitans? Cum igitur Filius nominatur sapientia Patris, intelligatur hoc vocabulum de Sapientia genita seu dicta quae est λόγος et lumen de lumine, Paulus loquitur de Sapientia et potentia patefacta in collectione Ecclesiae, antea enim dixit: Nos praedicamus Christum crucifixum, quem Iudaei iudicant esse σκάνδαλον, Graeci stultitiam, opponit igitur antithesin, imo non est impostor, Nec Evangelium est stulta fabula, sed Christus est persona, per quam Deus est efficax, colligit et salvat Ecclesiam, resuscitat mortuos, ita loquitur de potentia quae patefit in Ecclesia, non hoc vult Patrem esse imbecillem, et tantum Filii potentia potentem esse. Sic loquitur de sapientia patefacta in Ecclesia, Christus est Dei sapientia, id est, persona, per quam nobis Pater hanc arcanam sapientiam patefacit, quod hoc, modo velit nos salvare. Sic apud Esaiam nominatur filius MIRIFICUS, id est, mirabilia efficiens, colligens et servans Ecclesiam, resuscitans mortuos: CONSILIARIUS, quia Pater per eum dicit decretum de toto ordine creationis et reparationis, et postea hic Filius enarrat nobis hoc arcanum consilium de reconciliatione. In Proverbiis capite 8, et deinceps, placet mihi intelligi sapientiam ipsum Filium Dei, sed ab initio concionantem in Ecclesia, patefacientem decreta Dei, Legem et Evangelium, Sicut inquit: O filii ad vos clamo. Congruent igitur appellationes λόγος et sapientia de persona patefaciente voluntatem Dei, et explicanda sunt argumenta.

Potentia Dei est nota gentibus Rom. 1.
Christus est potentia Dei 1. Cor. 1.
Ergo Christus est notus gentibus.

Facilis est responsio: Ex puris particularibus non necesse est sequi conclusionem, quia verum est, aliquam potentiam Dei aliquo modo esse notam gentibus, scilicet essentialem potentiam, ostensam in creatione, cuius opus cernitur. Christus est alia potentia, scilicet, personalis, hoc est, est persona, per quam Deus potens est in Ecclesiae salvatione. Sic breviter responderi potest ad alterum argumentum.

Lex est sapientia Dei, et est nota gentibus.
Christus est sapientia Dei,
Ergo Christus est notus gentibus.

Respondeo: ex puris particularibus non necesse est sequi conclusionem. Etsi enim Lex est sapientia Dei, tamen non est universa sapientia Dei. Christus autem personalis sapientia est, per quam patefit Evangelium, quod est alia sapientia, non est vox Legis, ut non sequitur, Gentes norunt aliquam sapientiam Dei, videlicet numeros, Ergo norunt universam sapientiam Dei.

TESTIMONIA.

Consideratis appellationibus, et descriptionibus trium personarum, colligantur illustria et firma testimonia, in quibus Deus hanc doctrinam patefecit, necesse est enim de Dei essentia et voluntate sic sentire, sicut se Deus patefecit, ut dicitur Iohan. 1. Deum nemo vidit unquam, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Et de Filio inquit Pater: Hunc audite invocationem oportet niti illustribus dictis a Deo traditis per Filium, Prophetas et Apostolos, ideo nota sint firma testimonia, tradita in scriptis Propheticis et Apostolicis. Haec in invocatione intueamur, ut verum Deum, qui se patefecit in his dictis, alloquamur, quod vero et Ecclesiae veteris confessiones recitamus, eo fit, non quod invocatio nitatur autoritate Synodorum, aut Scriptorum post Apostolos, Sed quia Deus in Ecclesia voluit esse ministerium docendi, quo vult nos deduci ad fontes, ad Prophetica et Apostolica testimonia, et ibi quasi capita doctrinae indicari, ut commonefacti agnoscamus divina testimonia. Et Fides ac Invocatio nitantur perspicuo verbo Dei, sicut scriptum est: Nisi arassetis mea vitula, non invenissetis. Et Petro dicitur: Et tu conversus confirma fratres tuos, vult Deus extare aliquorum confessionem, quibus et ipse testimonia tribuit, ut etiam hoc modo imbecilles confirmentur.

Ac ingentia certamina de hoc articulo semper fuerunt, in quibus utile est considerare, qui fuerint propugnatores, et qui fuerint hostes veritatis, vivente adhuc Iohanne Apostolo. Ebion et Cerinthus contenderunt, in Messia tantum esse humanam naturam, et Deum esse unicam personam, quae nominatur Pater. Hoc certamine Iohannes Apostolus motus, scripsit Evangelicam historiam, ac statim initio refutavit Ebionis errorem, et perpetuum testimonium nobis reliquit. Deinde renovavit idem certamen Samosatenus, qui negavit in narratione Iohannis λόγον intelligi personam seu ὑφιστάμενον. Sed Ecclesia Antiochena eum refutavit et eiecit, ac vocatus ad eam cognitionem Gregorius Neocaesariensis, qui tunc miraculis clarus erat, reliquit testimonium, quod notissimum omnibus esse debet, recitatur autem libro 7. Eusebii pag. 173. Unus Deus pater, viventis Verbi, sapientiae subsistentis et imaginis suae, integer integrae genitor, pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, Unus Spiritus Sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur. Deinde exortus est Arius, qui non negavit λόγον esse personam, sed negavit esse natura Deum, et contendit λόγον esse creaturam ex nihilo factam, ἐξ οὐκ ὄντων. Item fuisse aliquando Patrem, cum nondum esset Filius, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν. Erat cum non erat, erat Pater cum non erat Filius. Itaque post longa certamina Synodus Nicena damnavit, et priores furores Samosateni et furores Arii. Et extat confessio Nicenae Synodi in Symbolo, quod inde Symbolum Nicenum appellatur. In his disputationibus illustrata sunt dicta Prophetica et Apostolica de tribus personis, et editae sunt confessiones Sanctorum, qui affirmabant se doctrinam ab Apostolorum discipulis accepisse.

Nota sint certamina Ecclesiae, et consideretur, per quos testes, et quomodo Symbola tradita sint, Irenaeus accepit doctrinam a Polycarpo, Polycarpus a Iohanne Apostolo, affirmat autem Irenaeus λόγον fuisse personam, antequam assumsit humanam naturam. Sic enim inquit capite 2. libro 3. ostenso manifeste, quod in principio λόγος fuerit apud Deum, per quem λόγον omnia facta sunt, et qui semper adfuit humano generi, hunc novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre unitum suo plasmati, passibilem hominem misit. Extat et Alexandri Epistola, qui antecessit Athanasium, qui affirmat hanc doctrinam, qua ibi refutatur Arius ab Apostolis acceptam esse.

TESTIMONIA PROPHETICA ET APOSTOLICA.

Iam adiungamus Symbolis testimonia expressa in libris Propheticis et Apostolicis, tanquam in fontibus. Iohannes descripturus naturas in Christo orditur a divina. In principio erat λόγος, sic nominat Filium Dei, qui postea assumsit humanam naturam, ut ibi inquit: Et verbum caro factum est. Primum autem de illa natura loquens, quae fuit ante incarnationem, affirmat λόγον esse aeternum, quia inquit fuisse ante creationem, et ait, omnia per ipsum facta esse, et hunc λόγον nominat Deum, inquiens: Et verbum erat Deus. Nam Graecus articulus testatur λόγον collocandum esse loco Subiecti, et Deum loco Praedicati. Nec ambiguitas est hic in appellatione Dei, narratio enim instituta est ad descriptionem de essentia divina, ideo intelligatur nomen Dei non de officiis divinis, quae gerunt homines, ut alibi dicitur: Ego dixi Dii estis, sed propriissime de aeterna, omnipotente, intelligente, bona, veraci, justa, casta, essentia conditrice, sicut et postea Iohannes affirmat, omnia per hunc γόγον esse condita, et tamen discrimen esse inter λόγον et Patrem indicat, cum ait: Et λόγος erat apud Deum. Quod autem sit persona seu ὑφιστάμενον, clarius ostenditur ex sequentibus: ut cum ait: Et Verbum caro factum est, nam Pater non assumsit humanam naturam, quia saepissime discernuntur Christus et Pater, Christus ait, se missum esse a Patre. Item, Pater usque modo operatur, et ego operor. Et cum dicitur: Verbum caro factum est, non loquitur de voce evanescente, nec ait factam esse conversionem unius substantiae in aliam, sed duas naturas esse unitas τὸν λόγόν, et naturam humanam assumtam, quia saepe dicitur de Christo, omnia per eum condita esse, non sunt autem res conditae per naturam humanam, Ergo λόγος adhuc est etiam, postquam naturam humanam assumsit, ideo dicit Iohannes: In mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Et Coloss. 1. Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et ipse est ante omnia, omnia consistunt per ipsum. Et Hebrae. 1. Novissime locutus est per Filium, quem posuit haeredem omnium, per quem et secula fecit, qui est fulgor claritatis, et character substantiae eius, ferens omnia, seu gestans omnia verbo potentiae suae per se ipsum, faciens purgationem peccatorum.

Sunt igitur duae naturae in Christo nato ex virgine, λόγος et humana natura assumta. Est igitur λόγος persona, et quidem alia a persona Patris.

Alia testimonia multa sumuntur ex proprietatibus Dei, videlicet ex omnipotentia et invocatione. Ioban. 5. Pater meus usque modo operatur et ego operor, quao ille facit et Filius similiter. Item,

Sicut Pater exuscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. In hac concione expresse affirmat Christus, se una cum Patre creare, sustentare creaturam, servare Ecclesiam, reddere vitam mortuis, quae sine ulla dubitatione sunt solius naturae omnipotentis propria.

Iohan. 10. Ego vitam aeternam do eis. Item, Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Item, Sine me nihil potestis facere.

Coloss. 1. Omnia per ipsum et in ipsum condita sunt, et omnia per eum consistunt. Est ergo in Christo natura divina conditrix rerum, ideo postea in 2. capite dicitur: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, quasi dicat, in aliis sanctis habitat Deus effective et separabiliter accendens novam lucem et novos motus. Sed in Christo habitat inseparabiliter, et sic, ut unione hypostatica unitae sint naturae, persona secunda divinitatis λόγος et humana natura assumta. Nam ut nos nunc dicimus usitate ὑφιστάμενον seu personam: Ita veteres Graeci dixerunt σώματα, quod non est imaginarium aut accidentale.

Multa testimonia in Veteri et Novo Testamento loquuntur de invocatione, ubi firmissime tenenda est regula. Invocationem qua petimus liberationem a peccatis et morte, et donationem iustitiae et vitae aeternae, et conservationem naturae soli Deo, qui est omnipotens, tribuendam esse, quia solus Deus haec dona dare potest, et solus videt corda petentium, et diiudicat veram invocationem a simulata. Ideo scriptum est Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Oseae 13. Deum praeter me non scies, et Salvator non est praeter me. Esaiae 43. Sciatis et credatis mihi, et intelligetis quod ego ipse sim, ante me scilicet patefactum non est formatus Deus, et post me non erit: Ego sum, ego sum et non est praeter me salvator.

Cum igitur fit invocatio ad Messiam, fateri necesse est, quod sit Deus omnipotens, ut Psal. 72. Et timebunt eum, donec erunt Sol et Luna. Hic affirmat regnum et cultum perpetuum esse, Non igitur loquitur de regno politico aut adoratione quae est gestus externus, quo praesentibus regibus nos subiicimus, postea inquit deprecabuntur coram eo semper, videlicet petent bona aeterna, ut Psalm. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. Psalm. 2. Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo. Esai. 11. In die illa radix Iesse stabit, ut sit signum populis, gentes eum deprecabuntur. Matth. 11. inquit ipse Dominus: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.

Gen. 48. Iacob facit invocationem ad Deum, et ad angelum, per quem affirmat se ereptum esse ab omnibus malis. Hic angelus est ipse Filius Dei, λόγος missus ad Ecclesiam, ut semper aliquam Ecclesiam in genere humano colligat, et eam custodiat, regat et servet.

Ac diligenter est observanda lectio Hebraea in textu, Primum alloquitur Iacob omnes personas, Deus coram quo ambularunt patres mei Abraham, Isaac, sic alloquitur Deum patefactum patribus, et seiungit suam invocationem ab Ethnica. Deinde alloquitur Filium, Deus pavit me usque ad hunc diem, Hic est angelus qui me liberavit ab omnibus malis. Ita demonstrative ponitur angelus, nec inseritur particula copulativa.

Talia testimonia saepe multumque consideremus, et ut de doctrina confirmemur, et ut accendatur invocatio. Sciamus hunc cultum necessarium esse, invocare Filium, et ab eo bona petere discamus, etiam quomodo dirigenda sit invocatio ad Deum. Sicut Iacob alloquitur Deum, et Redemtorem et angelum. Et Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hunc esse Deum agnoscamus, hunc invocemus, qui se patefecit misso Filio, et qui cum Filio et Spiritu sancto condidit omnia, et petamus, ut propter Filium nos exaudiat, et per eum nos gubernet et conservet.

Item in veteri et novo Testamento nominatur Messias Filius Dei, et discernitur hic Filius unigenitus a filiis adoptivis. Cum igitur sit natura Filius, est de substantia aeterni Patris. Est igitur Deus, ac tenenda sunt appellationum discrimina.

Creare nominant aliud ex nihilo facere, ut Deus coelum et terram ex nihilo fecit. Sed Gignere est alium de sua substantia gignere.

Est igitur forma loquendi usitata in Ecclesia, Filius genitus est de substantia Patris, sicut in Symbolo dicitur: Deus de Deo, Lumen de Lumine, et Basilius inquit: Si non esset Filius de Patris essentia genitus, essent hae personae duo adelpha.

Hic etiam agitatur quaestio de modo loquendi, an recte dicatur: Essentia generat, essentia generatur, an vero tantum sit sic loquendum: Pater generat, Filius generatur.

Forma loquendi magis perspicua est, et minus parit certaminum, dicere: Pater generat, Filius generatur, quam dicere: Essentia generat, vel essentia generatur. Et libenter retineamus modos loquendi probatos vero consensu eruditorum, sed

tamen recentiores, cum negant hanc propositionem, Essentia generatur, offundunt imaginationem, quasi alia quaedam res nascatur, et essentia addatur non nata, haec imaginatio procul ex mentibus eiicienda est, et sciendum, cum Filius nascitur, vere eum de essentia Patris nasci, et ita nasci essentiam quae Filius est, sicut hoc ipsum dictum sonat, Deus de Deo, Lumen de Lumine.

Hac vera sententia considerata, facile est iudicium de illis quaestionibus recentiorum, ubi quaerunt, an in Filio differat realiter, Essentia et Relatio, et an Relatio generetur, si essentia non generatur. Scias autem verissimum esse, in qualibet persona, Essentiam et Relationem nequaquam differre realiter, nec esse duas res Essentiam Filii et Relationem, Sed revera Filium esse essentiam genitam, non aliam rem esse natam.

Haec vera sunt, et pios, qui dextre haec accipiunt, utiliter erudiunt, ut agnoscant Filium Dei vere esse genitam a Patre essentiam, non duas res, nec tantum Relationem natam esse. Mens humana cogitans, format imaginem rei cogitatae, sed huic imagini non communicat suam essentiam, ac imago ipsa tantum est evanescens actio, et non vivit. At aeternus Pater sese intuens, gignit imaginem sui substantialem, et vivam, de ipsa essentia Patris, quae est ὁμούσιος Patri. Haec apud Graecos aliquanto minus obscure traduntur, quam apud Latinos. Obiicitur autem hoc argumentum:

Idem non gignit se ipsum,
Essentia est eadem,
Ergo essentia non gignit essentiam.

Respondeo ad maiorem. Idem quatenus est incommunicabile, non gignet sese, sed idem quod est communicabile communicatur genito. Est autem essentia communicabilis, Ergo communicatur genito.

Addamus autem de duabus naturis in Christo et hoc testimonium Ieremiae 23. et 33. Exuscitabo David germen iustum, et regnabit rex, et hoc est nomen quo vocabunt eum יְהוָה iustitia nostra, primum cum nominat germen Davidis, loquitur de humana natura, Deinde de persona, hoc germen erit Rex, et faciet iudicium et iustitiam, et persona haec nominabitur, id est, invocabitur et agnoscetur esse יְהוָה iustitia nostra. Hic tribuit Christo nomen Iehova, quod soli Deo tribuitur, et addit Christum facere iudicium et iustitiam, id est, punire impios, et reddere iustitiam credentibus. Item esse iustitiam nostram, videlicet hanc personam quae liberat nos a peccato et a morte aeterna, et reddit vitam aeternam. Hae proprietates nulli creaturae conveniunt, Ergo affirmant in Messia naturam divinam et humanam esse.

DE DUABUS NATURIS IN CHRISTO.

Hic inseramus doctrinam de duabus naturis in Christo, quia in testimoniis prudenter considerandum est, ubi proprie de divina natura, ubi de humana loquantur. Ac primum notus est articulus Fidèi, quod Filius λόγος humanam naturam assumserit, ita ut sit facta unio hypostatica, seu ut alii loquuntur personalis. Iam hic repetatur definitio personae, sicut Latina Ecclesia loquitur.

Persona seu ὑφιστάμενον, id est, subsistens, est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata in alio, ut Petrus est ὑφιστάμενον, non corpus Petri, quia corpus desertum ab anima mox dissolvitur, quare cum velut gestetur ab anima, non dicimus solum corpus esse personam. Ut autem aliquo modo consideretur, qualis sit unio hypostatica duarum naturarum in Christo, repetantur hic etiam modi praesentiae Dei.

MODI PRAESENTIAE DEI.

Primus est praesentia Universalis, qua Pater, Filius et Spiritus sanctus adsunt omnibus creaturis, coelo, terrae, animantibus, hominibus, angelis bonis et malis, et substantias conservant, donec volunt eas conservare. De hac universali praesentia dicitur Ierem. 33. Coelum et terram ego impleo. Et Esaiae 66. Coelum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum. Esse autem separabilem hanc praesentiam manifestum est in destructione rerum, ideo enim destruuntur, quia Deus eas diutius non conservat.

Secundus modus est praesentia in beatis, qua non tantum conservantur substantiae, sed etiam communicatur beatis, lux, sapientia, iustitia, laetitia Dei, et Deus visibiliter in eis adest, Sicut inquit Paulus: Erit Deus omnia in omnibus, ostendit se eis et simul adest, et creat in eis novam sapientiam, iustitiam, laetitiam, et alios motus ipsi conformes. Quanquam autem beati non deseruntur, tamen Deus, et angelus beatus, seu homo beatus, non sunt unum ὑφιστάμενον, sed adest eis societate.

Tertius modus est praesentia, qua in hac mortali vita Deus habitat in Sanctis, qua non solum conservat substantias eorum, sed etiam sanctificat eos non visibiliter, Sed est efficax in eis, quia voce Evangelii Filius accendit in eis novam lucem, et vivificat eos, et effundit in eos Spiritum sanctum, ut novos motus ipsi congruentes, et laetitiam in eis exuscitet, hanc praesentiam separabilem esse Scriptura affirmat, et tristissimi lapsus Sanctorum ostendunt, et nequaquam est unio hypostatica Filii aut Spiritus sancti cum homine converso seu renato, sed nominatur tantum habitatio Dei in homine converso.

Quartus modus longe alius est, quo haec sola persona λόγος assumit humanam naturam, sumit certam massam ex genere humano, non solum inseparabiliter, sed etiam tali unione, ut sit unum ὑφιστάμενον λόγος et assumta natura, et sicut haec persona, λόγος aeterna est, ita postea impossibile sit, hanc massam ipsi insertam non simul manere. Ac notissimum sit dictum omnibus: Naturam humanam, quam λόγος semel assumsit, nunquam deserit. Etsi autem exemplum huius unionis nullum est in creaturis quod prorsus congruat, tamen vetustas, ut aliquo modo declaret hanc unionem, ostendit hominem, sicut anima hominis et corpus sunt unum ὑφιστάμενον completum, et corpus dissolvitur desertum ab anima, ita λόγος et assumta natura sunt unum ὑφιστάμενον, et redigeretur in nihilum illa massa, si non sic gestaretur a λόγῳ. Haec similitudo extat apud Athanasium, Cyrillum et Iustinum. Sic igitur describitur unio hypostatica, quod sit unio, qua persona assumit naturam, ita ut sustentet eam, quae alioqui non esset, nisi sic sustentaretur.

Utuntur et his verbis: Persona terminat dependentiam naturae assumtae, id est, Natura assumta talem habet ordinem ad personam assumentem, ut massa illa non esset, nisi sic assumta esset. Considerentur et modi loquendi. Recte et usitate dicitur: persona λόγος assumsit humanam naturam. Non dicitur: Natura divina assumsit humanam naturam. Neque hoc dicitur: natura divina est assumta, nec dicitur: Deus assumsit hominem, tametsi interdum vetustas ita locuta sit. Et in cantico dicitur: Tu suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum. Item poëtica sunt. Deus induit humanam naturam. Praeterea usitate dicitur, Unio duarum naturarum. Item, Natura humana unita est naturae divinae, et Graeci et Latini vocabulo Unionis multum usi sunt. Haec breviter addidi, ut iuniores moneam, ut sint circumspecti in loquendo, et retineant usitatam phrasin receptam gravi autoritate, quia mutatio parit ambiguitates et rixas.

Causae etiam considerentur huius mirandi consilii, ut inde consolationes sumamus, et officia Christi magis intelligamus.

Prima est, ne esset quidem genus humanum, sed mox prorsus interiisset post lapsum primorum parentum, nisi factum esset decretum, ut λόγος assumeret massam, et propter hanc assumtionem reliquum genus humanum esset superstes.

Secunda, quia homines peccaverant, congruebat hominem esse qui poenam sustineret, ut iustitiae Dei satisfieret, et quia hic Redemtor fuit innocens, poena in ipsum derivata valet pro aliis.

Tertia, ut autem esset aequivalens seu maius pretium, hic Redemtor non tantum est homo, sed etiam Deus.

Quarta, nulla creatura sola sustinere hanc magnitudinem irae Dei potuisset, ideo hic Redemtor non tantum est homo, sed etiam Deus.

Quinta, voluit Deus hunc Redemtorem esse Victorem mortis, et instauratorem vitae, sicut expresse dicitur in prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sunt autem haec omnipotentis naturae, vincere mortem, et reddere vitam et iustitiam.

Sexta, hic Redemtor est Sacerdos, ut igitur videat corda invocantium, et exaudiat, et videat consilium aeterni Patris, non tantum est homo, Sed etiam Deus, et quidem hic Filius statim initio missus est ad Ecclesiam edita prima promissione, iuxta dictum: Filius qui est in sinu Patris, ipse revelavit nobis, et sicut initio semper fuit apud Ecclesiam, Sicut Paulus inquit ad Corinthios, fuisse eum in deserto apud populum, ita deinceps semper protegit Ecclesiam immediate, iuxta dictum: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Haec quoque sunt naturae omnipotentis. Athanasius inquit: Congruebat Filium assumere humanam naturam, ut haec persona, quae est substantialis imago aeterni patris, restitueret imaginem Dei in nobis.

DE PROPRIETATIBUS NATURARUM, IN CHRISTO NATO EX VIRGINE, ET DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Assumsit autem λόγος corpus et animam sine peccato, sed habentia proprietates naturales, id est, omnes vires et appetitiones naturae humanae proprias et ordinatas, ut Famem, Sitim, Laetitiam, Tristitiam, Dolores. Item eas infirmitates quae sunt poenae, non peccata, videlicet naturam humanam passibilem et mortalem, sentientem dolores et

alios affectus sine peccato, Sicut ad Hebraeos dicitur: Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, Sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato.

Sic igitur sunt in Christo nato ex Virgine, duae naturae unitae, ut tamen suas proprietates utraque retineat, divina natura non vulneratur, non moritur, Sed natura humana vere sensit cruciatus, et mortua est, ac necessaria diligentia est cavere, ne fiat naturarum confusio. Ideo sic inquit Irenaeus: Sicut enim homo erat, ut tentaretur, sic et Verbum erat, ut glorificaretur, requiescente quidem verbo, ut posset tentari, crucifigi et mori. Usus est Irenaeus singulari consilio hac insigni descriptione, quiescente verbo, id est, tunc non exerente suam potentiam in repellenda passione et morte, Sicut ad Philippenses dicitur: Exinanivit sese. Non ait divinam naturam mortuam esse, sed quievisse, ut natura assumta mori posset. Et Athanasius in libro de Incarnatione inquit: Cum non esset possibile ipsum Verbum mori, quippe immortalem Patris filium, corpus sibi quod mori posset accepit, ut id corpus verbi particeps factum, et moreretur pro omnibus, et inhabitans verbum incorruptibile maneret.

Quanquam autem naturae discernendae sunt, et quaelibet suas proprietates habet, ut non posse lacerari et mori, proprietas est divinae naturae: Sed proprietas humanae naturae erat, posse lacerari et mori, tamen et hoc firmissime retinendum est, quod sit una persona seu unum ὑφιστάμενον, quod utcunque supra declaravimus. Ideo hae propositiones usitatae sunt: Verbum est homo, Deus est homo, Deus est passus, Deus est mortuus. Significatur enim his propositionibus, hanc personam, quae est Deus, mortuam esse, etiamsi tantum secundum naturam humanam est mortua, et haec phrasis nominatur Communicatio Idiomatum, quae est forma loquendi, qua proprietas conveniens uni naturae tribuitur personae in concreto, propterea quia unica est persona, ut dicimus, Homo numerat, etiamsi tantum mente numerat. Ac diligenter retinenda est forma loquendi gravi autoritate recepta: nequaquam dicitur in abstracto: Divinitas est mortua, vel Divina natura est mortua, quia in abstracto significatur natura secundum se considerata, et tribuitur uni naturae hoc, quod contrarium est huic naturae, ut cum dicerem: Sanguis numerat aut nasus.

Nestorius negabat has propositiones: Deus est natus ex virgine, crucifixus, et recitatur hoc eius dictum: Noli gloriari Iudaee, non enim Deum, sed hominem crucifixisti. Hinc aut ipse aut alii hoc extruebant Christo affuisse naturam divinam per societatem, seu assistentiam, sicut adfuit Heliae aut aliis Prophetis, nec fuisse unionem hypostaticam seu unam personam. Patiente Ioanne Baptista, quanquam adest ei Deus, scilicet ferens auxilium, et Metaphorice dicitur, Deus patitur: tamen vulnus est personae quae non est Deus. Relatio tantum, id est, contemtus ad Deum pertinet, ut cum Legatus violatur, relatio ad Regem pertinet, aliud est ictus in corpore, aliud cogitatio in mente. Sed Christo patiente alio modo dicitur, Deum pati, quia haec persona patitur et crucifigitur, quae est Deus, etiamsi laceratio tantum fit in corpore.

Hanc formam sermonis tantum discimus ex ipso Filio Dei sic loquente, in Propheticis et Apostolicis scriptis, ut Iohan. 8. Amen amen dico vobis, priusquam Abraham natus est, ego sum. Iohan. 1. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. Zachariae 12. Aspicient me quem confoderunt. In his et multis similibus dictis manifestum est de uno et eodem Christo dici, et tamen intelligi discrimina naturarum oportet. Hic Christus fuit ante Adam secundum naturam divinam, ac nunc idem est subsistens, seu eadem persona, quanquam natura humana assumta est. Ut igitur discernatur hic Filius ab aliis Sanctis, et aliquo modo conspiciatur discrimen inter hypostaticam unionem, et societatem seu auxilium Dei in aliis Sanctis, recte tradita est doctrina de communicatione Idiomatum, et recte dicitur de Filio Dei: Deus est passus, quia haec persona passa est, quae est Deus. Nec fuit tantum λογομαχία certamen cum Nestorio, Sed de rebus maximis controversia fuit, an in Christo sic adsit divina natura humanae tantum per societatem seu assistentiam, sicut adfuit Prophetis. Item, An sint duo filii λόγος et natus ex virgine. Item, An una λατρείᾳ invocandus sit filius.

Sit igitur certissimum λόγον assumsisse humanam naturam, et unione hypostatica unitas esse naturas in Christo, λόγον et assumtam naturam, et esse unum Filium, λόγον et naturam assumtam, et una adoratione invocandum, nec alia peti tantum a divina natura, alia tantum ab humana. Denique considerandum est in universum, quomodo vetus Ecclesia locuta sit. Improbantur hae formae loquendi: Christus est compositus ex duabus naturis. Item, Christus est creatura, quia Ariani insidiose hanc propositionem miscebant aliis, ut suum errorem confirmarent, cum contenderent λόγον secundum sese etiam non assumta humana natura, esse creaturam factam ex nihilo, et non esse ὁμοούσιον Patri, ideo vetus Ecclesia damnavit hanc propositionem, Christus est creatura, nequaquam vetustas etiam sic locuta est, Christus est passus et mortuus secundum utramque naturam, quia Se-

cundum est particula distinctiva: ut Rom. 1. dicitur, et Rom. 9. Et in Actis capite 2. extant manifesta exempla; dicimus igitur, Christus passus et mortuus est, secundum naturam humanam, Sicut expresse Hieronymus in expositione loquitur: passus est secundum id quod pati poterat, videlicet non secundum naturam quae assumsit, sed secundum illam quae assumta est: ac mox addit: mortuus est Dei Filius iuxta scripturas secundum id quod mori poterat, Ac eodem modo semper loquuntur Athanasius, Cyrillus et Vigilius, deinde omnes Scriptores.

Discernantur autem vocabula, quae significant proprietates naturarum a vocabulis quae significant officium, ut, proprietates naturae divinae sunt, aeternitas, omnipotentia, non posse vulnerari, non posse mori, sed naturae humanae proprietates sunt pati, vulnerari, mori. Nomina vero officii sunt, Mediator, Redemtor, Salvator, Rex, Sacerdos, Pastor, haec nomina officii competunt personae, non tantum humanae naturae, ac dissimilitudo est inter has propositiones: Filius Dei est mortuus, et Filius Dei est Mediator, Salvator, Rex, Sacerdos, quia mori tantum est proprietas naturae humanae, Sed officium habet actiones utriusque naturae immediate proprias: fit enim missio Filii ab initio ad Ecclesiam, et Filius perpetuo adest Ecclesiae, et vult illam suam obedientiam, profert Evangelium ex sinu aeterni Patris, intercedit pro Ecclesia, servat et vivificat eam, et hanc ipsam ob causam nominatur λόγος, quia Pater per eum se patefecit, et Evangelium nobis ex sinu aeterni Patris per eum profertur, nec missio et obedientia tollunt aequalitatem potentiae, Sicut expresse inquit Cyrillus: Nec intelligantur Mediator, Rex, Sacerdos tantum de natura patiente et moriente, sed de persona placante, victrice, exaudiente, exhibente promissiones novi Testamenti, sicut de se Pastore inquit Dominus; Ego pono animam meam pro ovibus meis. Item, Ego vitam aeternam do eis. Et Promissio inquit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Ergo haec persona est victrix, nec tantum salvat merito quia moritur, sed salvat efficacia, quia vincit mortem in suo corpore, et in nobis, et restituit iustitiam et vitam aeternam.

Praeterea manifestum est, invocandum esse Messiam in quantum Mediator est, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis, ego reficiam vos. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Exaudire autem et videre corda invocantium, et discernere veram invocationem ab hypocrisi, et ingredi in Sanctum Sanctorum; id est, in arcanum consilium Patris, et ibi pro nobis deprecari, haec sunt naturae omnipotentis. Et semper pro Ecclesia precatus est Filius, sicut in Psalmo 2. dicitur: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam. Agnoscamus igitur nobis constitutum esse Mediatorem, Redemtorem, Salvatorem, Regem et summum sacerdotem Christum Deum et hominem, et Deo gratias agamus, quod Filium unigenitum misit, et sit invocatio directa non tantum ad naturam humanam, sed ad personam quae est Deus et homo: Sic docent Psalmi. Psalmo 47. Et concupiscet rex Decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, et adorabis eum. Et Psalmo 72. Et adorabunt eum omnes reges terrae. Et Esaiae 11. In illo die stabit radix Iessae, ut sit signum populis, gentes ad eam confugient, requies eius erit gloriosa, id est, per mortem glorificabitur et resurget. Sic et in Ieremia nominatim de invocatione dicitur: Suscitabo Davidi germen iustum, et hoc est nomen, quod vocabunt eum iustitia nostra, id est, haec persona germen Davidis est Deus, sit invocabitur quod sit Deus, et iustificet invocantes, det remissionem peccatorum et vivificet.

Obiiciunt autem quidam Christum non esse Mediatorem, aut deprecatorem aut Salvatorem, secundum utramque naturam, quia nemo, inquiunt, est Mediator sui ipsius: Item, Nemo est deprecator apud se ipsum. At haec plana et perspicua responsio est, Nemo est Mediator sui ipsius: Item deprecator apud sese, verum est eodem respectu, Sed hic plures personae sunt, et discrimen est inter mittentem divinitatem et Filium missum: Filius missus est Mediator et deprecator omnibus temporibus pro patribus et pro nobis, Sicut Daniel inquit: Illo tempore stabit pro nobis populo suo Michael.

Item cum dicunt: Opera trinitatis ad extra sunt indivisa. Salvatio est opus ad extra, Ergo eodem modo est Patris, Filii, et Spiritus sancti, et improprie de Christo dicitur: conteret caput serpentis. Respondeo plane ad regulam, Opera trinitatis ad extra sunt indivisa, scilicet servata cuiusque personae proprietate. Filius assumsit humanam naturam, non aliae personae. Filius et Spiritus sanctus mittuntur, agit Filius non a se, sed per se, ut Augustinus inquit, Salvat et vivificat pater, sed hoc ordine per Filium. Et 1. Cor. 15. dicitur: Deo gratia qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et 1. Cor. 1. Christus factes est nobis a Deo, Sapientia, Iustitia, Redemtio. Item Dominus ipse inquit: Nemo veniet ad Patrem nisi per me.

Ex his fontibus sumuntur responsiones ad argumenta Iudaica et Ariana, cum Christus mortuus sit, quomodo consentaneum est esse Deum? Respondeo esse mortuum secundum naturam huma-

nam, non secundum divinam, sicut Petrus inquit, Passum esse carne. Et Irenaeus inquit, Christum crucifixum esse requiescente verbo.

Duae sunt naturae in Christo, et suas proprietates utraque retinet, nec propterea separatur altera ab altera. Deinde propositio vera est de persona communicatione Idiomatum, Christus mortuus est, scilicet secundam naturam humanam.

Ariani citabant hoc dictum: Pater maior me est, inde ratiocinabantur, Filium non esse ὁμοούσιον Patri, non omnipotentem. Responsio usitata est, Maior me est, scilicet quam ego sum, secundum naturam humanam, ita plerumque decurrunt veteres ad hanc responsionem sumtam ex communicatione Idiomatum. Sed simplicior responsio est: alia dicta de essentia loquuntur, alia de officio personae. Manifestum est autem hoc dictum, Pater maior me est, loqui de officio huius personae missae et praedicantis, et obedientis in passione, non loquitur de inaequalitate essentiae. Cum enim Iudaei accusarent Christum, quod doceret contra autoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare autoritatem Patris, a quo affirmat se missum esse, et traditam sibi doctrinam et mandatum docendi, ac Patrem maiorem esse dicit, tanquam mittentem, fontem doctrinae, approbatorem et defensorem huius doctrinae et Ecclesiae suae, ac tunc praesertim Patris autoritas, et potentia monstranda fuit, quia in illo ministerio nondum conspicitur Filii potentia, sed conspicitur passio et infirmitas, ne igitur hac specie infirmitatis moti, dubitarent de doctrina, et de conservatione Ecclesiae, affirmat potentia Patris hoc ministerium esse efficax, et Patrem sua potentia glorificaturum, esse Filium et servaturum Ecclesiam. Ita dictum hoc de officio personae missae loquitur. Ac cum dicitur, Verbum erat Deus, ibi propriissime traditur essentiae descriptio, quia haec narratio instituta est, ut doceat quis sit λόγος, etiam antequam assumsit humanam naturam.

Saepe locum habet et haec responsio, alia dicta loquuntur de regnante Christo, alia de humiliato et patiente. Hanc responsionem in Prophetis necessariam esse manifestum est, ut de humiliato, et patiente Messia dicitur: Ponet animam suam pro peccato. Item Danielis 9. Christus occidetur, alia de regnante, ut: Dixit Dominus Domino, sede a Dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Item captivam duxit captivitatem, quia Prophetae utrumque ostendunt eundem Messiam praedicaturum, passurum, moriturum, resurrecturum, regnaturum, et collecturum esse Ecclesiam, et ei redditurum esse iustitiam et vitam aeternam.

Ita de regnante Christo dicitur: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, quia per Filium iudicat, et per eum patefacit iudicium. Alibi dicitur de tempore humiliationis, non de essentia, Deus Deus meus, quare dereliquisti me, non hoc dicit, separatam esse divinam naturam ab humana, sed pati humanam naturam et nondum sentire liberationem.

ALIUD DE DICTO AD PHILIPPENSES.

Magna varietas est interpretationum, sed iudico hanc veram et nativam sententiam esse: qui cum esset in forma Dei, id est, cum esset talis qualis est Deus, videlicet omnipotens, tamen non duxit rapinam esse gerere se aequaliter Deo, id est, non rapuit contra missionem suam usum omnipotentiae in sui defensionem, sed se ipsum exinanivit, id est, non est usus sua potentia, sed accepit formam servi, videlicet non habentis defensionem, factus in similitudine hominum, id est, fuit homo et similis aliis, passibilis et mortalis, sed sine peccato, et habitu inventus ut homo, id est, sensibus et affectibus, fame, siti, gaudio, tristitia, misericordia, lacrimis, ira, indignatione, humiliavit sese, factus est obediens usque ad mortem, id est, non repulit mortem, sed cum sciret hanc esse voluntatem aeterni Patris, ut sic poena solveretur, voluit hanc obedientiam. Ita velle in vocatione servire, et non alia expetere splendidiora aut graviora extra vocationem nominatur humilitas. Propter quod exaltavit eum Deus. Hinc Ariani sumebant argumentum, Natura Deus non potest exaltari. Respondent Orthodoxi ex regula de communicatione Idiomatum: est exaltatus secundum humanam naturam, factus impassibilis et immortalis, sicut in Psalmo dicitur: de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Potest autem breviter responderi, aliud est tempus humiliationis, aliud glorificationis, nec obedientia tollit aequalitatem potentiae.

DE SPIRITU SANCTO.

Descriptionem supra recitavimus. Spiritus sanctus est tertia persona divinitatis, procedens a Patre et Filio, et est substantialis amor et laetitia coaeterna inter Patrem et Filium, ὁμοούσιος Patri et Filio, et nobis sic manifestata est, quod mittatur in corda credentium, ut tales motus amorem et laetitiam acquiescentem in Deo in eis accendat, qualis est ipse, Sicut 2. Tim. 1. expresse scriptum

est, Non dedit vobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis et castificationis.

TESTIMONIA QUOD SPIRITUS SANCTUS SIT PERSONA.

Primum autem diligenter observandum est vocabulum Spiritus, quod in genere significat agitationem, aut naturam seu vim agitantem, et observanda est varietas in ipsis scriptis Propheticis et Apostolicis, nec temere omnia dicta miscenda sunt, in quibus reperitur vocabulum Spiritus, saepe significat ventos, saepe vitam hominis, saepe motus seu impetus hominum creatos, tum bonos, tum malos: hic significat essentiam spiritualem, id est, vivam, intelligentem, incorpoream, efficacem, Deus est Spiritus: Estque hoc loco nomen commune patri et aliis personis. Delectus igitur adhibendus est in testimoniis colligendis, ac prudenter iudicandum, ubi proprie loquatur scriptura de Spiritu sancto, qui est persona seu ὑφιστάμενον, sanctificans corda audientia vocem Evangelii, et cum sic sumitur vocabulum Spiritus, confirmandum est Spiritum sanctum esse personam seu ὑφιστάμενον, Nam multi impii et audaces homines in dissidiis Ecclesiasticis contenderunt, Spiritum sanctum non esse ὑφιστάμενον, sed tantum cogitationem creatam, aut certe ipsum Patrem potentem, seu agitantem sine alia persona. Sed huic impio sophismati Ecclesia vera opponit testimonia in scripturis tradita, quorum primum et maxime illustre est revelatio divinitatis facta in Baptismo Christi, ubi clare discernuntur tres personae: Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite, Est igitur alia persona Patris, alia Filii, descendit autem Spiritus sanctus in specie columbae. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit enim: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem. Sic et in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali.

Hae patefactiones non sunt frustra factae, Sed testificantur Spiritum sanctum personam esse, et mitti ad sanctificandam, et confirmandam Ecclesiam.

Ad haec testimonia adiungatur dictum de Baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, id est, hoc Baptismo testor te recipi a vero Deo, quem super te invoco Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Affirmo te recipi a vero Deo, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, et patefecit se misso Filio, et te propter Filium recipit et vivificat, sanctificat et confirmat te ad vitam aeternam, donans Spiritum sanctum procedentem a Patre et Filio, ac tu vicissim agnoscas, hunc verum Deum, qui se sic patefecit.

Cum autem ad Spiritum sanctum dirigatur invocatio, sicut ad Patrem et Filium, necesse est eum esse ὑφιστάμενον, et non motum seu agitationem creatam in homine, nam motus seu agitatio creata in homine, non est invocanda, Iohan. 14. Rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis. Cum ait Alium, discernit a Patre et Filio hunc paracletum. Et Iohan. 15. Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit. Ego, inquit, mittam a Patre, Non est ergo hic missus Spiritus ipse Pater agitans, quia Filius non mittit Patrem, nec est agitatio creata, quia haec sunt nomina personae, Alius paracletus, qui docebit vos, et, quae audiet loquetur. 1. Corinth. 12. expresse discernit Paulus Spiritum sanctum a donis creatis: omnia haec efficit unus et idem Spiritus. Et 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam a Domini Spiritu, ubi etiam effectorem discernit a luce creata.

Quod autem Spiritus sanctus fuerit antequam carnem induit Filius Dei, perspicue testatur Petrus 1. capite. Epistolae primae, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi praedicens in eis Christum passurum esse. Hic diserte nominatur Spiritus Christi qui fuit in Prophetis, eodem igitur Spiritu Christi et Patres et Apostoli, et pii deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt. Idque multo illustrius docent verba Esaiae 59. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum.

Eundem Spiritum ait esse in Esaia, et in tota Ecclesia in omnem aeternitatem, non igitur tantum post resurrectionem Christi effusus est Spiritus sanctus in pectora Sanctorum, sed semper eodem Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt, et quidem dictum Esaiae dulcissimam doctrinam et consolationem proponit, affirmat semper mansuram esse Ecclesiam Dei, et ibi mansuram, ubi sonat vox Evangelii, et cum ea voce affirmat dari Spiritum sanctum per Filium, sicut in Psalmo dicitur: Dat dona hominibus.

Et Zachar. 7. Verba quae misit Dominus exercituum in Spiritu sancto, per manum Prophetarum. Hoc dicto utrumque affirmatur, et gubernatos esse Spiritu sancto Prophetas, et verbum Dei non esse

inanem sonitum. Sed audito Evangelio, effundi Spiritum sanctum in corda, qui movet ea ad credendum, et assensionem confirmat, accendit vitam, invocationem, laetitiam, dilectionem Dei, et alios motus tales, qualis ipse est, ut Rom. 1. dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et 2. Cor. 3. vocatur Evangelium ministerium Spiritus.

Constat igitur ex Esaiae et Zachariae dictis, quae recensui, doctrinam de Spiritu sancto in veteri Ecclesia patrum et Prophetarum notam fuisse. Ideo etiam veteres hoc dictum in Genesi I. capite intellexerunt de Spiritu sancto, qui est persona divinitatis: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim inquit Basilius: Sive quod verius est, et enarratum est ab iis qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei.

Cum autem dicta in novo Testamento magis perspicua sint, adiungantur ad dicta exempla veteris Testamenti, quod cum fiet collatio utriusque lucem adferet, nec tantum speculationis causa haec consideremus, sed ut nos ad petenda beneficia Dei exuscitemus.

Agnoscamus immensam bonitatem Dei, quod primum condidit nos, ita ut communicarit sese nobis, et voluerit nos in omni aeternitate frui sua luce, sapientia, iustitia et laetitia. Deinde quod Filium misit, ut proferret Evangelium, et esset Redemtor et restitutor generis humani, et mittit in corda credentium Spiritum sanctum. Haec beneficia petamus, et grati celebremus, non simus Pelagiani, non cogitemus hominem tantum humanis viribus regi posse, sciamus non sine maxima causa nostrae imbecillitati promitti Spiritum sanctum. Sicut Paulus inquit: Spiritus opem fert imbecillitati nostrae.

Quanquam autem de essentia Dei sine certis testimoniis nec Angeli, nec ulli Doctores certo nos possint docere, tamen postquam Deus se patefecit, et verbum suum Ecclesiae tradidit, utile est nosse, quid probati homines in prima et puriore Ecclesia senserint, qui doctrinam ab Apostolis acceperunt, voluit enim Deus aliquos esse testes de sua veritate, ut posteritas confirmaretur, iuxta dictum: Et tu conversus confirma fratres tuos.

TESTIMONIA ECCLESIAE VETERIS.

Illustre testimonium est in Symbolo Niceno. Credo in Spiritum sanctum dominum vivificantem, ubi cum Spiritus sanctus nominatur Dominus et vivificator, perspicuum est intelligi personam et quidem omnipotentem, vivificantem cum Patre et Filio, qui est persona procedens a Patre et Filio immediate, accendens motus in corde tales qualis est ipse, Recitavi et supra confessionem Gregorii Neocaesariensis, quae hic quoque repetenda est: unus Deus pater verbi viventis, sapientiae subsistentis, et imaginis suae integer integrae genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, unus ex uno, imago Patris, Verbum efficax, Filius sempiternus ex sempiterno, unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, per quem Deus super omnia et in omnibus cognoscitur.

Multorum vetustiorum testimonia collegit Basilius, in his et Palaestini Eusebii verba recitat: Sanctum Deum lucis conditorem, per salvatorem nostrum Iesum Christum, cum Spiritu sancto invocandum. Haec verba ostendunt, veteres diserte tres personas in Invocatione complexos esse, et ea forma loquendi de Filio usos esse, ut animi simul de Mediatoris intercessione, et de promissionibus commonefierent. Basilius inquit: Oportet nos baptizare sicut accepimus: Credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Fugere autem palam blasphemos eos, qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt. Apud Epiphanium saepe repetitae sunt satis perspicuae asseverationes, contra Sabellianos, *ἐνυπὸστατον ὁ πατὴρ, ἐνυπόστατον ὁ υἱὸς, ἐνυπόστατον τὸ ἅγιον πνεῦμα.* Item contra *πνευματομάχους*, Spiritus vere est ex Deo, et non alienus a Patre et Filio, sed *ὁμοούσιος* Patri et Filio.

Postquam autem dictum est tres esse personas divinitatis, discrimina erudite considerentur. Pater non nascitur, Filius etiamsi coaeternus est Patri, tamen genitus est, et est imago aeterni Patris. Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Hae appellationes extant in sermonibus Christi. Sed hic quaerat aliquis, quid intersit inter nasci et procedere. Etsi exhauriri haec arcana non possunt, tamen significari discrimen Filius Dei voluit, et nequaquam eius sermo mutandus est. Usus autem est vocabulis humanis, quasi deducens nos ad aspectionem naturae hominis, ut inde similitudo et umbra sumatur. Sunt autem in anima hominis duae praecipuae potentiae, Intelligens et Volens. Intelligens format imaginem, quoties de amico cogitat, statim eius imaginem in mente quasi pingit. Volentis autem potentiae sunt amor, odium et alii affectus, et cum hac copulatum est in homine cor, quod gignit Spiritus, videlicet flammulas quae sunt incitatrices actionum, motuum et affectuum. Sit igitur hoc discrimen inter nasci et procedere.

Nasci est a potentia intelligente, quia Filius cogitatione nascitur, et est imago Patris, et prolato verbo nobis ostendit Patrem et voluntatem eius, per quod verbum et ipse notitiam in nobis accendit.

At procedere est a voluntate, quia Spiritus sanctus est agitator, seu amor substantialis, et tanquam ignis amoris, quo Pater Filium complectitur, et Filius Patrem. Item quo postea Pater et Filius copulant sibi Ecclesiam, et communicant ei suam laetitiam et amorem.

DE DUPLICI DISCRIMINE PERSONARUM.

Est autem duplex discrimen personarum. Aliud est interius, ut Pater gignens, Imago genita, Spiritus procedens. Aliud est externum a beneficiis erga Ecclesiam sumtum, ut Filius et Spiritus sanctus mittuntur ad Ecclesiam statim ab initio. Filius constituitur Mediator, patefacit promissionem, orat pro Ecclesia, est custos Ecclesiae, immediate conservat ministerium Evangelii, loquens cum Patribus et Prophetis, postea assumsit humanam naturam, fit redemtor et persona, per quam immediate protegitur Ecclesia, manifestum iudicium fit immediate per ipsum.

Spiritus sanctus mittitur in corda sanctorum, ut in nobis accendat motus congruentes cum Lege Dei et laetitiam et invocationem. Haec omnia discrimina mens in quotidiana invocatione intueatur, ut discernamus nostram invocationem ab Ethnica, Mahometica, Iudaica, et ab aliarum sectarum furoribus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies. Item, Non habebis Deos alienos.

Ut autem vitentur ambiguitates et insidiae in vocabulis, summa cura retineamus appellationes et phrases traditas in sermone Prophetico et Apostolico, et usitatas in vera Ecclesia, nec gignantur portentosae appellationes, quales finxerunt Haeretici, quadrigas Aeonum et provolas et alia portenta. Consideremus autem in scriptis Propheticis et Apostolicis, ubi proprie de generatione aeterna dicatur, ubi de generatione visibili Christi, ubi de adventu ad ministerium. Iohan. 8. Ego a Deo exivi et venio. Hic dicitur proprie de missione et de adventu ad ministerium, quia obiurgat Iudaeos, quod non velint sermonem eius audire. Sicut mox sequitur: Si Veritatem dico, cur non creditis mihi? In Michaea capite quinto dicitur: Et tu Bethlehem Ephrata parvula est in millibus Iuda, id est, in populo Iuda, ex te mihi egredietur qui erit Dominator in Israël. Hic egressio significat generationem visibilem, qua Christus ex virgine editur in Bethlehem. Deinde mox sequitur: Et egressiones eius sunt ante dies mundi. Etsi autem ut in brevi dicto aliquid est obscuritatis, tamen simplicissimum est, hic intelligi generationem aeternam, quia dictum concionatur de utraque generatione. Si quis autem disputabit, cum nomen egressionis seu processionis alibi tribuitur Spiritui sancto, cur hic Filio tribuitur? Respondendum est: vocabulum egredi communius esse, Sed cum de Filio dicitur, declarandum est per vocabulum Gigni seu nasci. Filius egreditur ut genitus. Item, λόγος et imago, Sed Spiritus sanctus procedit ut agitator et laetificator. Item discernator egressio, altera est a potentia cogitante, altera est a voluntate. Aliquid etiam interest inter verba ἐξελθεῖν et ἐκπορεύεσθαι. Nam πόρος est agitatio et motus. In Psalmo, dixit Dominus, legitur: ex utero ante luciferum genui te, quod antiquitas accommodavit ad generationem aeternam. Sed si legitur: ex utero, mane veniet tibi ros generationis tuae, tum quadrat ad generationem ex virgine, ex qua nascitur Christus velut ros coelestis, videlicet Filius missus de coelo, et sine semine virili assumens humanam naturam in virgine. Haec recito, ut iuniores sint circumspecti in loquendo, et discant et tueantur phrasin verae Ecclesiae, nec ludant ambiguitatibus, aut hyperbolis, aut Acyrologiis. Ac ad commonefactionem utile est formam precationis tenere, utcunque recitantem discrimina, et deducentem nos ad patefactiones, ut cogitemus quid, et quem alloquamur, et cur exaudiamur.

AD DEUM PATREM.

Omnipotens aeterne, vive et vere Deus, aeterne et unice Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Hunc audite, conditor et conservator coeli et terrae, et angelicae Ecclesiae et humanae, et opitulator, resuscitator mortuorum et salvator, una cum Filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, verax, caste, iudex iustissime, misericors, liberrime, qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat: confiteor tibi me multipliciter peccasse, et doleo quod offendi te, doleo etiam de omni immunditia mea. Oro autem toto pectore, miserere mei, et remitte mihi omnia peccata mea, et iustifica me per et propter Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα σου ἀΐδιον, id est, imaginem sempiternam tuam, quem voluisti pro nobis

victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην esse, mirabili et inenarrabili consilio, et immensa bonitate, et sanctifica, me Spiritu tuo sancto, casto et veraci, ut te agnoscam, invocem, timeam et diligam verum Deum omnipotentem, sapientem, castum et veracem aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, et Dominum nostrum Iesum Christum et Spiritum sanctum, qui te patefecisti misso Filio, collige Ecclesiam inter nos, da salutaria et pia regimina, protege me et familiam meam, oppidum nostrum etc.

AD [FILIUM IESUM CHRISTUM] MEDIATOREM.

Omnipotens Domine Iesu Christi Fili Dei λόγε καὶ εἰκὼν ἀΐδιε ἀϊδίου. Emanuel, nate ex virgine, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui es Sacerdos in aeternum, sedens ad dexteram aeterni Patris, et es deprecator pro nobis, sapiens, bone, verax, caste, iudex iustissime, misericors, liberrime, qui dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos, miserere mei, et intercede pro me apud aeternum Patrem tuum, et sanctifica me Spiritu sancto tuo, collige tibi inter nos Ecclesiam, et eam guberna, sicut dixisti: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi, da salutaria et pia regimina, protege me et familiam meam, et depelle a nobis Diabolos hostes nostros, sicut dixisti: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

DE CREATIONE.

Factorem coeli et terrae.

Etsi naturalis ratio in hominibus convincitur ordine corporum mundi, et motuum coelestium, conservatione specierum, et ipsa naturali notitia legis in mentibus, ut fateri cogatur esse Deum, sapientem, bonum, veracem, iustum, et a Deo conditum esse mundum, tamen in hac infirmitate hominum languida est assensio, et Philosophi affinxerunt multos tetros furores, ideo in Ecclesia divinitus patefacta est vera doctrina de Creatione, et illustris asseveratio traditur, quod Deus sit essentia aeterna, distincta a rebus creatis, et quod liberrima voluntate condiderit coelum et terram, angelos et homines et alias creaturas ex nihilo, nec fuit alia aeterna res ante creationem, nisi sola essentia divina, et execrandi sunt furores Philosophorum, qui fingunt Deum esse quiddam, quod tantum sit in quadam materia coaeterna, et necessario in ea sit, et necessario formet eam. Adversus haec Diabolica deliramenta veris testimoniis divinis muniendae sunt mentes, ac primum de causa efficiente et finali cogitandum est, postea recitanda sunt testimonia, quod libera voluntate res sint conditae. Item, quod res ex nihilo sint conditae. Item, quod cum creatione simul oporteat intelligi perpetuam conservationem substantiarum, quod videlicet Deus non discesserit a suo opere, sicut faber discedit a navi post fabricationem.

DE PRIMO.

DE CAUSA EFFICIENTE CREATIONIS.

Quod Creatio sit opus commune aeterni Patris, Filii et Spiritus sancti manifeste significatum est Gene. 1. in hoc dicto: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et de Filio multa sunt expressa testimonia in Iohanne, Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Item, Pater meus usque modo operatur, et ego operor. De Spiritu sancto Gene. 1. dictum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Psalmo 33. Verbo Domini coeli facti sunt, et Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Hic tres personae nominatim recitantur, et diserte de persona dicitur 1. Corinth. 12. Omnia haec efficit unus et idem Spiritus. Cum igitur creatio sit commune opus trium personarum, tradita est regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, id est, personae simul sunt, et simul agunt, et tamen haec regula sic intelligenda est, ut sua cuique personae proprietas tribuatur. Pater creat dicens, ut scriptum est in Genesi: Et dixit Deus, faciamus hominem etc. Pater igitur creat per Filium qui est Verbum, in quo lucet opus totius opificii, et Spiritus sanctus immediate fovet creaturas et motum impertit. Ideo dicitur: Spiritus Domini fovebat aquas. Ac Iohannes et Paulus certo consilio utuntur hoc modo loquendi, ut dicant per Filium omnia creata esse, et cur dicatur, quod cogitatione considerandum est. Haec magis perspicua fiunt, cum restitutionem Adae et Evae intuemur: Pater mittit Filium, qui edit promissionem; et Filius sonans promissionem simul est efficax in corde, ostendens voluntatem arcanam Patris, et per Verbum Spiritus sanctus immediate laetificat et movet corde ad invocationem Dei, et accendit tales motus qualis ipse est.

DE SECUNDO.

DE CAUSA FINALI CREATIONIS.

De causa finali quare mundus conditus sit. Quia Deus cum sit optimus, voluit habere creaturas quibus suam bonitatem communicet, et quidem rationalibus creaturis communicat illa, quae sunt in ipso optima, scilicet sapientiam, iustitiam, libertatem electionis, vitam aeternam, et laetitiam aeternam, et intellectum horum istorum bonorum, ut vicissim ille celebretur. Assidue autem consideranda est magnitudo dilectionis Dei erga nos, Primum in creatione transfudit in nos radios eorum bonorum, quae in ipso sunt summa, et voluit hominem esse domicilium et templum Dei. His tantis bonis amissis, rursus magnitudo amoris fit illustrior, cum Filio deprecante recipimur et natura humana non solum fit domicilium Dei, sed etiam fit unio personalis Filii et naturae assumtae. Huius mirandi operis causae et modus in tota aeternitate considerabitur, sed hanc esse principalem causam impulsivam, quod Filius missus est, videlicet, dilectionem Dei erga nos, affirmat ipse Filius, cum ait: Sic dilexit Deus mundum, ut dederit Filium unigenitum. Paulus inquit: Dilexit nos in dilecto. Rursus igitur propter hunc Filium alii homines fiunt domicilia et templa Dei, agnoscitur Deus in hac vita per Verbum, et Spiritus sanctus immediate accendit motus in corde tales qualis ipse est, ac post hanc vitam Christus tradet regnum Patri, id est, adducet Ecclesiam ad Patrem, et tota divinitas se immediate ostendet et conspicietur, et erit efficax in beatis, non aget per ministerium Evangelii, de hoc fine loquitur Filius, cum ait: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te esse solum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Item, sit dilectio tua in eis qua me diligis. Affirmat igitur ideo conditum esse genus humanum, ut Deus illam ingentem bonitatem suam nobis communicet, quae est maxime illustris in copulatione divinae et humanae naturae in Filio. Ideo Paulus inquit, in hunc Filium omnia condita esse, id est, ad hunc finem, ut conspiciatur hoc mirandum opus Dei, in quo sic communicavit humanae naturae Deus suam bonitatem, ut etiam unione ὑποστατικῇ Filius assumserit humanam naturam.

DE TERTIO.

Quod res sint conditae ex nihilo.

Quod Deus condiderit res alias omnes ex nihilo confirmat dictum Iohannis 1. Omnia per ipsum facta sunt, Ergo non fuit materia coeli et terrae aeterna, non facta sicut Stoici et alii quidam duo aeterna finxerunt mentem et materiam. Saepe etiam Scriptura affirmat Deo dicente res creatas esse. Non igitur ex alia priore materia factae sunt, et usitatum est in Ecclesia creationem nominari fabricationem rerum ex nihilo.

DE QUARTO.

Quod libera voluntate res sint conditae.

Quod Deus libere et volens tunc cum voluit condiderit mundum, et quod sit agens liberrimum, manifeste testatur dictum Psalmi 114. Omnia quaecunque voluit fecit, et Psalm. 135. Omnia quaecunque voluit Deus fecit in coelo et in terra.

DE QUINTO.

Quod conservet Deus res creatas.

Infirmitas humana etiamsi cogitat Deum esse conditorem, tamen postea affingit hanc imaginationem, ut faber discedit a navi extructa, et relinquit eam nautis gubernandam, ita Deum discedere a suo opere, et relinqui creaturam tantum propriae gubernationi.

Haec imaginatio Deum removet a creaturis, et fingit eum otiosum esse, contra hunc tetrum errorem erudiendae sunt mentes, et firmissime statuendum est, etsi Deus est alia res distincta a creaturis, tamen adesse eum universae creaturae, et omnium creaturarum substantias quae servantur, et quatenus servantur, sustentari a Deo, sed ita tamen, ut Deus sit agens liberum, sustentet donec vult, agat simul quatenus ipse decrevit, et moderetur ac mutet aliqua propter salutem Ecclesiae suae immensa bonitate, hanc praesentiam Dei confirmant haec dicta: Actorum 17. In ipso vivimus, movemur et sumus, id est, per ipsum creatura sustentatur et fovetur vita nostra.

Retinendum est autem discrimen inter creatorem et creaturam, inter essentiam creantem et essentias creatas, dicit enim vox divina Deutero. 4. Ut scias quod יְהוָה Dominus sit Deus, et non est alius praeter eum, et discernantur motus Diabolorum a motibus divinis in hoc dicto: Cum mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Heb. 1. Ge-

stans omnia verbo potentiae suae. Coloss. 1. Omnia per ipsum consistunt. 1. Timoth. 6. De Deo dicitur, qui vivificat omnia. Hier. 23. Coelum et terram ego impleo. Haec rerum sustentatio et conservatio, qua Deus adest toti opificio suo, et rerum substantias servat, sustentat coelum, et motus coelestes, foecundat terram, procreat fruges in terra, creat vitam in viventibus, nominatur usitata appellatione actio Dei generalis seu praesentia universalis. Alia nominatur actio specialis, quae est sanctificatio, qua in Ecclesia per Verbum et Spiritum sanctum iustitia et vita aeterna restituuntur, et simul agnoscitur et invocatur Deus, et fiunt alia extraordinaria opera in Ecclesia, ut conservatio in fornace Babylonica, ac certo consilio Deus et ordinaria opera, et extraordinaria facit.

Ordinaria ostendunt hanc naturam non casu confluxisse, sed sapientem conditorem, autorem esse ordinis.

Extraordinaria ostendunt hunc conditorem esse essentiam distinctam a mundo, et esse liberum agens, et posse aliter agere, quam cient causae secundae, et multa moderari in natura suo liberrimo consilio, observandum est igitur quae dicta loquantur de universali praesentia, quae de speciali.

DE SEXTO.

An omnia fiant necessario.

Cum Deus sustentet totam naturam rerum, oriuntur quaestiones quomodo sustententur, an sit necesse omnia ferri et fieri, sicut feruntur et fiunt. Item, quae sit causa peccati, si Deus ipse adest naturae.

Etsi autem multae spinosae disputationes in his quaestionibus motae sunt, tamen explicatio simplicior esset, si haec responsio semper in conspectu esset, Deum esse agens liberrimum, et libere adesse causis secundis, et cum eis agere quatenus ipse sua immensa bonitate et sapientia agendum esse iudicat. Haec brevis responsio liberat bonas mentes a multis quaestionibus, et vult Deus modum esse disputationum et consistere nos in expressis testimoniis divinis, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Stoici alligarunt Deum ad causas secundas, id est, finxerunt Deum nihil aliter facere posse, quam ut causae secundae sua natura cient, ut cum Sara sit sterilis et anus, cogitant impossibile esse fieri eam matrem: ita omnes homines in hac naturali caligine intuentes ordinem naturae, delabuntur in hanc imaginationem, ut existiment nihil aliter fieri, quam ut hic ordo ciet. Hac imaginatione impediri invocationem manifestum est, quid enim prodest petere ea, quae alioqui necessario fiunt? et quid prodest petere gubernationem divinam, aut mitigationem malorum, si mutari cursus secundarum causarum non potest?

Haec cum Stoicis obiiciebantur, fateri etiam impie audebant non nostrae indigentiae causa Deum invocandum esse, sed tantum gratiarum actionis causa, quod hunc ordinem physicum conservet. Item quid prosunt consilia, leges, et diligentia regendi mores, si nulli motus in humanis voluntatibus mutari possunt?

Talia absurda cum sequantur ex Stoica necessitate, recte docenda est Ecclesia, Suntque haec vera principia firmissime tenenda, Deus est agens liberrimum, et adest suo opificio, non ut Stoicus Deus, sed ut agens liberrimum. Et quanquam sustentat rerum substantias, et magna ex parte servat ordinem corporum, quem instituit: tamen immensa misericordia multas partes moderatur, et saepe secundas causas vel adiuvat vel impedit, vel prorsus mutat. Haec libertas in exemplis consideretur. Statim initio post lapsum Adae et Evae cum ordo sancitus esset, ut extinguerentur propter peccatum, et ordo iustitiae divinae sit firmior, quam ordo in causis physicis, tamen hic Deus se patefecit, et immediate sine causis secundis servat hominem. Moisi dividit aquas maris rubri longo spatio per aliquot dies. Praelianti Iosuae sistit solem. Ezechiae sol regreditur. Tres Israëlitae servantur in fornace Babylonica. Christus, Prophetae et Apostoli resuscitant mortuos. Talia extraordinaria opera omnia sunt testimonia libertatis in Deo, et ostendunt eum non alligatum esse causis secundis, sed propter Ecclesiam saepe eas moderari et mutare.

Praeterea certissimum est, Deum saepissime consilia et voluntates hominum flectere quo vult sine causis secundis, ut cum movet Alexandri mentem ad bellum Persis inferendum, et deinde praeliantis dextram regit, seu cum incutit terrorem fugientibus hostibus, ut Psalmus inquit: Terribili et potenti, qui aufert Spiritum Principum.

Iam addantur testimonia ex dictis Propheticis et Apostolicis. Psalmo 114. Omnia quaecunque voluit fecit. Ioel. 2. Scindite corda vestra, misericors et miserator est Dominus, patiens et multae misericordiae, et poenitet eum poenae, Sicut de Ninive retractat promulgatam sententiam. Item

Zachariae 1. Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Lucae 21. Orate, ut possitis effugere ventura mala. Deut. 8. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Matth. 21. Omnia quae petetis credentes, accipietis, Si dixeritis huic monti: iacta te in mare, fiet. Psalmo 23. Etiamsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo malum, quia tu mecum es. Psalmo 9. Exaltes me de portis mortis. Matth. 8. Si vis, potes me mundare, volo, mundus esto. Talia dicta omnia testantur Deum esse agens liberrimum, et saepe tollere aut lenire poenas, quae iam ordine legis, et causarum secundarum in nos irruunt.

Ut igitur necesse est in omni invocatione promissiones cogitare, ut: Petite et accipietis. Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te et similes. Sic et cogitandum est, Deum adesse creaturis, et esse liberrimum agens, et posse tollere aut mitigare mala, etiamsi causae secundae videntur adversari, ideo dictum est de Abraham: Credidit contra spem in spem. Et rex Iosaphat inquit: Cum nescimus quid sit agendum, oculi nostri ad Dominum tollantur. Et Ephe. 3. dicitur, Deum posse excellenti modo, et excellentia facere, quae petimus supra quam intelligimus. Et Psal. 71. Liberavit pauperem cui non erat adiutor. Psal. 90. Cum ipso sum in tribulatione. Oseae. 1. Salvabo eos non in arcu nec in gladio, sed in Domino Deo, id est, Filio suo. Et Zacha. 4. Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo defendam eos, dicit Dominus exercituum.

Talia dicta multa sint in conspectu, ut sint consolationes, accendant invocationem et confirment fidem et spem, et ut consideretur potentia Dei, praesentia et gloriatio in Ecclesia.

Est autem libertas in Deo posse creaturas condere et non condere, posse conservare et destruere, et iuvare mediate per creaturas, et immediate extra creaturas, et quanquam tantum bona facit, tamen posse bona multiplicia et dissimilia facere. Haec primum scienda sunt, quia libertas in Deo est fons contingentiae et libertatis in creaturis.

DE CONTINGENTIA ET CAUSA PECCATI.

Primum considerent Studiosi, quid vocabula significent: Necessitas: Impossibilitas, Libertas, Contingentia, et traduntur explicationes in Dialecticis.

Sunt autem quatuor Gradus necessitatis.

Primus est propositionum de essentia et de proprietatibus Dei, ut: Deus est sapiens, verax, volens iusta, casta. Est autem simpliciter necessarium, quod est prorsus immutabile, et cuius contradictorium est simpliciter impossibile, ita ut causa non possit quidem aliter agere, hanc nominant absolutam necessitatem.

Secundus Gradus est definitionum et demonstrationum, quae etiam prorsus sunt immutabiles.

Tertius Gradus est necessitas Physica, videlicet ordo in creaturis, ut motus solis et in aliis creaturis, actionum ordo, qui non potest mutari potentia creaturae, sed potuisset aliter condi, et potest a Deo mutari, et Deus ostendit multa exempla, ut cum iussit consistere solem aut regredi, cum fecit anus steriles foecundas.

Quartus Gradus est mutabilium, quae tamen necessitate consequentiae dicuntur necessaria, id est, quae sunt quidem re ipsa mutabilia, sed non mutantur, vel quia sic a Deo decreta sunt, vel quia sequuntur ex causis quae non mutantur, cum tamen mutari potuissent, vel quia cum fiunt, contradictoriae simul verae esse non possunt, ac magna dissimilitudo est propositionum huius gradus, quia aliter iudicandum est de rebus bonis quae fiunt decreto Dei, Item, volente et adiuvante Deo. Aliter de rebus malis, quae fiunt sine decreto Dei, nec volente, nec impellente, nec approbante Deo. De hac distinctione postea copiosius dicetur.

Necessaria est resuscitatio mortuorum, quia Deus edidit de ea decretum. Paulus inquit: Oportet haereses esse, scilicet necessitate consequentiae, quia in multis ingeniis magna est petulantia, et incitata a Diabolis, qui delectantur ludis novarum opinionum, ex his causis sequuntur haereses, cum tamen frenari et impediri possent.

Saul necessario punitur, quia causas non mutat, cum posset non insidiari Davidi et non interficere Sacerdotes. Denique omnia cum fiunt, ideo tunc necessaria dicuntur necessitate consequentiae, quia contradictoriae non possunt simul verae esse, ut cum Plato sedet, contradictoria falsa est. Plato non sedet, Vult enim Deus distinctionem esse inter veritatem et falsitatem, et vult esse certitudinem.

Haec commonefactio de appellatione necessitatis hic consideretur.

Contingens autem dicitur, quod cum fit, habet causam quae posset ex natura sua aliter agere, et fons contingentiae primus est, libertas voluntatis in Deo. Deus liberrima voluntate creat genus humanum, ordinavit cursum solis, iubet solem regredi, iubet aquas in mari rubro consistere, etc. Haec potuisset non facere, et aliter facere: ita discrimen inter agens liberum et non liberum consideretur.

Sic autem condidit Deus angelos et homines, ut essent ipsi quoque agentia libera, manet aliqua libertas etiam in hominibus post lapsum, haec libertas etiam causa est contingentiae actionum humanarum, Patris frenare locomotivam poterat, ne raperet Helenam.

Nunc consideratis appellationibus teneatur in Ecclesia firmissime haec vera doctrina. Primum quod Deus non sit causa peccati, nec velit peccatum, nec impellat homines ad peccandum, nec approbet peccatum. Postea ex hac verissima sententia sequitur perspicue, quod voluntas in Diabolis et hominibus sua libertate averterit se a Deo, sequitur et deinceps, non omnia quae fiunt, necessario fieri: Cain non necessario interficit fratrem.

Quod autem Deus nec sit causa peccati, nec velit peccatum, nec impellat voluntates ad peccandum, nec approbet peccatum, perspicuum est ex multis firmis testimoniis, quorum aliqua recitabo. Gene. 1. Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona, id est, Deo placentia ordinata, congruentia ad ordinem in mente divina, et ad certos usus profuturos homini condita. Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es, id est, Deus vere et non simulate odit peccata.

Iohan. 8. Quando mendacium loquitur Diabolus, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater mendacii. Pater, id est, primus fons et causa mendacii. Discernit autem Dominus mendacium a substantia, quasi dicat substantiam quidem habet Diabolus aliunde acceptam, Nam omnes Angeli sunt essentiae a Deo creatae, quorum aliqui postea lapsi sunt, habet autem proprium quiddam Diabolus non a Deo acceptum, videlicet mendacium, id est, peccatum, quod est destructio orta a libera voluntate Diaboli avertentis se a Deo. Neque haec inter se pugnant, ut postea rursus dicam, Substantiam a Deo conditam esse, et sustentari et tamen voluntatem Diaboli et hominis causam esse peccati, quia voluntas abuti libertate sua potuit, et sese a Deo avertere, Zachariae 8. Malum ne cogitetis in cordibus vestris, et iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim haec sunt quae odi, dicit Dominus.

Cum igitur non sit simulatum odium peccati in voluntate divina, nequaquam sentiendum est, Deum velle peccatum. Primae Iohan. secundo. Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo. Primae Iohan. 3. Qui facit peccatum ex Diabolo est, quia ab initio Diabolus peccat, id est, primus autor peccati Diabolus est. Rom. 5. Per hominem intravit peccatum in mundum, id est, peccatum non est res condita a Deo, sed homo sua libertate se a Deo avertit, et excussit dona Dei, et illam suam destructionem propagavit in suam posteritatem.

His et similibus dictis confirmati veram et perpetuam Ecclesiae sententiam constanter amplectamur, et nequaquam applaudamus Stoicis et Manichaeis furoribus, qui sunt contumeliosi adversus Deum et perniciosi vitae, qui fingunt homines necessario scelera facere, et recte intelligamus dicta, quae contra veram sententiam detorquentur ad Stoica deliramenta.

ARGUMENTA STOICA ET MANICHAEA.

Primum argumentum.

Primum, Indurabo cor Pharaonis, hoc ita citatur, cum sit verbum activum, ut indocti ratiocinentur inde Deum esse causam efficientem peccati. Ad hanc phrasin et similes respondendum est: Certissimum est Ebraica phrasi verba activa saepe significare permissionem, non effectionem, Ut ne nos inducas in tentationem, id est, non sinas nos opprimi, cum tentamur.

Repudianda est et Cyclopica cavillatio quorundam veterum et recentium, qui dicunt non ideo peccare Deum, quia impellat ad mala, quia Deo non sit Lex posita. Haec Cyclopica imaginatio execranda est, quia lex Moralis est ipsa sapientia aeterna et immota in Deo, et voluntas Dei est iusta, conformis illi suae sapientiae, ideoque patefacta est lex Moralis, ut sciamus qualis sit Deus, et discernamus eum a malis naturis. Nec fingendae sunt in Deo contradictoriae voluntates, quia Deus est verax non dissentiens a sua sapientia, et a verbo quod edidit et sanxit.

Plato inquit libro 2. de Rep. Quod vero dicunt aliqui malorum causam esse Deum, qui bonus est, pugnandum est omnibus modis, ne quis haec dicat in sua civitate, si vult eam bene regi, et ne quis haec audiat, nec iuvenis, nec senex, nec in carmine, nec extra carmen figurate reci-

tent, quia nec pium est sic dicere, nec nobis utile, neque talia dicta secum ipsa consentiunt.

Secundum argumentum.

Amos 3. Non est malum in civitate quod non fecit Dominus. Huiusmodi dicta cumulantur ab iis qui vociferantur Deum esse causam peccati. Hic autem nota sit omnibus vetus et necessaria distinctio. Differunt peccatum et poena, ac usitate peccatum nominatur malum culpae, quod est aversio a Deo et odium Dei, quod nequaquam efficit, Sed poenae sunt destructiones rerum aut corporum, ut incendia, diluvia, morbi, fames: aut in anima pavor aut dolor horribiliter puniens ea, talis poena est opus iustitiae Dei, et nominatur malum poenae, saepe igitur sic loquuntur Prophetae Deum haec mala efficere, id est, has poenas velle ordine iustitiae.

Sic Ieremias inquit in Threnis capite 3. Quis dixit: ex ore altissimi nec bona nec mala veniunt. Ubi obiurgat Epicureos, qui somniant res secundas et adversas casu accidere.

Similis obiurgatio est Zophoniae primo: Scrutabor Ierusalem lucernis, et visitabo super viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, et non faciet male, et erit domus eorum deserta etc.

Sic et dictum Amos intelligatur: Tristis querela est de concursu multarum calamitatum. Non est malum poenae, quod non fecerit Dominus in civitate, id est, Deus omnibus generibus calamitatum, bello, fame, lue et variis aerumnis nos punit.

Sic et apud Iesa. capite 45. Ego Deus faciens pacem et creans malum, de rebus secundis et poenis intelligatur.

Tertium argumentum.

Determinatio divina est immutabilis,
Omnia contingentia sunt determinata in mente divina,
Ergo omnia contingentia sunt immutabilia, et per consequens necessaria.

Respondeo ad maiorem: Ex determinatione divina, tantum necessitas consequentiae sequitur, et aliter intelligenda est determinatio eventuum bonorum, quos vult Deus: Aliter malorum eventuum, quos non vult, sed permittit.

Deus determinans hanc: Mortui resurgent: vult hanc resurrectionem, et condit decretum ne fiat oppositum, At determinans istam: Nero interficiet Paulum, non vult hanc saevitiam, sed permittit et determinat metas furorum Neronis, ut de Sennacherib dicitur 4. Regum 19. Ponam hamum in labiis tuis et reducam te.

Quartum argumentum.

Causae secundae non agunt sine prima,
Ergo cum secundae agunt, necessario primae simul agunt.

Simplicissima et expeditissima responsio est, secundas non agere sine prima sustentante, quae tamen liberrime concurrit, agit quantum vult et quatenus vult, et aliter concurrit in regendis motibus coelestibus, in regenda dextra Davidis praeliantis, et aliter in sustentanda substantia Saulis, cui praebet vitam tantum, tantisper donec vult, cuius voluntas habet suam quandam et propriam actionem, non impellitur ad mala a Deo: necesse est enim discerni Deum a creaturis, essentiam increatam ab essentiis creatis. Item diversos modos agendi, modum agendi naturaliter uno modo, et modum agendi libere.

Quintum argumentum.

Citantur dicta ut Ephe. 1. Electi secundum propositum eius, qui facit omnia secundum consilium voluntatis suae, et 1. Corinth. 12. Item est Deus agens omnia in omnibus. Hic monendi sunt iuniores, haec dicta non loqui Physico more, de omnibus motibus materiae et omnium animantium. Sed tantum de bonis et salutaribus actionibus in Ecclesia: Sicut hoc dictum, Ego sum vitis, vos palmites, Sine me nihil potestis facere, scilicet salutare vobis et Ecclesiae. Sunt autem testimonia et consolationes dulcissimae, quae affirmant Deum et Dominum nostrum Iesum Christum vere adesse Ecclesiae, et ei opem ferre, et velle ut petamus et expectemus auxilium divinum, sicut inquit Dominus: Petite et accipietis. Item, Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum peten-

tibus. Sicut Ecclesia servatur in diluvio, et postea in mari rubro, sicut servantur tres viri in fornace Babylonica. Ita semper Ecclesiam servat Deus mirandis operibus, etiamsi non eodem modo incurrunt in oculos hominum, illi qui servantur coguntur fateri se liberatos esse.

Haec igitur dicta admoneant nos de infirmitate nostra, de magnis periculis, de certaminibus et auxilio Filii Dei, qui inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Oves autem meae vocem meam audient, et accendamur ad curam et invocationem etc. Non detorqueantur haec dicta ad Stoica deliramenta quae impediunt invocationem, et languefaciunt in regendis moribus diligentiam.

Sextum argumentum.

Saepe citatur et Ieremiae dictum: Scio Domine, non est hominis via eius, etc. Confessio est infirmitatis nostrae in regenda via, id est, vocatione. Sunt autem multae causae impedientes. Nam et mens in consiliis saepe errat; sicut errabat Iosias movens bellum non necessarium. Erraverunt Pericles et Demosthenes suadentes bella non necessaria et exitiosa patriae, et omnes historiae plenae sunt talium errorum. Ideo dictum est: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant etc. Hinc vero non sequitur, quod non sit libera electio. Item, Vana salus hominis. Stultorum infinitus est numerus. Ovidius: Proh Superi quid non mortalia pectora cogis etc. Cicero: O me nunquam sapientem. Nihil homini facilius est quam labi. In Hesiodo homines finguntur Epimethei. Plautus: Quem poenitet non peccavit etc. Praeterea foris multa sunt impedimenta consiliorum, saepe mutantur subito occasiones, nec semper respondent eventus. Multa accedunt inextricabilia humano consilio ut David exul, humano consilio non potest restitui. Denique multi experiuntur errores et alia impedimenta. Agnoscamus igitur infirmitatem nostram, et a Deo petamus auxilium. Hoc monet Ieremias, nec inde sequitur Deum esse causam peccatorum.

Septimum argumentum.

Salomon inquit: Homo praeparat animam. Deus gubernat linguam, in hoc dicto utile est monere discentes, discernendam esse electionem, quae est in voluntate ab eventibus qui sunt extra nos. Cum Iosias bellum eligit, ea electio est voluntatis opus, et fit libere et contingenter, sed ad eventum concurrunt aliae multae causae, nec pendet eventus a sola Iosiae voluntate. Etsi igitur saepe eventus non congruunt cum voluntate eligentis aliquid, tamen non propterea sequitur nullam esse libertatem voluntaris et nullam contingentiam. Praeterea in deliberatione humana, quanquam ipsa electio seu proaeresis libera est, tamen saepe antecedit error, ut Pericles et Demosthenes suadent bella, et libere eam sententiam eligunt moti argumentis probabilibus, quae tamen non erant firma, sed collecta erant ex causis non sufficientibus. Sicut Demades inquit: Demosthenis consilium fuisse ὀνόμασι καλὸν, οὐ σωτήριον ἔργοις.

De causa octavum argumentum.

Citatur et hoc dictum ex Proverbiis Salomonis capite 16. Omnia facit Deus propter se ipsum, etiam impium ad diem malum. Hic Syntaxis Grammatica consideretur, et particula: propter se ipsum. Nequaquam enim cogitandum est, Deum esse causam peccati in voluntate impia propter se ipsum, sed Deus punit impium propter se ipsum, ut videlicet conspiciantur testimonia iudicii et iustitiae Dei. Sit igitur haec Syntaxis: Deus facit impium ad diem malum, id est, ordinat impium ad poenam, eaque ordinatio fit propter Deum, et gloriam Dei, videlicet, ut conspiciatur iustitia Dei. Est igitur hoc dictum asseveratio de providentia, quod videlicet futurus sit aliquando finis horribilium furorum in genere humano, quia Deus iusto iudicio ordinavit impios ad poenam.

Nonum argumentum.

Matth. 10. Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex eis non cadet super terram sine patre vestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Hanc dulcissimam promissionem de protectione divina detorquent quidam ad Stoicam necessisatem, qui sic argumentantur.

Cum passerum motus fiant a Deo, sequitur omnium rerum motus a Deo fieri bonos et malos.

Sed simplex et verissima responsio est: dictum Christi est doctrina et asseveratio de providentia et conservatione creaturae, et de protectione et conservatione Ecclesiae. Verissimum est Deum omnia praevidere, inspicere et iudicare, ut Psalmo 32. dicitur de providentia: De coelo respexit, videt

omnes filios hominum, et intelligit omnia opera eorum. Etsi autem praevidet omnia, non tamen vult, nec efficit, nec adiuvat, nec approbat peccata, sed tolerat donec punit, nec praevisio cogit voluntates creaturarum, ut faciant peccata, multo minus dicta de conservatione naturae confirmant Stoicas imaginationes, Deus vult hoc bonum conservationem naturae, ut dicitur, in ipso vivimus, movemur et sumus etc.

Psalm. 35. Homines et iumenta, servabis Domine: Nec inde sequitur Deum velle aut facere peccata in homine, unus ex passeribus non cadet super terram sine patre vestro, scilicet sciente et permittente. Quia utrumque verum est, quod et praevidet omnia Deus, et naturas servat liberrima voluntate donec vult etc. Non igitur intereunt nisi ipso deserente eas. Deinde fallacia est a non causa ut causa, praevidet, ergo efficit peccatum. Item servat naturam, ergo efficit peccata. Haec non recte contexuntur. David servatur, non quia Deus velit peccatum, sed ut postea redeat ad poenitentiam, multo minus promissiones de protectione Ecclesiae detorquendae sunt ad Stoica deliramenta, Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Item, Nemo rapiet oves meas de manibus meis. Talia dicta promittunt beneficia, et tantum de bonis actionibus Dei loquuntur, quas Deus liberrima voluntate efficit et exhibet, ut ostendat de sese testimonia, nec ex particulari extruenda est universalis propositio, Omnia bona et mala necessario fieri a Deo. Recitavi fontes doctrinae de Contingentia, quos considerare utile est, ut discernantur gradus actionum, et causae, et considerentur opera et dona Dei, quae actiones fiant proprie a voluntatibus Diabolorum et hominum, et removeantur Stoica deliramenta, quae sunt contumeliosa contra Deum, et perniciosa moribus, et impediunt invocationem et diligentiam regendi mores. De his tantis rebus iuniores praemonendi sunt, ne applaudant istis, qui Stoicas opiniones in Ecclesiam invehunt, et quidem in invocatione necesse est considerare Deum esse agens liberrimum, quod multa in causis secundis sua bonitate leniat.

DE CREATIONE HOMINIS.

Narratio de creatione hominis in Mose semper in conspectu sit omnibus, et confirmandae fidei causae, et ut aliquo modo res maximas consideremus, quarum doctrina ibi traditur. Cum autem postea de peccato dicendum sit, necesse est prius dici, qualis sit conditus homo ante peccatum. Etsi autem nec angelorum nec hominum sapientia perspicere potest consilium Dei, quare et quomodo res sic condiderit, tamen initia huius sapientiae cogitanda sunt, sicut patefecit ea Deus, ac supra dixi causam finalem esse creationis angelorum et hominum, quia Deus vult habere creaturam, cui communicet sua summa bona et se ipsum, vitam, lucem, sapientiam, iustitiam et laetitiam aeternam.

Est igitur causa impulsiva in voluntate Dei liberrima ipsius bonitas. Vicissim autem sequi debet in angelis et hominibus celebratio Dei, ut Dominus inquit: Luceat lux vestra, ut glorificetur Pater vester coelestis.

Qualis autem conditus sit, docent verba: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Intelligunt autem aliqui imaginem et similitudinem Dei naturam humanam, quam fuerat assumturus Filius, id etiamsi recipitur, tamen in illa natura oportet intelligi non tantum corpus, sed simul principalia in homine, scilicet mentem, in qua voluit Deus lucere veras notitias de se ipso et de sua Lege, voluntatem rectam, libertatem electionis, et flammas virtutum. Simus igitur contenti usitata enarratione, quae ex Paulo sumta est, imago et similitudo Dei in homine sunt mens et verae noticiae et voluntas recta incensa flammis virtutum, dilectione Dei et aliis virtutibus, et libertas electionis. Sicut Paulus loquitur ad Coloss. 3. Induite novum hominem, qui renovatur ad imaginem eius, qui condidit eum etc. Ephes. 4. Induite novum hominem, qui secundum Deum conditus est in iustitia et sanctitate veritatis.

Consideremus igitur bona attributa hominibus in creatione, fulgebat in mentibus lux excellens de Deo, et notitia Legis, et firma assensio seu fides amplectens promissiones et minas Legi additas. Deinde universi huius opificii mundi, motuum coelestium humani corporis, animantium, et plantarum cognitio. Postea et in voluntate et in corde rectitudo et consensus erat congruens cum notitiis divinitus insitis, quae sunt radii divinae lucis in nobis, Et erat omnium virtutum copulatio, timor Dei, vera fiducia et vera dilectio Dei et hominum, nulli aberrantes motus a notitia Legis, sed ardebat in corde amor iustitiae, veritatis, beneficentiae, castitatis, et simul erat libertas electionis non impedita. Ac his pulcherrimis dotibus intelligebant se ornatos esse primi parentes, ut agnoscerent esse eas testimonia de Deo, ex quibus discerent, et esse Deum, et qualis sit, et qualem velit esse obedientiam. Sic ornatus est homo in creatione, et placuit Deo, quia textus expresse dicit: Vidit Deus omnia quae fecerat, et valde erant bona, id est, a Deo condita et certo modo ordinata, et placentia Deo. Ac magis intelligebant se placere Deo, quia Deus prodiens ex arcana sede alloquitur eos ex-

presso verbo. Benedicit eis, iubet eos dominari caeteris rebus, addit exercitia obedientiae de pomo et de lege Coniugii. Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas et una foemina inseparabiliter iuncti. Talis autem esset homo et placeret Deo, insuper Deus habitaturus esset in eis, et tantisper in eis habitabat, donec verbum fide retinebant. Nam per Verbum et Fidem habitat Deus in hominibus, iuxta dictum Pauli ad Ephesios: Habitat Christus per Fidem in cordibus vestris. Iohan. 4. Si quis diligit me, sermones meos servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

Sic igitur erat homo imago Dei, non solum quia erant in homine intellectus, voluntas, libertas, sed etiam quia in intellectu fulgebat agnitio Dei in voluntate et corde, motus erant congruentes cum Deo, iustitia, laetitia, imo quia ipse Deus per Verbum et Spiritum sanctum in nobis habitasset, et vivificasset nos.

Hac simplici enarratione de imagine contenti simus, et dictum Pauli, cum ait de Renovari imaginem Dei in nobis intelligatur de restitutione lucis divinae, iustitiae et laetitiae in nobis, in qua restitutione, homines rursus fiunt templa Dei. Grati autem agnoscamus et celebremus immensam bonitatem Dei, et amorem erga nos, et petamus, ut Fides et Gratitudo in nobis accendantur, et confirmentur. Sic condidit nos Deus, ut earum rerum, quae sunt in ipso optimae, similes in nobis creaverit, scilicet mentem et sapientiam, voluntatem et iustitiam, et libertatis electionem, praeterea ut se ipsum in nos infuderit, et voluerit mutuam laetitiam esse in nobis suam et nostram, ergo verissime dilexit hominem sic conditum.

Postea rursus cogitemus, quanta bonitas, quantus amor sit in Filio Dei erga nos, postquam prima dona amisimus, quod fit intercessor, et vult hanc humilitatem, ut assumat humanam naturam, quanta item misericordia est in tota divinitate, quod Filius constituitur Mediator, et propter eum recipitur genus humanum, et rursus homo fit templum Dei, et aeternus Pater, et Filius copulant nos ibi Spiritu sancto, qui est amor et laetitia substantialis, quae divinitas nos diligit, et vicissim accendit laetitiam et omnes virtutes in nobis. Haec testimonia immensi amoris quotidie consideranda sunt, et petendum est, ut in nobis Fides et Gratitudo crescat.

Augustinus sic enarrat imaginem, ut tantum potentias numeret, et accommodet ad personas, Pater aeternus est ut mens, Filius ut imago cogitatione genita, Spiritus sanctus, ut voluntas, sed imagines a nobis cogitatae et motus nostri non sunt ὑφιστάμενα, ut alibi copiosius dicitur. Haec breviter addidi, quia nunc in hac tanta caligine, doctrina de imagine obscurior est. Sed erit illustrior, cum divinitas coram conspicietur, et erit omnia in omnibus. Interea tamen elementa huius doctrinae inchoanda sunt, ut bonitatem et misericordiam Dei consideremus, et ut doctrinam de peccato originis rectius intelligamus, imaginis integritas amissa est, ut mox dicemus. Caeterum prodest hic nosse distributiones potentiarum animae, quas petant iuniores ex iis scriptis, ubi ordine recitantur.

DE LAPSU PRIMORUM PARENTUM ET DE PECCATO ORIGINIS.

Etsi non penitus perspicitur Creatio, tamen etiam ratio naturalis aspiciens pulcherrimum ordinem corporum mundi in homine, notitias certas numerorum, legis, et alias, convincitur, ut fateri cogatur, esse Deum sapientem, veracem, beneficum, iustum, conditorem et iudicem, ac utile est saepe testimonia Physica considerare, Sed doctrina de lapsu primorum parentum, et de peccato originis, et de causis horribilium calamitatum in genere humano longius posita est extra conspectum humanae rationis. Patefacta est igitur in Ecclesia in scriptis Propheticis et Apostolicis, et tantum ex patefactionibus divinis cognoscuntur principales causae malorum, et remedia. Cum aspicimus calamitates humanas, mortem, morbos, dolores, innumerabiles, neces multiplices, bella, magnarum urbium excidia, gentium dissipationes, et vastationes, monemur quidem, ut cogitemus tristem aliquam et magnam causam esse tantarum miseriarum in tam praestanti natura generis humani, sed quae sit prima et potissima causa, non scit humana ratio sine verbo Dei, Voluit autem Deus, has tantas poenas commonefactiones esse de suo iudicio, de Verbo et de misso Redemtore.

Sed Philosophi utcunque intuentur propinquas causas, non primam, dicunt mortem et morbos, oriri a materia, cur autem materia hominum nunc habeat tales vices, quales habet materia plantarum aut pecudum, non dicunt.

Dicunt item multa mala accersi libera voluntate hominum, sed non ostendunt causam, cur tanta sit imbecillitas voluntatis, et unde sit discordia recti iudicii et cupiditatum, horribili impetu pugnantium cum recto iudicio. Haec sola doctrina Ecclesiae exprimit primam et principalem causam omni-

um periculorum et calamitatum, videlicet lapsum primorum parentum et reatum ac depravationem in posteris propagatis ex Adam et Eva, communi ordine naturae, quia cum post lapsum amisissent priora dona, et integritatem, deinde propagarunt tales quales erant ipsi, ac narratio de lapsu extat in 1. lib. Moisi cap. 3.

Sed rursus vociferantur homines impii: Etiamsi primi homines discesserunt a mandato Dei, quid hoc ad posteritatem, cur posteritas rea est? Propter tales cavillationes Pelagiani et multi alii negarunt aliquid esse peccatum Originis, alii valde extenuarunt: sed nos teneamus dicta Prophetica et Apostolica, quae affirmant posteritatem ream esse, et homines nascentes secum afferre in hac ipsa natura multa horribilia mala pugnantia cum Lege Dei, videlicet in mente caliginem et dubitationes de Deo: In voluntate et corde aversionem a Deo, amorem nostri sine Deo, et multiplicem contumaciam adversus Legem Dei.

Romanorum 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per Peccatum mors, et sic in omnes homines mors pervasit, eo quod omnes peccaverunt.

Item Ephes. 2. Eramus natura filii irae, id est, proprii damnationis, id est, rei et damnati. Et Psalm. 30. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, quibus verbis affirmat Propheta, peccatum esse propagatum a parentibus, et illustris imago proposita est de viatore saucio Lucae 10. in qua voluit Dominus considerari magnitudinem malorum nostrorum et causam et salvatorem. Ait hominem, id est, primos parentes descendisse ex Ierosolyma, id est, ex statu, in quo erat iustitia et pax, ad Iericho, id est, fragrantiam pomi, et a latrone Diabolo oppressos esse, ac spoliatos ac vulneratos esse, spoliati sunt, id est, facti sunt rei, avulsi iam a Deo, et desierunt esse domicilium Dei, amiserunt lucem notitiae Dei, quae antea in eis fulserat, verbo in ipsis habitante, et amiserunt dilectionem Dei, et congruentiam voluntatis et cordis cum Deo, quae regebatur Spiritu sancto, amiserunt et vitam. Sunt et vulnerati in mente, iam sunt tristissimae dubitationes de Deo, in voluntate et corde contumacia contra legem Dei, et fremitus contra Deum coniuncti cum horrendis doloribus et morte. Haec mala non sanantur per sacerdotem et Levitas, id est, per Legem, sed sanantur per Filium Dei, qui ibi nomine Samaritani dulcissime pingitur, qui recipit gentes et Iudaeos.

Definitio.

Priusquam autem definitionem propriam peccati originis tradimus, initio nota sit definitio peccati in genere conveniens originali et actuali peccato, quia recte vocabulum peccati intelligi oportet. Extat autem generalis descriptio in 1. Epistola Ioan. capite 3. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Peccatum est quicquid est contra Legem Dei. Haec descriptio recte intellecta, concinna est, quia privationes hoc modo describuntur collatae ad normam quae regit contraria.

Est autem Lex, Sapientia immota in mente divina, quae est norma iustitiae divinae nobis patefactae, et idem est dicere, Peccatum est quiddam contrarium Legi Dei, et peccatum est quiddam menti et voluntati Dei contrarium, et reatus comprehenditur in nomine Legis, quia Lex expresse damnat omnes non habentes integram obedientiam, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non manet in omnibus quae sunt scripta in Lege, neque tamen reprehendo, si quis addat haec verba.

Peccatum est quicquid est contra Legem Dei, propter quod et persona rea est irae Dei et aeternae damnationis, nisi fuerit facta remissio propter Mediatorem.

Prorsus idem dicit definitio generalis quam antea tradidi. Peccatum est defectus vel inclinatio vel actio pugnans cum Lege Dei, offendens Deum et commerens iram Dei, faciens personam ream aeternae damnationis, nisi fiat remissio propter Mediatorem. Sed utamur verbis Iohannis, et ea dextre intelligamus. Monachi nullam generalem definitionem tradunt, quia dicunt Legem de actualibus peccatis dicere, quod falsum et vanum est. Pelagiani etiam hac cavillatione utebantur, dicebant hanc vocem, originale, novam esse, et fingi vocabulum et rem novam. Sed Ecclesia distinctionem originalis et actualium recepit, ut adversarios magis refutare posset, nec res nova fingitur, sed manifestis testimoniis divinis affirmatur esse malum in nascentibus ex commixtione maris et foeminae, quod Deo displicet, et est causa mortis et peccatorum actualium.

Paulus Periphrasi usus est cum inquit: Omnes sumus natura filii irae, et vocabulum naturae, vicinum huic recentiori originali, alibi nominat concupiscentiam in membris.

Nunc recitemus definitionem peccati Originalis, nec mihi displicent usitata verba, modo dextre intelligantur. Peccatum Originale est carentia iu-

stitiae Originalis debitae inesse. Intelligatur autem carentia iustitiae non solum reatus, sed etiam absentia primae lucis et rectitudinis, quae fulsit in homine, cum adhuc esset imago Dei incorrupta, et templum Dei ante lapsum. Ideo definitionem aliquo modo planiorem addimus, Sicut Hugo inquit: Peccatum Originis est ignorantia de Deo in mente, et inobedientia in voluntate et corde.

Nos sic dicimus: Peccatum Originale est reatus propter lapsum primorum parentum, et propter defectus et pravas inclinationes, quae secutae sunt lapsum in omnibus nascentibus ex commixtione maris et foeminae, et sunt mala pugnantia cum Lege DEI, et merentur aeternam damnationem, nisi fiat remissio propter Mediatorem.

UBI SIT PECCATUM.

Non tantum in corpore hominis sunt haec mala nobiscum nascentia, defectus et pravae inclinationes, sed simul sunt in anima et corpore, videlicet in potentia cognoscente, tenebrae et dubitationes de Deo. In potentia appetente et corde, absunt bonae inclinationes, amor Dei et timor Dei, et insunt pravae inclinationes, iniustus amor nostri, superbia, errantes appetitiones multiplices, id est, totus homo, anima et corpus, post lapsum desiit esse domicilium Dei, et cum non fulgeat Deus in hominibus, sunt in eis tenebrae, et multiplex ἀταξία.

Causae efficientes Peccati.

Causae efficientes primi lapsus sunt Diabolus et voluntas hominis, propria libertate avertens sese a mandato Dei, et assentiens Diabolo. Dicuntur autem efficientes causae, quae merentur aliquid. Sic Adam et Eva sunt causae efficientes, id est, merentur reatum et pravitatem posteris, quia primis parentibus donata erat integritas, ut eam toti posteritati conservarent: Et in hoc ipso certamine repraesentant Adam et Eva totum genus humanum. Sunt item efficientes causae, quia propria libertate excutiunt Verbum et Spiritum Sanctum, et ita omittunt dona conservanda toti naturae.

De Subiecto.

Ubi sit peccatum Originis.

Causa formalis peccati.

Iam dixi de formali Peccati, recte et erudite dicitur, quod sit reatus. Fundamentum autem huius relationis est ipsum vitium in hominibus, ibi quoque proprium vitii formale est defectus. Haec recte institutis non sunt obscura.

Praetera discerni oportet in hominibus organa et appetitiones, quatenus a Deo conditae sunt, a defectibus, seu ἀταξία, quae accessit ad opera Dei, ut potentia generandi est opus a Deo conditum et ordinatum, sed ἀταξία seu ordinis turbatio deinde accessit, quae est vulnus seu laceratio in opere divino.

Discernendae sunt etiam notitiae verae, quas Deus vult esse reliquas in natura hominum, ut notitiae Legis et artium, quae revera sunt opera et dona Dei, et a dubitationibus de Deo, et reliqua caligine.

Fines autem sunt universa destructio humanae naturae, quia Deus iustus destruit creaturam iniustam. Sequuntur ergo mors, et omnia mala corporis, et deinde aeternus dolor naturae abiectae. Item omnia peccata actualia. Item tristissima servitus, qua homo subiectus est tyranno Diabolo.

Considerata igitur naturae depravatione, intelligitur unde sit malum, de quo aliter doctrina Ecclesiae, aliter doctrina Philosophica loquitur, ut Philosophia cogitat, solam materiam esse mortis causam, Doctrina Ecclesiae docet, principalem causam esse peccatum, ut Rom. 5. dicitur: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors.

Hic brevissime de usitata quaestione dicamus, an in renatis in hac vita reliquum sit peccatum. Monachi contendunt in infantibus baptizatis non esse peccatum, et malam concupiscentiam, quae reliqua est, dixerunt tantum esse malum poenae, neo esse aliquid pugnans cum Lege Dei. Nos constanter dicimus illa mala, quae reliqua sunt, caliginem in mente, et dubitationes de Deo, et in voluntate fremitus contra Deum, et multiplicem aversionem, quae mala omnia comprehenduntur nomine concupiscentiae, Roman. 7. esse mala pugnantia cum Lege Dei, sicut Roman. 7. expresse dicit. Item Rom. 8. Sensus carnis inimicitia est adversus Deum, et ex definitione Iohannis perspicua est confirmatio: Peccatum est quicquid est contrarium Legi Dei.

Concupiscentia est contraria Legi Dei, ut Paulus Rom. 7. dicit: Est igitur peccatum: Et omnium Sanctorum confessio idem docet, ideo Iohannes inquit: Si peccatum non habemus, nos ipsi decipimus, et veritas non est in nobis.

Cum autem obiicitur, quomodo dicis manere peccatum, cum in Baptismo tollatur, vere respondetur tolli reatum actualem, sed morbum adhuc manere, quanquam sanatio inchoatur, sicut supra de saucio viatore dictum est, cuius vulnera obligantur: sic Remissione peccatorum tegitur peccatum in nobis, sed vulnera nondum prorsus sanata sunt, erit autem integra sanitas in vita aeterna.

Haec explicatio vera est, et recte instituti intelligunt in vocabulo Relativo peccati discernendum esse reatum a fundamento. Limes est lapis, etsi non amplius distinguit agrum, ita concupiscentia est malum pugnans cum Lege Dei, etiam cum reatus actualis tollitur, et propter Mediatorem non imputatur amplius malum ad damnationem, Sicut Psalmus inquit: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Nec est λογομαχία inter nos et Papistas, de re certamen est: ipsi furenter contendunt malam concupiscentiam non esse malum pugnans cum Lege Dei. Item dicunt, Lege tantum actualia delicta postulari. Ita intelligunt Legem Dei tantum Pharisaice de actionibus.

Sic deleta vera doctrina de Lege et de peccato, postea delent veram doctrinam, de gratia et de iustitia fidei, et fingunt Legi satisfieri posse, et sequuntur aliae magnae tenebrae, necesse est igitur errores Papisticos taxari, et facilis est refutatio recte institutis.

Detestanda est etiam Synodi Tridentinae perversitas, quae ut offunderet praestigias oculis, ludit ambiguitate, ait non esse proprie peccatum in renatis, cum tamen hoc velint, non esse malum pugnans cum Lege Dei.

Distinctio peccati.

Etsi sermo Propheticis et Apostolicus plerumque peccati nomine et originale et actualia complectitur, tamen postea motis certaminibus, cum Pelagiani contenderent, nihil esse peccatum, nisi delicta actualia, necesse fuit uti duabus appellationibus, hanc admonitionem de appellationibus considerare utile est.

Supra autem tradidimus communem definitionem peccati in genere, Deinde definitionem peccati originalis, quod recte dicitur esse carentia iustitiae originalis, id est, non esse templum Dei, non habere lucem in mente, non ardere dilectione Dei, non habere ordinem in voluntate et corde, qualis erat cum adhuc essemus templa Dei.

Deinde sciendum est in hac misera natura post lapsum esse gradus rerum et actionum. In mente sunt adhuc aliquae verae notitiae, ut numerorum, Legis moralis, et aliae verae artes, quae sine ulla dubitatione sunt suo genere res bonae, videlicet conditae a Deo in natura humana, sicut vita, lumen in oculis, calor naturalis, nutritio, generatio, facultas in nervis et spiritibus, ad ciendum sensum, et motum localem, Libertas eligendi actiones externas, ut ingrediendi in aquam vel non ingrediendi, admovendi poculum ori aut non admovendi. Item στοργαὶ in corde et virtutes Heroicae. Hae non sunt suo genere peccata, et in renatis quia melius reguntur, fiunt bona opera.

Sic de disciplina iudicetur, quae est iuxta notitias Legis regere locomotivam, ut Hippolytus scit praeceptum: Non attingas novercam, huic notitiae voluntas obtemperans, mandat locomotivae, ne attingat novercam. Haec frenatio non est suo genere peccatum, sed quando non praelucent fides, et vera agnitio, et invocatio. Ita disciplina est peccatum per accidens, quia persona non est reconciliata Deo, et disciplina non regitur luce Dei et agnitione Mediatoris, sicut de Pharisaeo dicitur Lucae 18. Nec existimentur esse levia mala, dubitationem de Deo, malas opiniones de Deo, fremitus adversus Deum, et alias multas errantes flammas etc. Alius est gradus videlicet actiones interiores et exteriores suo genere pugnantes cum Lege Dei, ut adulterium, vel errantes flammae libidinum. Hae actiones dicuntur proprie actualia peccata, et omnes tales actiones in non renatis, sunt peccata mortalia seu regnantia.

Est igitur haec prima distinctio peccati. Aliud nominatur Originale, aliud Actuale. Postea cum de renatis dicitur, sequitur alia distinctio. Aliud est Veniale, aliud Mortale.

Veniale est, quod quanquam est suo genere peccatum, tamen remittitur renato, qui repugnat huic malo, et credit sibi remitti suam infirmitatem propter Mediatorem, et non excutit Spiritum sanctum, ruens contra conscientiam, aut assentiens impio dogmati. Fiunt igitur Venialia in renatis, retinentibus fidem et bonam conscientiam naturalis morbus, et interiora actualia peccata, scilicet vitiosi

affectus, quibus tamen repugnant renati, et multi lapsus ignorantiae et omissionis.

Hic etiam necesse est taxare tetrum errorem Monachorum, qui nimium extenuarunt peccatum Veniale, et finxerunt esse actionem praeter Legem Dei, non contra Legem Dei. Nos sciamus etiam haec quae in renatis nominantur Venialia, esse mala pugnantia cum Lege Dei, ut dubitationes, errantes flammae vitiosorum affectuum, quibus tamen renati repugnant. Quando autem hi qui fuerant renati, labuntur contra conscientiam, aut amittunt fundamentum, id est, assentiuntur impiae doctrinae contra articulos fidei, seu ignorantia defendant falsa, seu scientes, propter talia facta lapsus amittit gratiam et Spiritum sanctum, et rursus fit reus aeternae poenae, et ruit in aeternos cruciatus, nisi rursus fiat conversio ad Deum: Talis lapsus iterum est regnans peccatum, et nominatur Mortale, Actuale, quod est videlicet actio interior, seu exterior, pugnans cum Lege Dei, facta contra conscientiam, seu error in articulo Fidei, propter quae mala lapsus rursus fit reus aeternae irae, nisi fiat conversio. Quod enim aliqui contendunt, ut Anabaptistae, et alii, semel renatos non posse amittere gratiam, et Spiritum sanctum, manifestus error est, et necessario reprehendendus, ideo manifesta exempla addam, Adam et Eva erant templum Dei, et erant electi, et tamen revera in lapsu aversi sunt a Deo, et desierunt esse templum Dei, et facti sunt rei aeternae irae, Sicut inquit Paulus: Per unius hominis peccatum intravit mors etc. Deut. 9. Adversus Aaronem valde iratus est Dominus, ut deleret eum, sed pro eo precatur Moises. Matth. 12. Quando immundus Spiritus egressus est ab homine, vadit per loca arida etc. 2. Pet. 2. Cum hi, qui effugerant inquinamenta mundi agnitione Domini etc. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, sin autem actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis. In hoc dicto perspicue traditur discrimen inter peccata, quae sunt in renatis, qui tamen retinent gratiam, et Spiritum sanctum, et alia peccata propter quae amittitur gratia. Tales autem inquit retinere Spiritum sanctum, qui vitiosis affectibus repugnant, id est, qui retinent bonam conscientiam, sicut alibi inquit: Milita bonam militam retinens fidem et bonam conscientiam. Contra vero non retinentes fidem et bonam conscientiam, indulgent vitiosis affectibus, non repugnant, tales condemnantur, haec sententia firmissime tenenda est 1. Corinth. 6. Nolite errare, neque scortatores, neque adulteri etc. et loquitur de his, donec sunt tales, nec reversi sunt ad Deum per conversionem.

Ad hunc gradum pertinere dixi, qui amplectuntur errorem in aliquo articulo fidei, sive scientes, sive ignorantes, quia ignorantia affectata non excusat delictum. Huc pertinent dicta: Qui non credit, iam iudicatus est. Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Idem de affectata omissione dicitur, Nam et de officiis regula tradita est: Hoc requiritur, ut fideles simus, id est, habeamus Proaeresin et conatum recte faciendi officium et diligentiam. Item, Vae mihi, si non Evangelizem, et Matth. 25. iubet Dominus in tenebras eiicere servum inutilem, quamobrem principes Episcopi et innumerabiles alii adversantes veritati, nequaquam sunt excusati ignorantia, sed haec ipsa ignorantia horribile est peccatum, quia mandatum Dei universale et immotum est, ut omnes homines agnoscant et audiant Filium Dei, iuxta dicta: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Psalm. 2. Et nunc reges intelligite. Iohan. 16. Spiritus arguet mundum de peccato, quod non credunt in me.

DE LEGE.

Quod haec sola pars generis humani, quae amplectitur doctrinam Propheticam et Apostolicam, sit Ecclesia Dei, et quod in hac multitudine sola sint electi ad salutem aeternam, illustre testimonium est, quod semper sola haec pars retinuit integram doctrinam legis Moralis, Omnes aliae gentes approbaverunt quaedam scelera contraria Decalogo, ut cultus Idolorum, et vagas ac tetras libidines. Romani etiam approbaverunt homicidia gladiatorum. Hoc testimonium de Ecclesia consideremus, et sciamus semper in vera Ecclesia inde usque ab Adam fuisse integram vocem legis Moralis, et in Ecclesia semper retinendam esse, ei recte de Lege et Evangelio, et de discrimine Legis et Evangelii homines docendos esse.

Secundo necesse est, scire usitatas distinctiones. Aliae sunt Leges divinae, aliae humanae. Legis divinae partes tres nominantur: Lex Moralis, Ceremonialis et Iudicialis. Quid sint autem Leges Ceremoniales et Iudiciales seu Forenses, et quare traditae et rursus abolitae sint, postea brevissime dicam, nunc prius definienda est Moralis.

Lex Dei, quae nominatur puerili nomine Lex Moralis, Est sapientia aeterna et immota in Deo, et norma iustitiae in voluntate Dei, discernens bona et mala, quae est patefacta rationali creaturae in creatione, postea saepe repetita est, et sancita voce divina in Ecclesia, ostendens quod sit Deus, et qualis sit, et quod sit Iudex, obligans omnes rationales creaturas, ut sint conformes illi normae Dei, et damnans omnes, ac denuntians horribilem

destructionem omnibus, quae non congruunt ad illam normam, nisi sit reconciliatio facta propter Mediatorem, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quae scripta sunt in Lege. In Psalmo: Non volens iniquitatem tu es, odisti omnes qui operantur iniquitatem. Nos miseri homines nimis tenuiter cogitamus de Lege Dei, perinde ac si Legem Laconicam de nummo ferreo, aut legem Thebanam de cophino imponendo obaeratis, aut similes res parvas cogitaremus. Sed in magnis doloribus incipimus utrumque cognoscere, hoc iudicium esse sapientiam et iustitiam Dei vere et horribiliter irascentis peccato.

Et quia praecipua capita Legis Moralis seu aeternae, comprehensa sunt in Decalogo, saepe pro appellatione Legis Moralis utimur vocabulo Decalogi, quem tamen sic intelligi oportet, sicut eum enarrant Christus, Prophetae et Apostoli, et sciamus in eo comprehendi omnia praecepta Moralia, ubicunque leguntur in Bibliis. Haec tota sapientia, quae dicitur lex Moralis, est radius divinae lucis, transfusus in creaturas rationales in creatione, qui dicitur Ius naturae, seu leges naturales.

Alii sunt gradus legum in Lege Moisi, Ceremoniales, et Iudiciales seu Forenses, que sunt de externis gestibus, de distinctiore personarum, rerum et facultatum mutabilium, et alias alii externi gestus instituti sunt. Teneamus autem qualescunque descriptiones.

Leges Ceremoniales sunt praecepta de externis gestibus sacrificiorum, de gradibus sacerdotum, de discriminibus ciborum et vestium, qui gestus instituti sunt, partim ut essent significationes, partim ut discernerent personas, partim ut essent exercitia.

Leges Forenses sunt praecepta de distinctione Magistratuum Politicorum, de distinctione et de defensione corporum et facultatum, de iudicibus, et poenarum gradibus. Sunt autem in his quoque multa naturalia praecepta in genere, quae non sunt mutabilia quod ad genus attinet: Sed speciales determinationes sunt mutabiles, ut iuris naturae est, haereditatem ad filios et filias pertinere: sed specialis determinatio in politia Mosaica erat, ut portiones duas haberet maior natu. Ita prudenter consideretur, ubi fiat mentio generis, vel speciei.

Deinde notissima sit communis regula: Leges Ceremoniales et forenses Moisi abolitas esse, et cum sua politia extinctas esse. Huius regulae fontes et causas sciri oportet, et recte intelligenda est, ne turbentur praesentes politiae falsa persuasione, quod oporteat nostras politias regi legibus Mosaicis, Sicut hic error saepe magnos tumultus excitavit.

Causa autem abrogationis manifesta haec est, Deus singulari beneficio constituit politiam Mosaicam, ut esset certa sedes et certa gens, et quasi schola, in qua servaretur doctrina de Filio Dei, et repeterentur promissiones, et adderentur illustrissima testimonia, et in qua certum esset Filium assumta natura humana concionaturum esse, et futurum victimam, et resurrecturum esse, et editurum testimonia doctrinae, quia Deus de his tantis rebus vult nos certos esse, voluit autem postea finem esse huius politiae.

Sunt vero leges Ceremoniales et Forenses ipsa forma politiae. Deleta igitur hac politia, hae leges ad id tempus traditae, etiam destructae et extinctae sunt, ut in Actis et in Galat. perspicuae asseverationes extant de abrogatione harum legum. Principalis autem causa destructionis politiae, et abrogationis Ceremoniarum haec est: Vult Deus intelligi promissionem de Messia afferre aeterna bona, vitam et iustitiam aeternam, non tantum has umbras, Ceremonias, et exigui temporis hospitium, Vult simul intelligi Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci, et tamen mirabiliter servari, vel in politia propria, ut tunc in Israël mirabiliter inter crucem servata est, vel in aliis imperiis, ut in exilio Babylonico quoque servata est Ecclesia.

Quare lex Moralis, cum natura nota sit, tamen promulgata est, et cum haec imbecilla natura non posset ei satisfacere?

Respondeo. Etsi notitiae legis Moralis in creatione in homines transfusae sunt, et adhuc aliquo modo nobiscum nascuntur, tamen post peccatum magna caligo et languida assensio est, ideo Deus semper in Ecclesia inde usque ab Adam repetivit legem Moralem sua voce, et illustribus exemplis poenarum eam sanxit, ut de homicidio in poena Cain, et de confusionibus libidinum in poena diluvii et Sodomorum, et postea maxime illustribus testimoniis promulgata est in Sinai. Quanquam igitur aliquomodo naturae nota est, tamen fit conspectior, edita voce divina: et testimonio divinae vocis commonefacti, agnoscimus hanc legem divinam esse, et naturales notitias hac voce regendas esse. Vult autem Deus Legem notam esse, ut sit doctrina seu testimonium de multis magnis rebus.

Primum docet, quod sit Deus, et qualis sit. Talis est enim ipsius essentia, qualem se esse in lege ostendit, sapiens, verax, beneficus, iustus, castus, servans conformes creaturas, et destruens contrarias, cogitatione harum virtutum discernere debemus iusta et iniusta, et Deum iustum, veracem, castum, ab aliis iniustis, mendacibus et obscoenis naturis.

Secundo, lex docet hanc nostram naturam debere conformem esse Deo, et cum hac conformitate initio conditam esse.

Tertio, monet nos de praesenti miseria: quia enim ostendit, quales conditi simus, et ad quid conditi simus, cum videmus nos legi dissimiles esse, agnoscimus aliquo modo nostram miseriam, tunc praesertim; quando vere perterrefiunt corda voce Legis, ut cum David expavescit voce Nathan obiurgatus, aut Ezechias, cum inquit: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea.

Quarto, Lex monet nos tacite de reparatione humani generis, et de vita aeterna: quia enim Deus repetit vocem legis post lapsum hominis, vult aliquando eam fieri, erit igitur instauratio humani generis, et vita sine peccato. Non enim frustra Lex repetita est, sed tamen doctrina de instauratione naturae alibi in promissionibus de Messia expresse tradita est.

Quinto, Lex est testimonium de Christo, quia et ostendit qualis sit, scilicet habens perfectam iustitiam, qualem Lex describit, et pro nobis ideo satisfaciens iustitiae Dei, quia ipse habet perfectam iustitiam, cum fit victima pro nobis, quam significant typi in sacrificiis Leviticis. Deinde etiam talem iustitiam in nobis inchoat, qualem Lex describit iuxta dictum: Non veni solvere Legem, sed implere.

DE TRIPLICI USU LEGIS.

Magis etiam perspicuum fit, quare lex promulgata et patefacta sit, quando discernuntur tres usus Legis. Primus est paedagogicus seu politicus (hos enim non necesse est discerni) qui est regere externa membra seu locomotivam, ut usitate loquimur, ut externa professio et aliae actiones externae congruant cum Lege Dei. Vult enim Deus coërceri omnes homines etiam non renatos, iuxta dictum: Lex est iniustis posita, et saepe alias recitatae sunt causae, quare externa obedientia sit necessaria, etiam in non renatis, scilicet 1. Propter mandatum Dei. 2. Ad vitandas poenas corporales et aeternas, quia sine ulla dubitatione, atrocia delicta sequuntur atroces poenae, etiam in hac vita, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Omnis anima, quae fecerit abominationes istas, extirpabitur. 3. Propter aliorum tranquillitatem. 4. Ut sit paedagogia in Christum, quia perseverans in delictis contra conscientiam non accipit remissionem peccatorum, nec doceri homines possunt in vita Cyclopica.

Secundus usus principalis est, de quo inquit Paulus, Per Legem agnitio peccati. Item, Lex iram efficit, id est, iudicium quo Deus iram suam ostendit adversus omnia peccata interiora, et horribili terrore opprimit omnes homines, ut inquit Ezech. Sicut leo contrivit omnia ossa mea, quanquam enim multi aliquantisper securi non sentiunt hoc iudicium, tamen tandem sentient, ut Psal. 50. dicitur: Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit etc. Item Ioël. 2. Ante faciem eius ignis vorans, nec est qui effugiat eum: Nam qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: ideo Paulus inquit: Ego aliquando sine Lege vivebam, id est, securus non sentiebam iudicium legis, veniente autem Lege, peccatum revixit et ego mortuus sum.

Tertius usus est in renatis, in quibus crescere poenitentiam necesse, ideo Deus semper in Ecclesia et retinuit et repetivit Legem, ut voce ista ostendatur ac arguatur peccatum. Item renatis opus est testimonio Dei, ut sciant, qui cultus placeant Deo, et manet ordo in tota aeternitate, ut creatura Deo obediat.

DE PRIMO PRAECEPTO.

Sapientia Legis exhauriri non potest, et tamen utcunque initia discenda sunt, ordo in Decalogo tam concinnus est, ut ipsa series praeceptorum de multis magnis rebus nos admoneat. Initium est ab agnitione et dilectione veri Dei, quia ideo conditi sumus principaliter, ut Deus nobis suam sapientiam et iustitiam communicet, et nos vicissim eum agnoscamus, diligamus et celebremus et dilectio mutua copulet Deum et nos, quia amor est copulatio, ideo Paulus inquit: Erit Deus omnia in omnibus. Mox autem in initio discernit verum Deum a commentitiis numinibus, et docet quomodo sit agnoscendus Deus, et monet cogitandum esse, quid, et quem Deum ubi patefactum alloquamur. Quia enim Deum non cernimus oculis corporis, ipse sese Verbo suo et certo opere patefecit, hic igitur est verus Deus et alloquendus qui hic loquitur, et qui eduxit populum ex Aegypto, sicut ait: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, praeter me non est alius. Et hic idem Deus est Abraham, Isaac et Iacob, id est, qui promissionem dedit de venturo Redemtore Patribus. Hic igitur Deus invocandus est, qui se patefecit dato hoc Verbo, et data promissione de Mediatore et factis miraculis, et postea misso Filio, propter

cuius agnitionem omnia miracula facta sunt. Ideo nos iam in novo Testamento, mentione Filii discernimus verum Deum ab omnibus commenticiis numinibus, qui se patefecit misso Filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo et resuscitato, et accedimus fiducia huius Mediatoris, sicut ipse docet inquiens: Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium. Item, Qui me videt, videt et Patrem. Item, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

Haec prima doctrina est primi praecepti, quis sit verus Deus, et quomodo agnoscendus sit et alloquendus.

Secunda doctrina est de cultibus, qui in hoc praecepto describuntur, qui sunt vera et firma agnitio Dei, et credere Deo sine dubitationibus, et perfecte eum diligere. Praecipit enim Lex integram obedientiam iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente, et totis viribus etc. Manifestum est autem homines in hac tristi pravitate naturae plenos esse dubitationum de Deo, et de providentia, et securos non timere iudicium Dei, postea vero in poena irasci et fremere adversus Deum, non ardere dilectione Dei, Sicut Paulus inquit: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Damnantur ergo hoc primo praecepto omnes homines in hac depravata natura, propter tenebras, et horrendam aversionem a Deo, quae ut aliquo modo consideretur, aspiciantur humani furores, qui omnibus temporibus hoc praeceptum manifesta audacia violant, videlicet ἄθεοι et omnes superbi, securi, et leviter curantes iudicium Dei. Item Haeretici infinitis corruptelis ludentes de Deo, Iudaei, Mahometistae, et alii, qui fingunt corruptelas doctrinae. Item Idololatriae, quae fingunt Deos et cultus contra mandata Dei. Item qui invocant homines mortuos. Item Magi qui pacta cum Diabolis faciunt. Item omnes qui in poenis irascuntur Deo, aut dubitant de misericordia, non confugiunt ad Deum, ruunt in desperationem et aeternum odium Dei. Talium peccatorum cum mundus plenus sit, agnoscamus et deploremus hanc tantam miseriam generis humani.

Sequitur autem tertia doctrina, Cum iam intelligamus nos damnari hac Lege, quaestio est, quomodo liberemur ab hac damnatione Legis, et quomodo restituatur in nobis obedientia? quia necesse est tamen inchoari obedientiam in hac vita, sicut Dominus inquit: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Item, Nisi abundaverit vestra iustitia plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non potestis ingredi in regnum coelorum. Respondeo, ne quidem inchoari potest Lex sine agnitione Filii Dei, sicut dictum est, Lex dicit testimonium de Filio Dei.

Primum igitur cum in vera poenitentia aliquo modo agnoscimus nostra peccata, confugiamus ad Mediatorem, et credamus nobis remitti peccata nostra, nos recipi et reputari iustos propter eum, seu eius obedientiam. Hoc cum fit, Filius Dei vere est efficax in nobis, ut per vocem Evangelii cernamus verum Deum, agnita eius misericordia, qui consolatur nos Spiritu suo sancto, qui accendit tales motus, qualis est ipse, scilicet laetitiam in Deo, et dilectionem Dei, qua incipimus nos ei subiicere, iuxta dictum: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Ita fit inchoatio obedientiae per Fidem, agnito Filio, et inchoata obedientia, quanquam procul abest a perfectione Legis, placet tamen propter Mediatorem, in his, qui fide reconciliati sunt, ut suo loco copiosius dicam, atque hic immensa misericordia Dei cogitetur, quod hanc inchoatam obedientiam exiguam, mendicam, sordidam recipit, et ornat tanto honore, ut sacrificia nominet, et sciamus hoc fieri propter Mediatorem, qui sic precatur: Iohan. 17. Sit in eis dilectio, qua me diligis. Ephe. 1. Sumus dilecti in dilecto.

Quarta doctrina. Cum necesse sit inchoari obedientiam, cogitemus quae opera sint prima, quae maxime sensu percipi possunt.

Summum est opus dilectio, quae sic flagrabit in aeterna vita, ut ardentissimo sensu eam percepturi simus. Nunc magis percipiuntur notitiae, fides, timor et fiducia misericordiae, laetitia in Deo, spes et patientia, quae est velle obedire Deo in tolerandis adversis, iuxta mandata eius velle pati contemtum, inopiam, exilia, morbos, supplicia, mortem propter Deum, et in his malis tamen erigi fide, spe, et laetitia in Deo.

David fide cernit misericordiam Dei promissam propter Mediatorem, et agnoscit se Deo reconciliatum esse, et Deum vere adesse illi, et mitigare calamitatem, spe expectat liberationem, et intuens haec bona obiecta, Deum propitium, praesentem, iuvantem, liberantem, laetatur in Deo. Haec sensu percipi possunt, et comprehenduntur in dicto: Iustificati fide pacem habemus, et haec laetitia qua acquiescimus in Deo, est scintilla dilectionis Dei. Cum igitur cogitamus de inchoatione primi praecepti, in nobis hos motus consideremus.

Quinta doctrina. Sciamus hoc quoque, primum praeceptum initium esse obedientiae in caeteris praeceptis, et includi hoc primum praeceptum in omnibus, et obedientiam in caeteris referendam esse ad Deum, iuxta primum praeceptum, scilicet

ideo, quia Deo recte agnito, quem in vero timore et fide invocas, debes hanc obedientiam. Ideo inquit Paulus 1. Corinth. 10. Omnia ad gloriam Dei facite. Et Syrach capite 32. In omni bono opere credas in anima tua, haec enim est observatio mandatorum. Ephe. 3. Per Christum habemus accessum ad Deum.

DE SECUNDO PRAECEPTO.

Primum praeceptum concionatur de luce in corde, videlicet de vera agnitione Dei, et debitis motibus cordis erga Deum. In secundo fit mentio professionis externae, quia Deus vult innotescere doctrina, invocatione, gratiarum actione et confessione. Ut autem in hoc primo praecepto affirmativae orationes sunt et exclusivae, prohibitivae, negativae, ita et deinceps semper affirmativa primi praecepti repetatur et includatur sequentibus, et opponantur affirmativae orationes negativis. Prohibentur abusus nominis illius veri Dei, qui eduxit populum ex Aegypto.

Qui igitur sunt veri usus?

Hi quatuor, vera doctrina, invocatio, gratiarum actio et confessio. Ad omnes modos pertinent laudationes seu hymni, in quibus dicitur qualis sit Deus, et celebrantur eius facta misericordia et ira. Iuramentum pertinet ad invocationem. Quia iuramentum verissime est invocatio, in qua oras Deum, ut sit testis, quod habeas voluntatem non fallendi, quoniam ipse sit inspector cordium, verax, iudex et vindex, et simul petis, ut te vere puniat fallentem. Hac definitione considerata, cogita quantum onus sit iuramentum. Ut autem poena certo sequitur homicidium iniustum in hac vita, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit: ita hic sancitus est ordo divinitus, ut poena sequatur: Non habebit Deus insontem, qui vane usurpaverit nomen eius, quia habens voluntatem fallendi, primum hac re peccat, quod facit Deum testem mendacii, aut omnino negat esse Deum, et esse iudicem, et multae contumeliae Dei contingunt, cum iurans fallit. Ad haec sententiam ipse tibi tulisti, et ad poenam te obligasti, haec diligenter consideranda sunt, ut reverentia iuramentorum confirmetur etc.

Recitatis bonis usibus nominis divini contraria vitia cogitentur, quae sunt innumerabilia, omissio verae invocationis et gratiarum actionis, corruptelae doctrinae. Item, Epicureae blasphemiae et aliae falsae invocationes, ut Ethnicae, ut Papisticae invocationes hominum mortuorum, violatio iuramenti. Item illicita iuramenta, ut cum iurat aliquis se facturum esse opus a Deo prohibitum, hic peccat iurando. Ut cum Monachi iurant se servaturos esse impios cultus, de his tenenda est vera regula: Iuramentum non est vinculum iniquitatis, id est, cum iurat aliquis se facturum esse opus a Deo prohibitum, non addat aliud scelus, faciendo id, quod se facturum promisit.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Ordinem observa. Primum praeceptum de conformitate mentis et cordis cum Deo, de luce in mente et vera notitia Dei loquitur, et de affectibus in corde. Secundum, De externa voce doctrinae et invocationis. Tertium, De Ceremoniis, videlicet de conservatione externi et publici ministerii. Nam Sabbati observatio significat et complectitur universam publici ministerii conservationem, in quo vox doctrinae a Deo traditae in publica et honesta congregatione proponitur, et fit expressa, communis et consentiens confessio et gratiarum actio. Et ut sit nervus aliquis congregationis publicae, semper fuit institutus ritus externus, qui discerneret hanc congregationem ab aliis congregationibus, et ut sit vinculum ostendens hos ad unum cultum convenire, et simili doctrina et invocatione copulatos esse. Vult enim Deus exaudiri vocem suam in genere humano, vult agnosci ab omnibus Filium, sicut inquit: Osculamini Filium, ne quando irascatur Dominus, et pereatis in via: ideo et instituit publicos congressus omnibus temporibus, et ipse eos protegit et conservat, et vult ut singuli hanc conservationem publicorum congressuum adiuvent, ut scriptum est: In conveniendo Reges et populos in unum, ut serviant Domino. Hic intellectus Sabbati diligenter considerandus et illustrandus est, ideo et puerile argumentum explicabo.

Ceremoniae Leviticae sunt abrogatae,
Sabbati observatio est ceremonia Levitica,
Ergo est abrogata.

Respondeo ad minorem. Sabbati observatio quo ad speciem, id est, diem septimum et Levitica sacrificia, et observatio Levitica est abrogata, sed nonquoad genus, quod est principalis sententia

huius praecepti, videlicet quo ad conservationem publici ministerii, et usitate sic dicitur: Tertium praeceptum partim est Morale et perpetuum, partim vero Ceremoniale, id est, observatio Levitica diei septimi et sacrificiorum. Sciamus igitur praecipi in hoc tertio mandato conservationem ministerii Evangelici, quam suo quisque loco adiuvare debet. Etsi autem Ethnici quoque ritus tanquam a Patribus acceptos retinuerunt, tamen hoc praeceptum deleverunt amissa vera doctrina, quia et Legem mutilaverunt, et promissionum prorsus obliti sunt. Sic nunc impii Iudaei, Mahometistae, Ethnici, Papistae, et omnes qui veram doctrinam corrumpunt, violant hoc praeceptum. Item Tyranni, qui ministerium Evangelii, et studia doctrinae opprimunt, aut negligunt, aut docentibus eripiunt mercedem. Item in populo multi qui non adiuvant sua frequentia, et aliis officiis conservationem ministerii.

DE SECUNEA TABULA.

Etsi primum praeceptum, ut supra dixi, omnibus includendum est, tamen certo consilio distinxit Deus tabulas, ut consideremus, ubi immediate cum ipso solo agamus, et ubi foris cum hominibus agatur, quia vult Deus et hanc societatem hominum ordinare, cum velit esse Ecclesiam, vult et intelligi se esse autorem ordinis, conservatorem, iudicem et vindicem huius societatis, vult ex his praeceptis quae loquuntur de actionibus erga homines disci virtutum species, ut sciamus, qualis sit ipse Deus, qualis sit erga nos. Item ut sciamus, quales nos esse velit. Simul autem sciendum est obedientiam in his praeceptis interiorem et exteriorem referendam esse ad ipsum, id est, praestandam in agnitione et invocatione ipsius, et propter eum. Ac de dignitate Secundae tabulae semper in conspectu sit dictum Christi, ubi inquit Matth. 22. praeceptum de dilectione proximi simile esse priori praecepto, de dilectione Dei. Mira profecto vox est, quam quis auderet cogitare, si non esset ab ipso Filio Dei edita? Reverenter autem cogitemus, cur ita dictum sit, eadem divina mens est, quae sanxit hunc ordinem in utroque praecepto, et obligatio in utroque eo similis est, quia nullius creaturae autoritate mutari potest. Illustris autem similitudo eo est, quia in utroque praecepto vult intelligi Christus, non solum prioris praecepti virtutes cultus Dei esse, sed etiam alterius praecepti virtutes et officia, Ideoque vult obedientiam referri ad Deum. Propter tales aliquas causas ornavit Christus alterum praeceptum tanta laude, qua commonefacti nos quoque magnifaciamus hunc ordinem, et hanc obedientiam, quae proponitur in secunda Tabula.

DE QUARTO PRAECEPTO.

Cum autem Secunda tabula ordinet societatem, pulcherrime initio constituitur gubernator. Orditur autem vox divina a primo gradu imperii, scilicet a parentibus qui debent esse regula aliorum gubernatorum, de quibus alibi dicitur Rom. 14. Notum est enim in brevibus dictis Decalogi simul comprehendenda esse praecepta divina, quae alibi prolixius recitantur: quia vero hic de obedientia dicitur, consideres nominari summum gradum obedientiae, videlicet, honorem.

Honos tria complectitur, agnitionem Dei in hoc ipso ordine, Externam obedientiam et ἐπιείκειαν.

Primus gradus honoris est agnoscere vere Dei consilio institutum esse, et a Deo conservari totum hunc ordinem politicum, id est, leges coniugii, leges societatis humanae, et contractuum, et executionem legum, iudicia et poenas, Agnoscere item hunc totum ordinem esse testimonium de Deo, et de providentia, commonefaciens nos, non casu ex Democriti Atomis ortum esse genus humanum, sed conditum esse a Deo sapiente et bono, sicut et legem saepissime dicimus testimonium esse de Deo.

Est enim Lex nervus universae gubernationis. Et Magistratus est vox et executor Legis. Sicut autem verissimum est foecunditatem terrae a Deo institutam esse, et ubicunque et donec manet foecunditas, conservatur a Deo: Sic a Deo est hic ordo Politicus, et quantum ordinis reliquum manet, a Deo conservatur. Sicut enim lupi dissipant gregem, et aliquas oves devorant, sic Diaboli et organa Diabolorum, Tyranni, latrones, seditiosi, et alii scelerati turbant ordinem, sed ut pastor aliquam gregis partem servat, sic Deus manifesta potentia servat aliquid ordinis, et quanquam sinit aliquantisper Tyrannos et Latrones grassari, tamen postea eos tollit, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Haec agnitio iustitiae, sapientiae et praesentiae Dei in Lege, et in ipso ordine politico, et propter Deum magnifacere hunc ordinem, et nolle eum turbare, sed sponte subiicere sese, et Deo gratias agere pro patefactione sua, et pro caeteris beneficiis, et ab eo petere conservationem ordinis, sunt primus gradus honoris.

Iam cogitet homo non effetus, quantas res

complectatur hic primus gradus honoris, et qualis furor sit Cyclopum, qui haec testimonia de Deo contemnunt. Scias etiam, quia Magistratus seu Iudices sunt custodes et executores, dici in Psalmo: Ego dixi, Dii estis, id est, meo decreto sanxi, et verbo manifestavi hanc meam sapientiam et iustitiam Dei. Talia dicta diligenter consideranda sunt, et pertinet huc tota concio Pauli in cap. 13. ad Romanos.

Secundus gradus honoris est externa obedientia debita legibus propter Deum, et communem utilitatem, videlicet, ut communibus officiis conservetur honesta societas, et non dissipetur genus humanum.

Tertius gradus est ἐπιείκεια, qua in tanta infirmitate humana, quaedam incommoda imperiorum moderate toleranda sunt. Cumque in hac praesertim senecta mundi, imperia futura sint magis deformia aut languidiora: agnoscamus huius senectae imbecillitatem, et maiore diligentia et industria foveamus communem societatem, non faciamus sine necessariis causis dissipationem, nec delectemur Alcibiadeis consiliis, ut multi discurrunt, qui alibi alios principes excutere conantur, et somniant aurea secula etc.

Haec brevissime de vocabulo honoris in quarto praecepto diximus. Quanquam autem magnitudo harum rerum nullius eloquentia satis exponi potest: tamen utcunque huius doctrinae initia sciri necesse est, et magnitudo rerum magis conspicietur, cum de hoc ordine legitimae societatis, et de sapientia et bonitate Dei, et de praesentia Dei in genere humano, conservantis honestam societatem, et de furoribus Diabolorum turbantibus hunc ordinem, saepe cogitabimus, et his cogitationibus miscebimus gratiarum actionem et precationem ad Deum. Quia vero multum horribilium confusionum in Imperiis cernitur, obstupescit humana ratio et cogitat universam gubernationem rapi, et retineri hominum violentia, alias alibi, et nullam partem in gubernatione opus Dei esse. Propter haec deformia spectacula, necesse est discerni ipsas confusiones, ab universali conservatione societatis, ac operibus Dei in ipsa conservatione, et necesse est discerni autores confusionum, et Deum autorem ordinis.

Confusionum causae sunt Diaboli, et organa Diabolorum. Contra vero universalis conservationis causa Deus est, qui et ipse genus humanum servat, et retinet aliquid ordinis, coniugia, leges, contractus, iudicia, poenas sceleratorum, et hos aut mediate aut immediate mirandis operibus tollit ipse.

Hoc discrimen mediocriter pingitur in similitudine gregis, in quo etsi lupi grassantur, tamen pastor agmen defendit et lupos depellit. Haec consideratio necessaria est, ut fanatici dogmatistae recte refutari possint, qui damnant in politica vita, simul et vitia et ordinem ipsum, nec discernunt opus Dei ab operibus Diaboli et sceleratorum hominum.

Sciamus igitur ordinem ipsum politicae vitae, rem bonam et opus Dei esse, et propter DEUM ei obediendum esse. Deinde et intuentes tristissima spectacula confusionum in Imperiis, vero dolore afficiamur, et de potentia Diaboli, et de nostra miseria cogitemus, et assiduis votis petamus, ut DEUS autor et custos humanae societatis reprimat Diabolos, sicut precatio inquit Psalmo 7. Surge Domine Deus meus ad praeceptum quod mandasti. Item Psalmo 81. Surge DEUS, iudica terram, quia tu colliges haereditatem ex omnibus gentibus.

DE OFFICIIS MAGISTRATUUM.

In hoc praecepto etiam dicendum est, de officiis gubernatorum. Haec brevissime comprehendenda sunt in hac definitione.

Magistratus est custos Legis. Sciat Magistratus politicus, se custodem debere esse totius Legis, Primae et Secundae tabulae, quod ad externam disciplinam attinet, non tantum ut armentarius defendat corpora, Sciat se vocem Dei debere esse in genere humano, Primum ut fulgeat notitia Dei. Curare igitur debet, ut recte doceantur homines de Deo, iuxta dictum: Aperite portas principes vestras. Debet Magistratus politicus punire blasphemos, et tollere Idola, et non permittere, ut spargantur errores. Recte igitur fecerunt Constantinus et Theodosius, qui Idolorum templa clauserunt et deleverunt.

Ordine autem saepe distribuo praecipua officia Magistratus Politici hoc modo.

I. Simpliciter hoc est officium Magistratus: Sit vox totius Decalogi recte intellecti, quod ad externam disciplinam attinet.

II. Sit executor Legis divinae, legitime puniat vi corporali facientes contra Decalogum.

III. Addat aliquas leges, quae sint determinationes circumstantiarum particularium, non expressarum in Decalogo, nec tamen pugnent cum Decalogo, ut Decalogus in genere dicit: Non furtum facies. Hic Magistratus politicus ostendit modos suc-

cessionum, contractuum, ne fiant furta, et sciamus Magistratum politicum divinitus armatum esse hac autoritate condendi tales leges de rebus politicis, iuxta hoc dictum Proverb. 8. Per me Reges regnant, et Iudices iusta decernunt. Error est enim dicere, Magistratum politicum non habere potestatem condendi illas Leges de rebus politicis. Sed metae certae sunt eius potestatis. Non praecipiat facere contra mandata Dei, non impossibilia. Item: Non instituat cultus Dei, non fingat nova dogmata, ut est Interim, etc. sicut Ieroboam, Nabuchdonosor et alii.

IIII. Sit exequutor etiam propriarum legum. Nam Lex sine executione est inanis sonitus, iuxta dictum Aeschinis: οὐδὲν ὄφελος πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας, nulla utilitas politiae non habentis nervos puniendi scelera.

Peccata contra quartum praeceptum sunt in parentibus ἀστοργίαι, non alere sobolem, non docere, non regere. In Magistratibus: non curare ut populus de Deo recte doceatur, non recte exercere iudicia et poenas, non regere mores, non defendere innocentes, iniusta imperare, afficere alios iniuriis, eripere aliis coniuges, filias, facultates, movere non necessaria bella.

Peccata in sobole, est omnis ἀστοργία erga quoscunque cognatos, ut Cain est ἄστοργος erga fratrem et parentes. Item, omnis ingratitudo adversus quoscunque bene meritos, ut Laban ingratus est genero Iacob, Miles Macedonicus hospiti a quo servatus fuerat in naufragio. Hic miles cum servatoris praedium sibi donari petiisset, re cognita, Rex fronti militis iussit inuri stigmata his literis: HOSPES INGRATUS. Ut autem vitia hic recensentur, quia conspectiora sunt, ita sciamus aptissime virtutes distribui posse in Decalogum, et ex Decalogo, quia quaelibet virtus est obedientia iuxta praeceptum aliquod Decalogi. Sit igitur hic nota simplex et vera definitio gratitudinis.

GRATITUDO est virtus composita ex veritate et iustitia, Veritas profitetur, unde sit acceptum beneficium. Iustitia obligat nos ad mutua officia possibilia. Nam is qui ab altero aliquid accipit, vicissim debet aliquid propter aequalitatem et conservationem naturae. Imo vero ideo debet, quia hic est ordo in mente divina. Et vult Deus Legem et virtutes intelligi, ut sint testimonia quod sit Deus, et doceat qualis sit Deus. Postulat, ut homines grati sint hominibus, ut sciamus nos ipsos etiam gratos esse oportere, id est, primum veraces, agnoscere Deum esse creatorem et datorem vitae et aliorum bonorum, et conservatorem vitae etc. Deinde et obligatos nos esse ad obedientiam. Quia enim vult sese, suam lucem, sapientiam, iustitiam nobis communicare, necesse est nos fieri conformes ipsi.

David est gratus, id est, verax, cum profitetur se adiutum esse a Deo in praelio, et est iustus, id est, obligatus est, ut Deo vicissim tribuat cultum placentem etc. Ita erudite quaerantur causae et species virtutum in praeceptis Decalogi.

Sunt et peccata contra hoc praeceptum in subditis, non obedire iustis imperiis, et sententiis Magistratuum, iuxta dictum: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed propter conscientiam. Item cavillari Leges, non agnoscere, quod Deus sit custos politicae societatis, non agere gratias Deo pro hoc beneficio, non petere a Deo conservationem politicae societatis. In hac brevi enumeratione cogitetur, quanta sit in mundo confusio contra hoc praeceptum.

DE QUINTO PRAECEPTO.

Quintum praeceptum, Non occides, non solum externas corporum iniurias, et privatam vindictam externam prohibet, sed etiam in corde malevolentiam, invidentiam, privatam vindictae cupiditatem, sicut expresse enarrat Christus hoc praeceptum Matth. 5. Econtra vero postulat erga omnes homines benevolentiam, et quidem propter Deum. Nam omnibus praeceptis includitur primum, et tota obedientia in omnibus praeceptis ad Deum referenda est. Praecipitur ergo benevolentia erga omnes homines propter Deum, id est, velle nos et alios homines omnes, ut omnes simus una Ecclesia, et unum in Deo, et omnes recte invocemus et celebremus Deum, et velle omnibus bene esse in corpore et anima, et misericordia affici erga calamitosos, et zelo ardere ad conversionem malorum, vel ad legitimam poenam.

Pertinet autem ad hoc praeceptum, Non occides, exceptio officii Magistratus, quod cum Deus ipse ordinaverit, illa poena non est privata vindicta, sed comprehenditur in hac sententia. Mihi vindictam, et ego retribuam, quia Deus aliquando immediate punit, non per arma Magistratuum, ut ipse Filius Dei incendit Sodoma. Aliquando mediate punit, ut cum Catilina punitur per Consules et Senatum. Huc tota doctrina pertinet de omnibus officiis Magistratuum, de quibus alibi prolixius dicitur.

Hic etiam monendi sunt iuniores, legitima bella, et legitimam militiam pertinere ad officia Magi-

stratuum, et non pugnare cum quinto praecepto. Sed ut summus gradus est potestatis politicae bellum, Ita in maximo abusu est, et rarissima sunt iusta et legitima bella, Sed Diabolus cum sit homicida, et inimicus politico ordini, saepe levissimis occasionibus excitat ingentia bella, incensis animis utrinque iniusta cupiditate. Haec latrocinia tolerat Deus, ut puniantur utriusque partis scelera.

Sit autem haec sapientia in summis gubernatoribus, ut deliberent quae bella sint necessaria, quas iniurias ἐπιείκεια condonare debeat communi saluti, ac praesertim Ecclesiae, Nec serviant bella privatae iracundiae, ambitioni, avaritiae, aut impiae superstitioni, sed sint, ut Abigail nominat, praelia Domini, inquiens ad David: Quia praelia Domini praeliaris, non invenietur in te malum. Et notissimum sit dictum Pindari: ἔα πόλεμον χωρὶς θεοῦ, ἔα μάχαν, Omitte pugnam, omitte bellum sine Deo.

Comprehenduntur hoc praecepto multae virtutes.

Iustitia particularis, quae est nullius corpus iniuria afficere, et ubi possumus innocentes defendere.

MANSUETUDO, quae est lenire iram probabili ratione.

ZELUS, qui est propter gloriam Dei, et iustitiam incendi dolore et ira ad depellendas contumelias, et ad pellendam turpitudinem.

ἘΠΙΕΙΚΕΙΑ, quae est probabili ratione lenire iustas poenas, et oblivisci privatas iniurias, de quibus dicitur: Remittite, et remittetur vobis.

TEMPERANTIA, quae est iustitia debita proprio corpori in modo victus.

DE SEXTO PRAECEPTO.

In sexto praecepto, Non moechaberis, comprehendi necesse est omnia praecepta Dei tradita in scripturis Propheticis et Apostolicis, quae et sanciunt coniugium, et prohibent omnes alias commixtiones, et effusiones seminis, ut in cap. 18. Levitici, recitantur multae prohibitiones, et additur severissima comminatio, Omnis anima quae fecerit aliquid harum abominationum, peribit de medio populi sui. Ephe. 5. Omnis scortator aut contaminatus, non habet haereditatem in regno Christi, et Dei. Nemo vos decipiat vanis sermonibus. Propter haec venit ira Dei super inobedientes. Et ad Hebraeos scriptum est, Scortatores et adulteros iudicabit Deus etc. Haec dicta omnia includantur in hoc sextum praeceptum, et adiungatur enarratio Christi recitata Matth. 5.

Huc et tota doctrina pertinet de coniugio, propria Ecclesiae, et saepissime hoc testimonio nos confirmemus, Cum in sola vera Ecclesia Dei sit integra doctrina de coniugio, et de castitate, necesse est solum hunc coetum esse populum Dei, qui amplectitur Propheticam et Apostolicam doctrinam sine corruptelis, et non alias gentes. Quia impossibile est, aliquem coetum manifeste docentem aliquid contra Decalogum, esse Ecclesiam Dei, ut Ethnici multas vagas libidines et confusiones coniugiorum approbaverunt. Idem nunc Mahometistae faciunt, et Papa.

Prohibitio coniugii, et vota Monachorum causae sunt multorum horribilium scelerum. Sciamus igitur castitatém Deo placentem esse, vel in legitimo coniugio, vel in vita coelibi propter Deum, vitare omnes prohibitas commixtiones et effusiones seminis. Et ad castitatem nos exuscitemus cogitatione mandati divini, et horribilium poenarum temporalium et aeternarum.

Cogitemus etiam, quare Deus tam severe puniat libidines, quod vult intelligi castitatem, ut sciamus ipsum esse mentem castam, puram, et amantem ordinis, et castitatem ostendere illustre discrimen inter Deum, et naturas immundas, Ac in invocatione cogitantes, quod sit Deus, hac virtute eum discernamus a Diabolis. Cogitemus etiam Diabolos immediate odio Dei impellere infirmos homines ad libidinum confusiones. Quare petamus auxilium Dei ad retinendam castitatem, ac Deus eo libentius opem fert petentibus, quia scit Diabolos praecipue propter hanc causam impellere homines ad contaminationem, ut Deus contumelia afficiatur, et plurima fiant displicentia Deo: Fortius igitur reprimit Diabolos Deus, quia scit eos magis odio Dei quam hominum furere. Hae cogitationes saepe miscendae sunt invocationi.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

Cum furtum prohibetur, e regione affirmativa sententia tenenda est. Non enim essent furta, si nulla esset distinctio dominiorum. Ideo sciamus in hoc praecepto sanciri distinctionem dominiorum, et discerni inter propria et aliena, et velle Deum, ut suas quisque res teneat, et ab alieno abstineat.

Hoc illustri et firmo testimonio deliria fanaticorum hominum refutentur, qui magno et pernicioso errore contendunt, in Evangelio tolli rerum proprietatem. Adiungantur et alia testimonia, ut Proverb. 5. Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto solus, et non alii. Discamus etiam recte explicare usitatum argumentum.

> Naturalia sunt immutabilia,
> Communio rerum est Iuris naturalis, ut loquuntur Iurisconsulti,
> Ergo immutabilis.

Respondendum est ad maiorem. Naturalia sunt immutabilia, scilicet, quae sunt praecepti, id est, notitiae naturales, ut numerorum, et alia principia et Legis divinae notitiae, semper manent eadem in natura integra et corrupta, ut alibi copiosius dicitur. Sed naturalia, quae sunt bona utilia, non sunt immutabilia, ut sanitas corporis, fuit donum utile, naturae integrae attributum: Sed mutatum est, postquam homines mersi sunt in peccatum. Ita uti rebus communiter fuit bonum utile, quod fuisset possibile in natura integra, postea non est possibile. Manet autem notitia aeterna et immota in mente: Neminem laedas, non turbes societatem generis humani. Iam plurimi imbecilliores laederentur iniuste, si eriperetur eis victus. Ideo videt ratio distinctionem dominiorum necessariam esse: et Deus eam expresso verbo suo sanxit, et addit defensionem, videlicet Imperia, Magistratus, poenas furantium et rapientium res alienas, ne distinctio dominiorum turbetur. De his fontibus erudite cogitandum est.

Deinde sciendum est, cum talis sit hominum natura, ut alienis laboribus indigeamus, ut in nutricatione infantium cernimus. Item: Ut nemo unus habeat omnia ad vitam necessaria, vult Deus multis officiis genus humanum copulatum esse: Sanxit Deus contractus, et vult res sine iniuriis per contractus communicari.

Oritur ergo ex hoc praecepto, doctrina de iustitia particulari in contractibus, quam sic ordinavit Deus, ut sit aequalitas mercis et pretii, ne videlicet alterutra pars laedatur, et fame pereat. Huius aequalitatis fontes sunt in his dictis: Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Item, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hanc aequalitatem quaerunt leges sapienter scriptae, Et Lex, quae hanc aequalitatem ostendit et praecipit, iusta est.

Ut autem alias virtutes monstravit Deus, ut sciamus, qualis sit ipse: Ita docet nos iustitiam aequalitatem esse, ut sciamus et ipsum, cum sit fons iustitiae, aequalem esse, nec esse in eo προσωποληψίαν, sed aequaliter eum irasci peccato, et aequaliter omnes recipere, confugientes ad Filium. Ideo et Iesaias de Christo inquit cap. 42. Non accipiet personam. Et divus Paulus ait: Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc. Cogitemus igitur in contractibus de hoc praecepto: Non furtum facies, et propter Deum servemus aequalitatem: Deinde eo magis ordinem divinum, et hanc aequalitatem amemus, quia scimus nos a Deo commonefieri de sua aequalitate.

Prudenter etiam iudicandum est de dictis scriptorum, ut cum Augustinus inquit: Iure humano haec villa mea est, non divino. Haec oratio, si intelligatur ut sonat, nequaquam vera est, Nam haereditas quam tibi parentes iuste tradunt, tua est iure divino. Sic res iuste emta, perinde est tua iure divino, non tantum ordinatione regum. Quia distinctio dominiorum divinitus sancita est in praecepto: Non furtum facies. Quod autem dicit, Legibus regum distribui res, hoc sic intelligatur, Magistratum esse exequutorem iuris divini. Sicut in praecepto: Non occides, vita est tua iure divino, id pronuntiat Magistratus, cum alius te iniuste accusat et custodit tuam vitam, Sic cum alius tuum fundum petit, Magistratus tibi non dat dominium, sed pronuntiat te esse iustum dominum, adversarium non esse: Discernit inter propositiones, quarum veritas non pendet ex arbitrio ipsius, sed ex aliis causis, ut si medicus pronuntiet vinum non prodesse laboranti febre, prodesse autem potionem ex Cichorio et absynthio. Et cum pronuntiavit Iudex, vult eum Deus esse custodem suarum rerum. Ita non fuit iustum cogere Naboth ad vendendam aut donandam regi vineam, et quanquam stipendia debentur Regibus et Principibus: tamen quia distinctio dominiorum est iuris divini, sciant Reges et Principes se non habere infinitam potestatem, rapiendi ex bonis subditorum quantum volunt, aut eos omnino excutiendi ex bonis. Sciant se quoque subiectos esse huic praecepto: Non furtum facies, sicut his Praeceptis: Non occides, Non moechaberis.

Pertinent ad hoc praeceptum multae virtutes, Iustitia particularis, quae est, nec fraude, nec vi, res quae sunt aliorum auferre et tenere. Ac una appellatione scriptura nominat fures, omnes violantes hanc iustitiam. Sed in foro plures sunt appellationes, quia alia delicta aliis atrociora sunt, fures, grassatores, raptores, usurarii, stelliones, ad quos referantur ignavi mendici, qui laboribus victum parare possent. Sunt et septimi praecepti vir-

tutes, sedulitas in parandis rebus necessariis, parsimonia et liberalitas, quae omnes vicinae sunt.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non dicas falsum testimonium.

Saepe de omnibus virtutibus monemus, velle Deum notam esse suam Legem, et intelligi virtutes, ut sciamus qualis sit ipse. Maxime vero illustria discrimina ostendunt castitas et veritas, inter Deum et malas naturas, Ideo scriptum est: Est autem Deus verax. Et Iohan. 17. Qui misit me, ille verax est. Et in hoc mandato praecipitur de veritate, quae est virtus in doctrinis, in pactis, in iudiciis, et omnibus dictis et gestibus, servans convenientiam mentis, dictorum, gestuum et rerum. Haec definitio sumta est ex dicto Christi: Sit sermo vester, est, est, non, non. Et quia veritas est nervus iudiciorum, iam cogita, quantum sit delictorum in toto genere humano, pugnantium cum hoc Praecepto, quae nominantur mendacia, id est, dicta vel facta discrepantia a rebus, aut a mente, in quibus est voluntas nocendi cupida. Quam perniciosae corruptelae sunt doctrinarum, quarum multae finguntur mera petulantia ingeniorum. Deinde quam multi fallunt in pactis et contractibus, et quaerunt. Sophisticas elusiones, Deinde quantum praestigiarum est in iudiciis. Item quoties Leges ipsae depravantur cavillationibus: quantum est privatarum calumniarum. In horum multiplicium peccatorum consideratione, non tantum de humana infirmitate cogitemus, Sed etiam de Diabolis, a quibus ortum est mendacium, et qui horribili odio Dei confirmant in multorum mentibus teterrima mendacia, non solum in vita politica et oeconomica, sed multo magis contra Deum, ut cum stabiliunt Idola in mundo omnibus aetatibus, et impia dogmata. Adversus haec ingentia mala, sciamus muniendas esse mentes doctrina a Deo tradita, et invocatione Dei, Sicut ipse Filius pro nobis precatur: Pater sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas etc.

DE NONO ET DECIMO PRAECEPTO.

Nonum et decimum praeceptum expresse prohibent inordinatam concupiscentiam, ut sciamus Legem Dei non solum de externis factis concionari, sed etiam accusare et damnare malum haerens in hac depravata natura hominum, quod nominatur inordinata concupiscentia, Quod non significat tantum affectus vitiosos, ad quos accedit consensus: Sed significat aversionem a Deo, quae nascitur nobiscum, quae est radix malorum affectuum, de qua dicitur: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Et complectitur haec mala omnia, caliginem et dubitationes de Deo in mente, et in voluntate et corde absentiam Dei, et inclinationes ruentes contra Deum, ut quia cor non regitur a Deo, immediate incenditur aliis motibus aberrantibus a Deo, Hunc totum morbum in natura hominum damnat Lex Dei. Negabant autem Pharisaei hunc morbum esse peccatum. Ideo Christus enarrat Legem Matth. 5. Et Paulus Rom. 7. et 8. Et in Prophetis eadem enarratio saepe repetita est. Haec testimonia nunc quoque Papistis opponamus, quia Pharisaica deliramenta defendunt, et negant caliginem et aversionem a Deo, et pravas inclinationes peccata esse. Haec breviter de hoc loco addidi, quia supra de hac quaestione prolixius diximus.

DE LEGE NATURAE.

Cum quaeritur, quid sit Lex naturae, rectissimum est respondere, Legem humanae naturae esse ipsum Decalogum, recte intellectum, quia Decalogus est sapientia aeterna et immota in Deo, quae est norma iustitiae, Et est patefacta, primum ita, ut notitia similis in creatione mentibus insita sit, quae est lumen a Deo conditum, et quasi radius lucis quae in Deo est. Deinde saepe repetita est voce divina.

Etsi autem praecepta secundae Tabulae magis cernit ratio, quam doctrinam primae Tabulae: tamen certissimum est, et fulsisse notitiam de Deo, et fulgere debere in mentibus hominum, et non prorsus extinctam esse post naturae depravationem, Quare et vera de Deo notitia, pars est Legis naturae: Ideoque manifestae demonstrationes reliquae sunt, quae ostendunt, et quod sit Deus, et quod sit sapiens, verax, bonus, beneficus, iustus, castus, liberrimus, et vindex scelerum, conditor omnium creaturarum, ut:

Impossibile est notitias perpetuo discernentes honesta et turpia, casu in natura hominum manere.

Ergo necesse est eas ortas esse a conditore, qui et hoc lumen mentibus indidit, et talis est ipse, quales notitias creavit, per quas agnosci voluit.

De his demonstrationibus loquitur Paulus ad Romanos 1. et 2. capite. Inde rectius est discere, quid sit Lex naturae, quam ex vulgari descriptione, quae non a notitiis, quae sunt certa regula, sed ab

effectibus desumta est, quorum alii boni sunt, alii mali. De hac tota quaestione studiosi diligenter cogitent, et testimonia de Deo in natura considerent:

Dixi autem Decalogum recte intelligendum esse, ut cum dicitur: Non moechaberis, comprehendenda sunt omnia praecepta de vagis libidinibus. Levitici 18. expressa et alibi. Item cum dicitur: Non occides, comprehendi necesse est exceptionem de Magistratu, qui est vicarius Dei, et occidit sontes mandato divino, id etiam ratio naturalis intelligit. Primum quia ipsi cruciatus conscientiae in nece iniusta, qui naturaliter sequuntur, ostendunt talia facta iniusta esse.

Deinde στοργαὶ in natura humana appetunt conservationem suorum. Et quanquam alii sunt propiores, alii longius distant a stirpe: tamen communis cognatio est inter omnes homines. Expetunt autem στοργαὶ defensionem, Ideo volunt reprimi turbantes societatem. Etsi autem hae ratiocinationes verissimae sunt, et in natura integra perspicue fuissent: tamen in hac naturae pravitate sunt obscuriores, et in hominibus efferis Diabolus confirmat caecitatem: Ideo manifesta voce Deus in Ecclesia saepe repetivit Legem, et quoties de Lege naturae loquor, (nunc omissis demonstrationibus) breviter nomino Decalogum, quia verissimum est, hanc lucem naturae primum in creatione insitam fuisse. Fit autem assensio firmior et stabilior, cum vocem divinam pie intuemur, quia disputando turbatur ratio in hac imbecillitate praesertim, Interdum enim falsa specie movetur, ut, quia differuntur poenae, homines contemnunt iudicium Dei, ut Diogenes de Harpalo dixit, qui cum maximos thesauros Alexandro furatus esset, diu in Rhodo splendide vixit. Ideo inquit Diogenes, Harpalum dicere vivum testimonium contra Deum. Et tamen hic Harpalus aliquanto post a suis interfectus est.

Sciamus igitur ideo Legem expressa voce Dei, saepe repetitam esse in Ecclesia, et in Sinai inter illustria testimonia, audiente multitudine, duodecies centum millium hominum: Quia Deus singulari consilio voluit opponere nostris dubitationibus expressam vocem, et firmissima testimonia.

Quanquam enim notitiae naturales non prorsus extinctae sunt, tamen manifestum est, assensionem de providentia languidam esse, et valde concuti dubitationibus. Quare Paulus inquit Rom. 1. Veritatem Dei homines in iniustitia captivam tenere, id est, homines habere quidem veras notitias Legis divinae, quibus intelligunt, quod sit Deus, et qualis sit Deus, et quod velit sibi praestari obedientiam iuxta eas Leges, sed tamen corda repugnare.

Postremo et haec commonefactio repetenda est, de testimoniis Ecclesiae. Saepe cogitandum est hoc illustre et firmum argumentum.

Ratio naturalis intelligit, eos nequaquam esse populum Dei, qui docent contraria Legi divinae.

Ethnici autem universaliter docuerunt contraria primo et sexto Praecepto: Finxerunt turbam Deorum, et concesserunt teterrimas confusiones libidinum. Sicut et hodie Mahometistae faciunt: Ergo in illis congregationibus non est populus Dei. Semper autem tantum in vera Ecclesia mansit incorrupta doctrina Legis. Ac nunc quoque Papistae docent contraria primo et sexto Praecepto, quia defendunt invocationem hominum mortuorum, et prohibent coniugia.

Haec de articulo Legis.

DE LIBERTATE VOLUNTATIS HUMANAE, SEU DE LIBERO ARBITRIO.

Diversae quaestiones sunt, quaerere de contingentia, seu an omnes motus omnium rerum, in coelo et terra, pecudum et hominum, boni et mali necessario fiant, sicut Stoici finxerunt, et quaerere de viribus humanis, an, et quatenus obedire Legi Dei possint, et an homines Lege Dei iusti fiant.

Harum quaestionum diversitatem necesse est considerare, ac supra refutavimus Stoicos, et diximus, Stoicam necessitatem contumeliosam esse contra Deum, et perniciosam moribus.

Nunc breviter dicam de altera quaestione, scilicet de viribus humanis. Primum autem nota sit puerilis doctrina de potentiis animae. Sunt autem duae supremae, quarum altera est potentia cognoscens, quae nominatur intellectus seu mens, seu iudicium: Altera est potentia volens seu appetens, quae nominatur voluntas, et cum est seria appetitio, nominatur cor in Propheticis et Apostolicis scriptis. Non enim semper in actionibus Imperatis congruunt voluntas et cor: Ut cum Sinon apud Virgilium, simulans se esse amicum Troianis, imperat linguae, ut falsa dicat. Nomen rationis interdum soli cognoscenti potentiae tribuitur, Interdum complectitur potentiam cognoscentem et volentem: Et haec Phrasis, liberum arbitrium, significat potentiam cognoscentem et volentem, seu liberam electionem harum potentiarum.

Deinde quaeritur, quatenus voluntas in homine sit libera. Haec de vocabulis primum conside-

randa sunt, et vitandi Labyrinthi disputationum, quas hic moverunt multi ante haec secula, tantum eo, quia non didicerant proprie loqui.

Tres perspicuae propositiones de Libertate voluntatis, Prima.

Ordine autem tres perspicuas propositiones tradam, de libertate voluntatis. Prima est, Manifestum est homines in hac depravata natura, non posse tollere peccatum et mortem, id est, exuere pravas inclinationes, et liberare se ab ira Dei, a morte corporali et aeterna propriis viribus, aut operibus, aut virtutibus, aut meritis, nec posse satisfacere Legi Dei. Sed haec liberatio a peccato et a morte, fit propter Filium Dei, et per eum in vera conversione.

Primum in hac vita, imputatione iustitiae et inchoatione novae et aeternae vitae et iustitiae. Postea confirmatione in vita aeterna. De hac tota liberatione dicitur Ioan. 8. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.

Alia autem quaestio est, quid et quantum possit homo non renatus facere, in hac depravatione naturae. Sit igitur haec secunda propositio.

Secunda Propositio.

Homo etiam non renatus, potest utcunque regere Locomotivam, id est, flectere externa membra ad actiones congruentes cum Lege Dei. Item ad actiones pugnantes cum Lege Dei. Hanc libertatem regendi locomotivam, id est, regendi externa membra, vult Deus reliquam esse, etiam in hac depravata natura. Primum ut aliquo modo intelligatur discrimen inter agens liberum et non agens liberum, simile igni aut brutis. Vult enim intelligi Deus, sese esse agens liberrimum, quod libere etiam extra ordinem naturae, et sine causis secundis opitulari invocantibus et possit et velit, iuxta dictum: Omnia quaecunque voluit, fecit.

Secundo, vult Deus libertatem regendae locomotivae esse in omnibus, etiam non renatis, ut homines etiam non renati habeant iustitiam carnis seu disciplinam. Recte enim dicitur, Disciplinam esse actiones externas congruentes cum Lege Dei, quorum causae immediatae et propriae sunt. Cogitatio Legis in mente, et voluntas iuxta Legis cogitationes imperans nervis, ut cieant externa membra sic, ut motus externi congruant cum Lege etiamsi intus cor habeat flammas contrarias. Necesse est enim fateri, naturam hominum sic conditam esse, ut nervi in locali motu obedire cogitationi possint. Sic Achilles iratus, cum honesta cogitatione commonetit, reprimit manus, ne interficiant Agamemnonem. Et quanquam Philosophi multa disputant de humana virtute, tamen quid virtus sit in homine non renato, nisi talis nervorum gubernatio, quae cogitatione Legis regitur, non satis perspicue ostendi potest, Et haec gubernatio in aliis magis, in aliis minus adiuvatur, vel temperamento, vel motibus Heroicis, qui sunt singulares motus insiti praestantibus viris a Deo, sicut inquit Seneca: Nulla magna virtus sine Deo est, ut Alexandri, Achillis, Iulii fortitudo, fuerunt singulares motus divini.

Ut autem alias saepe dicitur: Sciant iuniores quatuor praecipuas et necessarias causas esse, propter quas omnes homines etiam non renati, debent externam obedientiam Deo praestare. Quarum causarum prima est, Praeceptum Dei, quia omnes creaturae debent obedientiam Deo.

Secunda, ut vitentur poenae huius vitae et aeternae, quia regula divina est, Atrocia delicta puniri atrocibus poenis, etiam in hac vita. Sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Vae qui spolias, quia spoliaberis. Item, Non habebit Deus insontem eum, qui vane nomen eius usurpat. Item de incestis, Omnis anima quae fecerit abominationes has, peribit de populo suo. Et in his qui non convertuntur ad Dominum, poenae corporales sunt initia aeternarum poenarum. Sed in illis qui convertuntur ad Deum, remittuntur aeternae poenae, ut Davidi, Manassae, et aliis, et tamen hic quoque in hac vita castigantur, sed mitigat eis Deus poenas, iuxta dictum: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Item, Bonus est Dominus, et poenitet eum mali. Item, Non faciam furorem irae meae, quia Deus ego sum. Item, Si fuerint peccata vestra ut coccinum et vermiculus, eritis candidi sicut nix etc.

Tertia causa est, Vult Deus etiam in non renatis externam obedientiam, propter aliorum tranquillitatem, et conservationem communis societatis. Non enim tantum nobis nascimur, sed Lex Dei sit in conspectu: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Quarta causa est, Quia Lex est paedagogus in Christum, id est, in his qui perseverant in sceleribus, certissimum est, non esse efficacem Spiri-

tum sanctum, iuxta dictum: Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Item, Nolite errare, Adulteri, homicidae etc. non sunt haeredes regni Dei. Et in iuramento postulatur conversio, Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Haec verissima sunt.

Necesse est igitur praestari externam obedientiam, et tamen simul sciri necesse est, hanc disciplinam non esse impletionem Legis, nec mereri remissionem peccatorum, nec iustitiam esse coram Deo, sed in vera conversione propter Filium Dei gratis Fide accipimus remissionem peccatorum, reconciliationem, imputationem et vivificationem per Filium, dato Spiritu sancto.

Hanc communem doctrinam de disciplina scire necesse est, Simul sciendum est, quid sit haec gubernatio locomotivae, et quod sit possibilis etiam non renatis, sed tamen simul hic consideranda sunt duo tristia impedimenta naturalium virium: scilicet imbecillitas quae nobiscum nascitur, et rabies Diaboli. Facile labuntur homines propria infirmitate, Et simul assidue Diabolus tanquam Leo rugiens circumit quaerens quem devoret. Sunt igitur paucissimi, in quibus disciplina sit sine aliqua externa labe, et Diabolus multos horribiliter impellit in multa scelera, ut tota mundi historia ostendit.

Contra haec tanta mala, Filius Dei offert defensionem et auxilium, sicut scriptum est: Filius Dei apparuit, ut destruat opera Diaboli, Tunc igitur et externam obedientiam firmius praestare possumus, cum agnoscimus Filium Dei, et ab eo auxilium petimus, sicut ipse praecipit: Orate, ne intretis in tentationem. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Item, Nemo rapiet oves meas de manibus meis. Item, Petite et accipietis. Item, Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Tertia Propositio.

Tertia Propositio de actionibus Spiritualibus, quod videlicet conversio ad Deum, et vera consolatio, quae fit fide et fiducia acquiescente in Mediatore, iuxta promissionem, et verus timor Dei, dilectio Dei, constantia in afflictionibus, confessione, et insidiis Diaboli, vera spes et laetitia in Deo, et alii tales motus praecepti: non fiunt in cordibus solis humanis viribus: Sed ita fiunt, cum Filius Dei voce Evangelii dicit consolationem in mente, et ostendit misericordiam aeterni Patris, et Pater per Filium effundit Spiritum sanctum, quo veris et ardentibus motibus accenduntur corda, ut sint in eis fiducia, laetitia in Deo, dilectio, timor, et alii motus tales, qualis est ipse, Sic fit liberatio ex morte, et ex inferis, et vera consolatio divina, sicut Filius ipse dicit Ioan. 10. Ego vitam aeternam do eis, scilicet non tantum merito, sed etiam effectione. Sic Ioan. 14. dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem faciemus apud EUM. Item, 1. Ioan. 4. In hoc cognoscimus, quod in eo manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dat nobis.

Nequaquam simus Pelagiani; nec fingamus vinci mortem, et dolores inferorum et potentiam Diaboli, solis humanis viribus: Sed dulcissimas promissiones praesentiae Dei et auxilii in conversis amplectamur, et agnoscamus imbecillitatem nostram, et petamus auxilium Dei, et misericordiam eius, et celebremus omnia beneficia, sicut in Osea dictum est: Perditio tua ex te Israël, tantum per me est auxilium tuum. Et Esaiae 45. Deus iustus, et salvans non est praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terrae. Quia ego Deus, et non alius, per me ipsum iuravi, exivit de ore meo iustitiae Verbum, et non revertetur, quod mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua, Certe in Domino dicet: Habeo iustitiam et fortitudinem, Ad eum veniet, omnes autem, qui repugnant ei, confundentur. In Domino iustificabitur omne semen in Israël et laudabit. In hoc dicto et multis similibus comprehenditur summa beneficiorum Evangelii, Gratia et donum, id est, remissio peccatorum seu reconciliatio, et deinde vivificatio, quae fit Deo ipso sese nobis communicante, in hac vita et post hanc vitam. Ideo hic inquit: Per Dominum habeo iustitiam et fortitudinem, id est, reconciliationem et dona, scilicet vivificationem et sanctificationem.

Ac exempla intueamur, cum primi parentes obiurgati expavescerent, et cum morte luctarentur, Filius Dei promissionem sua voce profert, et simul in mentibus accendit immediate notitiam, quae ostendit hanc esse voluntatem aeterni Patris, et ostendit praesentiam et misericordiam Patris, et confirmat assensionem, ac simul in hac cognitione Pater per eum effundit Spiritum sanctum, et corda eorum laetificat, et accendit invocationem, et alios bonos motus. Sic cum Nathan consolatur Davidem, ipse Filius Dei adest verbo vocali, et in mente Davidis ostendit hanc esse voluntatem aeterni Patris, et assensionem immediate confirmat, et per Filium datur Spiritus sanctus, qui Davidem retrahit ex doloribus inferorum, et laetificat, et accen-

cit invocationem, et alios pios motus. Est enim Ecclesia regnum Christi, non tantum quia Christus est victima, sed etiam quia omni tempore colligit Ecclesiam, et immediate est efficax cum verbo vocali, sicut inquit: Ego sum vitis, vos estis palmites: Sine me nihil potestis facere etc. Haec declaratio utilis est, ut cogitemus, quo ordine sint simul personae in conversis.

Agnoscitur Pater per Filium, qui et Evangelium protulit ex sinu aeterni Patris, et in mentibus accendit notitiam, sicut inquit: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui volet Filius revelare: et simul dans Spiritum sanctum, consolatur corda.

Iam addantur plura testimonia, quae refutant Pelagianos. Quae quidem non ita accipienda sunt, ut confirment prophanitatem, aut desperationem adferant, sed ut sciamus immensa misericordia offerri auxilium omnibus confugientibus ad Filium in veris doloribus: Sicut ipse Dominus inquit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item, Petite et accipietis. Item, Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? non ait contemnentibus, aut fingenti us se expectaturos esse violentos raptus, ut Enthusiastae fingunt. Sed vult Deus nos audire vocem Evangelii, non vult nos indulgere dubitationibus, et diffidentiae, vult nos luctari, ut assentiamur verbo, et petere auxilium, Sicut Propheta clamat: Converte me et convertar. Et ille inquit apud Marcum: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Ac nequaquam fingendae sunt in Deo contradictoriae voluntates: Nam ideo Filius Dei ex sinu aeterni Patris Evangelium protulit, ut sciamus hanc ipsam esse voluntatem Dei, quae per Filium patefacta est.

Quoties autem misericordia nominatur, simul intelligi oportet promissionem et Mediatorem, quia loquuntur Prophetae de misericordia certa, et promissa propter Mediatorem. Idem est igitur dicere, Fide iustificamur, quia promissionem Fide accipi oportet, et ei credentes acquiescimus in Mediatore, et statuimus nos propter ipsius obedientiam recipi et placere. Ideo Paulus Rom. 4. Fidem et Promissionem coniungit: Ideo ex fide gratis, ut firma sit Promissio. Et nos usitate dicimus hanc propositionem, Fide iustificamur, intelligi correlative pro

ista: per misericordiam gratis propter Mediatorem placemus, Qui tamen ita nobis applicat sua beneficia, cum promissioni credimus.

Haec ideo dicenda sunt, ut nativa sententia retineatur in propositione, Fide iustificamur. Nam Origenes, Thomas, et multi alii depravarunt Pauli sententiam, qui finxerunt Synecdochen, Fide iustificamur, id est, praeparamur, ut postea simus iusti aliis virtutibus, ut si quis dicat: Motus calefacit, id est, exuscitat aliquid, quo postea sumus calidi. Thomas hanc Synecdochen his verbis expressit: Fide scilicet formata aliis virtutibus sumus iusti, quod nihil aliud est, quam dicere homines iustos esse suis operibus.

Osiander pro effectu nominat causam, Fide praeparamur, ut postea simus iusti Deo habitante in nobis, nec recipit hanc interpretationem, Fide iusti sumus, videlicet. per misericordiam propter Mediatoris obedientiam.

Simus igitur vigilantes in refutatione huius Synecdoches, et confirmemus nos in quotidiana invocatione, illis ipsis exemplis Prophetarum. Non erras, quando invocas ut Moises, David, Daniel, et caeteri Prophetae. Hi omnes confugiunt ad misericordiam gratuitam, et hanc statuunt certam et promissam esse propter Mediatorem: Sic cum tu quoque invocas, recte invocas. Haec saepe cogitanda sunt, ut contra illam Sophisticam Synecdochen confirmemur.

Deinde verum est, cum sustentamur et liberamur ex doloribus inferorum, adest Filius Dei et vivificat nos, Sed obedientia Mediatoris fide intuenda est, et propter illam statuas te certo placere: Et obedientia Mediatoris in infinitum anteferenda est illis novis actionibus, quae in te fiunt.

Conclusio.

Recte explicatis vocabulis, recito propositionem, quae est summa Evangelii, recitata a Paulo Rom. 3. et deinceps. Propter Filium Dei Mediatorem, et quidem propter eius obedientiam, Gratis, non propter ulla nostra merita, accipimus in veris pavoribus sola Fide remissionem peccatorum et reconciliationem, et in ea consolatione cum Fide sustentamur, Filius Dei ipse in nobis est efficax, dicit consolationem voce Evangelii, ostendit misericordiam Patris, et liberat nos ex doloribus inferorum, et dat Spiritum sanctum, ac reputamur iusti coram Deo, id est, accepti Deo propter obedientiam Mediatoris, et simul sumus haeredes vitae aeternae propter Mediatorem, non propter nostram dignitatem aut nostras virtutes seu opera.

Huius conclusionis testimonia propria et perspicua sint in conspectu, ut doctrinae puritas conservetur, Primum propter gloriam Filii Dei, Deinde ut firmam consolationem teneamus, et Deum recte invocare possimus, fiducia Mediatoris.

Testimonia.

Primum. Act. 10. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Hic Petrus affirmat, hunc esse consensum omnium Prophetarum, ut significet hanc perpetuam vocem esse promissionum in Ecclesia Dei, et quidem discernentem veram Ecclesiam ab aliis gentibus et congregationibus.

Secundum Testimonium.

Rom. 3. principalis propositio his verbis constituitur. Omnes peccaverunt, et carent gloria Dei. Iustificamur autem Gratis ipsius gratia per Redemtionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per Fidem in sanguine eius. Initio ut ostendat homines non esse iustos propria munditia, inquit, Omnes esse reos, et carere gloria Dei, id est, sapientia et iustitia, quam Deus approbat, seu ducit esse gloriam, seu Deo ipso, seu praesentia Dei in nobis. Deinde addit quomodo reconciliemur: Iustificamur, id est, accipimus remissionem peccatorum, et reputamur iusti seu accepti Gratis, ipsius gratia, id est, misericordia gratuita propter Christum, quem proposuit Deus propitiatorem. Addit autem: iustificamur in sanguine eius, id est, propter obedientiam ipsius. Sed hoc beneficium Fide applicari oportet.

Statuendum est igitur, quod propter hunc propitiatorem, et quidem propter eius obedientiam, tibi vere propitius sit Deus, non propter tuam dignitatem. Haec Fides est fiducia, quae pacem et vitam cordibus affert, ut supra de Fide dictum est, quae in Deo propter Mediatorem acquiescit. Deinde Paulus in quarto capite instituit confirmationem huius propositionis, et testimonia ac argumenta recenset. Primum testimonium sumtum est ex Genesi. Ut enim ostendat hanc perpetuam esse Ec-

clesiae doctrinam, citat primam concionem, in qua expresse fit mentio Fidei et Iustitiae. Allegat et illum virum qui proponitur, ut ab ipso caeteri discant promissiones et verum cultum Dei. Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam.

Semper in conspectu sit Pauli Syllogismus in quarto capite ad Romanos.

Promissionem reconciliationis oportet esse certam,
Promissio pendens ex conditione Legis nobis est incerta,
Ergo, Promissio reconciliationis non pendet ex conditione Legis, sed datur Gratis propter Mediatorem.

Maiorem in Syllogismo Paulus confirmat, inquiens: Lex iram efficit, id est, Lex semper accusat homines in hac naturae imbecillitate, et ostendit nos non esse tales, quales esse praecipit. Non igitur affert consolationem, sed dolores animi fugientis Deum, et tristes fremitus, de quibus dicitur: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea, et Rom. 7. copiose declaratur propositio haec: Peccatum per Legem fit excellenter peccatum, id est, reum. Tunc enim reatus sentitur, cum Lege perterrefacti sentimus iram Dei, et 1. Corinth. 15. Aculeus mortis peccatum est, potentia vero peccati lex est, id est, Peccatum quidem immediate est causa mortis, et aeternae poenae, et est per se causa: tunc autem sentitur, quale malum sit, quando lege homines perterrefacti, sentiunt se propter peccatum a Deo abiici, et non vivificari.

Hanc doctrinam de Lege Paulus opponit Pharisaicis opinionibus, et expresse postea inquit: Legi erat impossibile iustificare. Alia igitur vox est, annuntians reconciliationem, videlicet promissio propter Mediatorem Filium, gratis offerens remissionem peccatorum et reconciliationem, et vivificationem, quae tunc fit in illa consolatione per Filium et Spiritum sanctum. Hunc totum Pauli Syllogismum omnibus familiarissime notum esse oportet, quia discrimen Legis et Promissionis gratiae, quae propria est Evangelii, et discrimen Ecclesiae et Ethnicorum perspicue ostendit.

Deinde minorem sic declarat, videlicet, oportet promissionem reconciliationis esse certam. Si enim non esset certa reconciliatio, nulla consolatio nota esset hominibus, et nullum discrimen esset Ecclesiae Dei et Ethnicorum, quia Ethnici etiam norunt Legem. Ut autem discrimen esset Ecclesiae et Ethnicorum, tradita est alia vox praeter Legem, scilicet promissio gratiae, seu reconciliationis. Hanc qui audiunt et Fide amplectuntur, ii sunt vera Ecclesia Dei. Nec satis est nosse Legem, et vivere in perpetua dubitatione, sicut Ethnici cogitant. Et prorsus Ethnico more iubent Papistae te semper dubitare, an te recipiat Deus, et hanc imaginationem retinent. Deus legem dedit, hanc servantes Deo placent. Ego fateor me non esse talem, qualem lex esse praecipit, ideo dubito, an placeam Deo, et an me exaudiat. Haec imaginatio est prorsus Ethnica, et delet promissionem gratiae. Pugnat igitur Paulus de promissione, et affirmat eam esse certam oportere, et a Lege distingui, sicut inquit: Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio. Haec sunt perspicua, recte institutis, et intelligentibus exercitia poenitentiae, quia certe oportet esse aliquam firmam consolationem, sed fascinati Pharisaicis opinionibus, haec non intelligunt, et dubitationem Ethnico more retinent.

Recitavi aliquot illustria testimonia, sumta ex iis locis, ubi haec doctrina principaliter traditur, contra Pharisaica iudicia, et ex sede huius materiae, Sicut in qualibet controversia, quaerenda est perpetua sententia scribentium, non tantum exerpenda sunt mutilata testimonia.

Manifestissimum est autem omnes Prophetas et Apostolos retinere hanc propositionem universaliter, de omnibus hominibus, excepto Christo, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item, Omnes egent gloria Dei. Posita hac negativa universali de personis: Sequitur altera de misericordia: Sicut Daniel coniungit, Non in iustitia nostra, sed in misericordia tua propter Dominum exaudi nos. Item, Psalmo 6. Salvum me fac propter misericordiam tuam. Item, Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remittis impietatem peccati mei, etc. Hoc modo universaliter accedunt ad Deum omnes sancti, ut ad Romanos et Epheseos sic dicitur: Per hunc habemus accessum fide. Item, Propter unius obedientiam iustificantur multi. Sic et nos accedamus ad Deum.

His fontibus cognitis intelligi potest, sententiam quae in nostris Ecclesiis proponitur, perpetuum consensum esse, expressum in omnibus scriptis Propheticis et Apostolicis. Sicut et Petrus perpetuum consensum citat: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, etc. Ideo firmissime complectamur hanc sententiam, et non sinamus nobis eripi, aut Pharisaicis deliramentis Papistarum, aut aliis praestigiis eludi.

Hic rursus etiam consideremus, quare necesse

sit, retineri particulam exclusivam, Gratis vel sola Fide. Usitatum est autem nobis propter iuniorum commonefactionem, recitare quatuor causas, propter quas necesse est retineri exclusivam.

Prima est, ut Mediatori Filio Dei tribuatur debitus honos, quod propter ipsum Gratis, non propter nostram dignitatem ullam accipiamus remissionem et reconciliationem, Quia hic est honos solius Filii Dei tollere peccatum iuxta dictum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Secunda est, ut nostrae mentes teneant firmam consolationem: Quia, si penderet remissio ex dignitate nostra, fieret incerta, sicut et Paulus dicit: Ideo ex Fide gratis, ut sit firma promissio etc.

Tertia, ut sit illustre discrimen Legis et Evangelii: Quia particula Gratis propter Christum, discernit Legem et Evangelium. Lex enim non habet gratuitas promissiones, sed semper postulat integram obedientiam.

Quarta causa, ut possit fieri invocatio ad Deum, Quia omnes sentimus in Invocatione turbari corda, cogitatione indignitatis nostrae, iuxta hoc dictum: Peccatores Deus non exaudit. Semper igitur necesse est in Invocatione primum nos confirmari cogitatione gratuitae promissionis, quae in conversione remissionem et reconciliationem offert credentibus in Filium, etiamsi manent in nobis reliquiae peccati, ut haec alibi copiosius declarantur.

DE NOVA OBEDIENTIA SEU DE BONIS OPERIBUS.

Non ideo ingentem iram Dei sustinuit Mediator, sudans sanguinem et moriens in cruce, ut confirmetur peccatum in hominibus, et sit licentia omnium scelerum: Sed ut Peccatum et Mors re ipsa deleantur in homine, et inchoentur aeterna vita, et aeterna lux, sapientia et iustitia in homine, et homo rursus fiat templum Dei, sicut inquit Filius: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Et Rom. 8. dicitur: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Sciamus igitur, sic fieri remissionem peccatorum et reconciliationem, seu iustificationem fide, ut simul fiant regeneratio et vivificatio, Sicut et Dominus inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu. Et Petrus inquit: Regenerati estis per Verbum vivum Dei, et manens in seculum. Et 1. Iohan. 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia Semen eius in eo manet. Sic autem fit Regeneratio, et sic fit homo templum Dei. Sicut Adam in prima consolatione sensit sese ex morte liberari: Auribus accepit foris vocem promissionis: cum hac voce simul Filius Dei est efficax, dicit consolationem, ostendit hanc esse voluntatem Dei, ut Adam habeat remissionem, vivificat eum, et confirmat assensionem, ac effundit Spiritum sanctum in cor Adae, qui cum sit laetitia, iam laetatur Adam in Deo recte agnito, seu agnita misericordia, et accenduntur motus tales, qualis est ipse Spiritus sanctus, iuxta dictum: Dabo Legem meam in corda eorum.

Eodem modo de Davide, et de omnibus, qui vere convertuntur ad Deum, cogitandum est. David auribus accipit hanc vocem, Dominus abstulit peccatum tuum: Cum hac voce simul Filius Dei λόγος in mente Davidis est efficax, dicit consolationem, et ostendit hanc esse voluntatem Dei, ut David habeat remissionem peccatorum, et iam fit reconciliatus, et vivificat eum, ac confirmat assensionem, et simul effundit Spiritum sanctum in corda Davidis, quo laetatur David in Deo, agnita iam eius misericordia, sicut inquit: Auditui meo dabis gaudium et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Haec mutatio est regeneratio seu vera conversio ad Deum, et quomodo simul sint tres personae, pie considerandum est. Λόγος dicit consolationem, et ostendit hanc esse voluntatem Patris, ut simus recepti, et lucet in mente, ut assentiamus. Et Pater per Filium dat Spiritum sanctum, ut scriptum est: Dans dona hominibus. Et Act. 2. Promissionem Spiritus sancti accipiens a Patre.

Dicit igitur Athanasius: In quocunque homine est Spiritus sanctus, in eo est per Filium, et quia prius agnosci oportet Mediatorem, quod propter ipsius obedientiam recipiamur, et quia cum verbo vocali Filius est efficax, et dat Spiritum sanctum. Et Paulus inquit ad Galatas, ut promissionem Spiritus accipiamus per Fidem. Et Ephe. 3. Ut habitet Christus per Fidem in cordibus vestris, id est, λόγος adsit in vobis, ostendat voluntatem Patris, et sit efficax, et vos ita transformemini, ut notitia et affectus fiant similes Filio Dei, qui est imago aeterni Patris, sicut de transformatione dicitur 2. Corinth. 3. Haec renovatio seu regeneratio seu conversio fit, cum in veris doloribus accipitur remissio peccatorum, et reconciliatio, fide. Inde perspicue intelligi potest, novam obedientiam necessariam esse. Nec vocabulum necessitas proprie significat violentam coactionem, ut indocti saepe interpretantur, ut cum dicitur: Latro captus necessario desinit latrocinari, ubi necessitas significat coactio-

nem foris accidentem etiam cum voluntas repugnat. Sed cum inquit Paulus: Debitores sumus, intelligit necessitatem, ordinem a Deo sancitum, quo creatura subiecta est Creatori, quo vult Deus immutabiliter, ut et volens obtemperet creatura rationalis, et sciat non esse faciendum contra illum ordinem.

Haec relinquo considerationi piorum et eruditorum: Sequar autem usitatam dispositionem, in doctrina de bonis operibus, seu de nova obedientia, iuxta has quaestiones:

I. Quae opera sint docenda et facienda.

II. Quomodo fieri possint.

III. Quomodo placeant.

IIII. Quare facienda sint.

V. Quod sit discrimen peccatorum, cum necesse sit fateri, quod in hac vita magna sint peccata in sanctis.

DE PRIMA QUAESTIONE.

Quae opera sint docenda et facienda?

Respondeo. Illa quae praecepta sunt in Verbo Dei, ac summa comprehensa est in Decalogo, recte intellecto, sicut Ezech. 20. dicitur: In praeceptis meis ambulate. Vult enim Deus normam certam in Ecclesia conspici, et semper in Ecclesia, inde usque ab initio generis humani doctrina Decalogi fuit. Ac tenendae sunt perspicuae confirmationes, contra Antinomos et Anabaptistas, qui deleta hac norma, concedunt infinitam licentiam contra vocem divinam: In praeceptis meis ambulate. Item, contra dictum Iohannis: ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Item contra dictum: Si vis ingredi in vitam aeternam, serva mandata. Item, Per Fidem Lex stabilitur.

Nec opus est longa disputatione, quia manifestum est propriam vocem Ecclesiae esse, doctrinam de poenitentia, arguentem peccata, ad quam partem opus est voce Legis, iuxta dictum: Per Legem cognitio peccati. Nec dubium est semper in vera Ecclesia Dei mansisse vocem Legis incorruptam. Quod quidem et illustre testimonium est, solam Ecclesiam esse coetum Deo placentem. Quia etiam ratio naturalis intelligit impossibile esse placere Deo, sectam probantem aliqua peccata contra Legem Dei, sicut Ethnici approbaverunt confusiones libidinum, homicidia in ludis gladiatoriis, item manifestam idololatriam: sicut et Papa manifestam Idololatriam approbat, delet praeceptum: Non concupisces, Corrumpit praeceptum: Non moechaberis etc. Sciendum est autem in renatis, non tantum externam obedientiam esse, sed etiam inchoari interiorem obedientiam, quia Spiritus accendit iam tales motus, qualis ipse est, qui quidem sunt congruentes cum Lege Dei.

Praecipue autem considerentur opera interiora, quae ad primum et secundum Praeceptum pertinent: ut ad primum haec pertinent, vera agnitio Dei, id est, vero assensu et firma fide amplecti totam doctrinam a Deo traditam, vere credere comminationibus, et perterrefieri agnitione irae Dei. Rursus etiam credere promissioni gratiae, et erigi Fide, id est, fiducia Mediatoris, et laetari in Deo. Haec fides dilectionem parit, qua voluntas iam se subiicit Deo, et habet bonum propositum obediendi Deo, iuxta omnia praecepta. Coniunctae sunt cum fide et laetitia in Deo, Spes et Patientia. Item, cum Timore et Fide coniuncta est virtus, quae nominatur humilitas, quae est in agnitione propriae infirmitatis vere timere Deum, et expavescere agnitione irae Dei contra peccata, et sordes nostras, et est non erumpere extra vocationem, et tamen in vocatione, fiducia auxilii divini servire, et fateri praesentiam et auxilium Dei, et non despicere aut premere alios, sed singulis suo loco honorem tribuere, nec fremere adversus Deum, cum punit. Ita haec virtus ex multis composita est.

Ad primum et secundum praeceptum pertinent, vera agnitio Dei, gratiarum actio, confessio, propagatio doctrinae. Diligenter autem cognoscenda est enarratio Decalogi, ut aliquo modo cogitari possit, qualis sit interior obedientia, et quae sint praecipuae virtutes iuxta singula praecepta, et quod sit discrimen Ecclesiae et praestantium Ethnicorum, ut Scipio est honestus princeps, sapiens senator, et dux fortis et foelix. Haec omnia sunt et in Davide, sed accedunt alia, David est domicilium Dei, qui accendit in eo novam lucem verbo, scilicet notitiam veram Dei, et assensionem Spiritu sancto confirmat, accendit timorem Dei, fidem, laetitiam acquiescentem in Deo, spem, veram invocationem, petitionem auxilii in omnibus praeliis, et reliqua vita, gratiarum actionem, confessionem et propagationem doctrinae, humilitatem, patientiam. Et tota obedientia interior et exterior in Davide refertur principaliter ad Deum, et ut ipsi obediat, praestet ei veros cultus, et alii confirmentur in vera agnitione Dei, et simul cum ipso Deo gratias agant, et confirmati exemplis liberationum Davidis, invocent et ipsi ardentius.

II. QUAESTIO.

Quomodo possint fieri bona opera?

Saepe dictum est supra, reliquam esse in homine non renato libertatem utcunque regendae locomotivae, sicut usitate loquimur. Quare potest homo aliquo modo externas actiones facere congruentes Legi Dei: Quanquam haec libertas languidior est in hac infirmitate naturae hominum, et saepissime impeditur insidiis Diabolorum. Sed de interiore obedientia sciendum est, videlicet, de vera agnitione Dei, de vero timore, de vera fiducia Mediatoris, de laetitia in Deo et dilectione Dei, de firmitate fidei in periculis, hanc interiorem lucem, et motus congruentes Legi Dei, non posse inchoari sine Evangelio, et nisi ipso Deo trahente, movente et renovante mentem et cor, quod ita fit: Ipse Filius Dei est efficax voce Evangelii in mente tua, et ostendit voluntatem Patris, et simul effundit Spiritum sanctum in cor, ut assensionem confirmet, exuscitet Timorem, Fidem, Dilectionem Dei, et flectat cor ad invocationem, et adiuvet omnes vires, etiam ad regendas actiones externas. Ipse etiam Filius Dei potenter depellit Diabolos insidiantes, menti dat bona consilia in rebus dubiis cogitatione doctrinae, et cor in bonis consiliis confirmat Spiritu sancto, et ducit ad occasiones salutares, ut Davidi dat consilium, ne interficiat Saulem. Et in hoc consilio confirmat eum Spiritu sancto, et exitus est salutaris. Inquit igitur Filius Dei: Sine me nihil potestis facere, id est, nullas actiones salutares. Item, Apparuit Filius Dei, ut destruat opera Diaboli. Et de Spiritu sancto dicitur: Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum. Et Rom. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, clamantem Abba pater. Item, Si Spiritus Christi non est in vobis, non estis ipsius.

Et de Filio et de Spiritu sancto dicitur in Epistola Iohannis: In hoc scimus, quod Filius sit in nobis, et nos in eo, quia de Spiritu suo dat nobis. Itaque totis pectoribus damnamus et detestamur Pelagianos et similes omnes, qui tantum habent Philosophicas imaginationes de impletione Legis. Cogitant Legi Dei satisfieri externa obedientia, et dicunt Legi Dei posse satisfieri sine Spiritu sancto, et illam externam obedientiam affirmant esse iustitiam coram Deo, et mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam, delent beneficia Mediatoris, et tollunt Spiritum sanctum, et abolent veram Dei agnitionem et invocationem: Sunt ingrati Deo pro summis beneficiis, et peccatum et potentiam Diaboli in hominibus confirmant. Sciamus igitur execrandos esse Pelagianos, et eorum similes, qui transformant Ecclesiae doctrinam in Philosophicas imaginationes. Et aliqui aperte scripserunt, idem dicere Philosophos, cum distinguunt hominis vires in affectus et rationem, et Paulum, cum distinguit carnem et Spiritum. De his blasphemis mendaciis necesse est iuniores praemoneri. Nam Caro significat omnes vires naturales sine regeneratione, sensus, affectus et rationem. Sed Spiritus in hoc proposito, significat ipsum Spiritum sanctum personam divinam, quae effunditur in corda credentium, de qua Filius inquit, Iohan. 14. Rogabo Patrem, et dabit vobis alium paracletum, ut maneat vobiscum in seculum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest capere, quia non videt eum, nec novit eum, Vos autem novistis. Dolendum est tantas esse tenebras hominum, ut nec propriam imbecillitatem, nec ingentia Dei beneficia considerent.

Intueamur et nos ipsos, et totam mundi historiam, singuli aliqua vulnera non parva habemus, ut sentimus multos morbos in nobis, dubitationes et pravos affectus: sicut Hieremias inquit: Cor hominis perversum est et aerumnosum. Deinde insidiae Diaboli, quales sint, ostendunt horrendi lapsus primorum parentum, Saulis, Davidis, et furores omnium impiorum, quos tenent Diaboli captivos. Ac alii fanaticis opinionibus fascinati, sese et multos alios perdunt, alii coeci ruunt in libidines, alii furentes ambitione, aut cupiditate vindictae movent seditiones et iniusta bella. Ac nota sit tristissima concio de nostris periculis: Circumit Diabolus, tanquam Leo rugiens, quaerens quem devoret. Adversus haec tanta mala, Deus se ipsum nobis immensa bonitate offert, mittit Filium, ut ira placata remittantur peccata, et per Filium voce Evangelii colligatur Ecclesia, et potenter servetur contra furores Diabolorum, sicut inquit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Hic Filius est umbraculum, propitiatione, perpetua intercessione, et gubernatione, quia docet mentes, et regit consiliis, et Spiritu sancto accendit novos motus in cordibus, congruentes Legi Dei, et ea confirmat contra illecebras peccatorum, ne ruant, sicut confirmantur Ioseph, David in praeliando, Helias, Helisaeus in reprimendis blasphemis, Martyres in confessione et perferendis suppliciis. Et affirmat Deus, se velle nobis adesse, et in afflictis invocantibus ipsum habitare. Psalm. 90. inquit: Cum ipso sum in tribulatione. Psalm. 33. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde etc. Hanc tantam bonitatem grati agnoscamus et celebremus, et sciamus velle Deum peti haec beneficia, et nos ad invocationem et ad gratiarum actionem exuscitemus, sicut mandatum est: Petite et accipietis. Quanto magis Pater vester coelestis dabit

Spiritum sanctum petentibus. Item, Orate, ne intretis in tentationem.

Pertinet ad promissiones auxilii et haec sententia: Deus est qui efficit in vobis et ut velitis, et ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant, id est, Deus non voluit perire totum genus humanum, sed misit Filium, ut sit Redemtor et Salvator, dedit vocem Evangelii et Spiritum sanctum, ut trahat et convertat homines. Haec non ideo tantum facit, ut initia conversionis fiant: sed ut perficiatur totum beneficium salvationis, ut aedificans non tantum initia molitur, sed domum vult extruere totam. Sic argumentatur Paulus a principio ad beneficii perfectionem, ut consoletur et confirmet nos, ne in medio cursu fracti magnitudine onerum deficiamus, ut cogitandum fuit Moisi, Davidi, et omnibus sanctis. Deus eduxit te in hanc molem periculorum. Voluit autem non tantum initia fieri, sed multo magis perfici beneficia. Addit igitur, ut aliqua ipsi in genere humano grata fiant, quasi dicat: Ideo colligit aeternam Ecclesiam Deus, ne totum genus humanum pereat, et sit simile Diabolis in tota aeternitate contumelia ipsum afficientibus, sed vult esse aliquos, qui ei in hac vita et post hanc vitam grata faciant, qui recte de ipso sentiant et doceant, qui invocent eum, et quibus vicissim sese, suam patientiam, iustitiam et laetitiam in tota aeternitate communicet, ut sint ipsi conformes.

Sic ad consolationem de auxilio tradita est haec sententia Pauli, nec est affingenda Manichaea vel Enthusiastica imaginatio, otiosos et indulgentes voluptatibus expectare debere violentos raptus ad benefaciendum. Imo trahit Deus, sed volentem trahit, et in renatis inchoatur restitutio libertatis in voluntate, qui in vera invocatione discunt praesentiam Dei tripliciter.

Primo, sentiunt consolationem in corde in conversione, ut dicitur: Iustificati fide pacem habemus, quae vere est testimonium praesentiae Spiritus sancti, iuxta dictum: Accepistis Spiritum clamantem Abba pater. Item, Vos novistis Spiritum sanctum.

Secundo, sentiunt et auxilium in ipso labore, ut dicitur: Spiritus opitulatur infirmitatibus nostris.

Tertio, cognoscunt in eventu Deum fuisse gubernatorem, iuxta haec dicta: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item, Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Item, Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me.

III. QUAESTIO.

Quomodo placet nova obedientia inchoata?

Diversissimi gradus sunt hominum. Alii securi vivunt in sceleribus contra conscientiam, qui nihil anguntur, cum tamen audiant haec fulmina: Scortatores, adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei. Hi sciunt, et fateri coguntur se displicere Deo.

Alii Hypocritae iactitant se facere Legem Dei et placere Deo propter externam disciplinam, sicut Pharisaeus apud Lucam. Sic Papistae dicunt, renatos satisfacere Legi Dei, et posse esse sine peccato.

Tertius gradus est eorum qui conversi sunt ad Deum, et habent initia timoris et fidei, et cum sentiunt infirmitatem suam, quam frigida sit invocatio, quam multae errantes flammae cupiditatum, quanta ignorantia, quam multa errata in vocatione, quam multae praetermissiones officii, valde excruciantur et disputant, An et quomodo placeant Deo.

Hic Papistae delent totam doctrinam de fide, et dicunt, semper dubitandum esse. Haec humana et Ethnica imaginatio est doctrina contemtus Dei et desperationis. Nam vivens in tali dubitatione, an Deo placeat, vivit sine invocatione, et tandem opprimitur desperatione, et pugnat haec dubitatio cum his dictis: Per hunc audemus accedere in fiducia, per Fidem Iesu Christi. Item, Quomodo invocabunt, nisi credent.

Sit igitur brevis et perspicua responsio. Nova obedientia seu bona opera in conversis seu renatis placent Fide propter Mediatorem. Haec responsio declaretur his tribus membris.

Primum statuat conversus personam iustam esse, id est, acceptam Deo et placentem, gratis propter Mediatorem, sola Fide, non propter propriam Legis impletionem.

Secundo, agnoscat et fateatur conversus, se nequaquam Legi Dei satisfacere, et adhuc circumferre in sese peccata, magnam caliginem, ignorantiam, dubitationem, nec in mente lucem fidei et firmitatem esse tantam, quanta esse debeat, nec in corde timorem, qualis esse debet, nec ardentem

dilectionem, et laetitiam in Deo, nec invocationem, nec gratiarum actionem satis ardentem et multas esse flammas errantium cupiditatum, valde multa peccata ignorantiae et omissionis: et vere doleat, tantam esse molem peccati reliquam in nobis, nec naturam hanc integre obedire Deo, nec integre laetari in eo, et habere multa peccata, quae revera Deo displicent, et languefaciunt invocationem, sicut Paulus queritur, se captivum rapi Lege peccati.

Tertio sciat conversus, quanquam non satisfacimus Legi Dei, tamen Deum vere et immutabiliter velle, ut inchoëtur obedientia, et ad eius inchoationem, effundere in corda Spiritum sanctum, et placere Deo inchoatam obedientiam, non propter dignitatem, sed Fide propter Mediatorem, qui et intercedit pro nobis assidue, et est umbraculum tegens infirmitatem nostram, sicut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Hac brevi responsione complectimur doctrinam de hac quaestione, Quomodo placeat nova obedientia, cum sit mutila et languida. De hac quaestione, cum vetustas multa obscure disputaverit, fontes diligenter considerandi sunt, qui passim in Prophetis monstrantur, et ad Romanos 6. 7. et 8. cap. copiose illustrati sunt.

Primum taxatur horribilis impietas et securitas, quae fingit non necessariam esse novam obedientiam.

Secundo, taxatur arrogantia Hypocritarum, qui putant se Legi satisfacere, et se et opera propter propriam dignitatem placere, sicut sese admiratur Pharisaeus Lucae 18.

Tertio, monemur de vera humilitate, cum agnoscimus infirmitatem nostram: sicut Iob clamitat: Vere scio, quod non sit iustus homo coram Deo.

Quarto, ostenditur amplitudo misericordiae Dei, recipientis propter Filium hanc mutilam et mendicam obedientiam in tuis moribus, in quibus ipse cernis multum esse sordium.

Quinto, accenduntur corda ad invocationem, et ad studium bene operandi, cum sciamus velle Deum nos non deterreri ab invocatione propter nostram infirmitatem, et velle nos non eo segniores esse in bene operando, quia cogitamus operum imperfectionem.

Tenenda sunt igitur testimonia de utraque propositione. De priore: In renatis in hac vita manent peccata, testimonia sunt illustria, Psal. 147. Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Iob. 9. Vere scio, quod non sit iustus homo coram Deo. Et longa declaratio extat Rom. 7. Sciamus igitur oportere abesse arrogantiam, qualis est in Pharisaeo Lucae 18. qui putat se Legi satisfacere, et sine peccato esse, Sed addenda est etiam consolatio, videlicet altera propositio: Conversi placent Deo, et exaudiuntur a Deo, etiamsi adhuc haerent in eis reliquiae peccati. Testimonia illustria sunt, Roman. 8. Nulla nunc condemnatio est his, qui in Iesu Christo ambulant, quasi dicat: quanquam sentio aliam Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meae, tamen nulla condemnatio est ambulanti in Christo, id est, converso, iam placenti fide propter Mediatorem, et vivificato per eum. Et Rom. 5. Iustificati Fide pacem habemus apud DEUM per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus in gratiam hanc, in qua stamus. 1. Petri 2. Offerte hostias spirituales placentes Deo per Iesum Christum, quasi dicat: placentes non propter propriam dignitatem, sed propter summum sacerdotem Filium, qui, quid maius petere potest, quam cum dicit: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis. Sic et Paulus inquit: Dilexit nos in dilecto. Rom. 6. Non estis sub Lege, sed sub Gratia. Ibi hoc ipsum quaeritur, an placeat obedientia, cum Legi non satisfaciamus. Respondet placere, quia sumus in gratia propter Mediatorem, per quem habemus iam hoc beneficium, ne simus sub Lege, id est, captivi et condemnati. Nam sub Lege esse, est condemnatum esse a Lege. Rom. 8. Quis nos condemnabit: Christus pro nobis mortuus est, et resurrexit, qui est ad dexteram Dei et intercedit pro nobis, id est, placent conversi propter CHRISTUM, qui et victima fuit, et nunc semper offert sui sacrificii satisfactionem, et pro nobis precatur, sicut dicitur: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Ephes. 3. Per quem habemus audaciam et accessum in fiducia per Fidem Iesu Christi, id est, fiduciam accedentem et invocantem Deum propter Mediatorem Filium, propter quem haec invocatio placet. Coloss. 2. In Christo consummati estis, id est, etiamsi renati nondum satisfaciunt Legi, tamen sunt iusti et placent Deo, propter Filium Fide.

Hic agnoscamus et celebremus amplitudinem misericordiae Dei, quod videlicet in reconciliatis hanc mutilam, mendicam et squalidam obedientiam tamen recipit et ipsos diligit et exaudit, sicut Dominus inquit: Pater meus diliget eos. Item, Sit dilectio tua in eis, qua me diligis. Rom. 14. Qui in his servit Christo, beneplacebit Deo. Hebr. 12.

Ideo regnum accipientes quod destrui non potest, retineamus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum reverentia et circumspectione. Iubet retineri gratiam, id est, non amitti fundamentum, nec ruere in scelera contra conscientiam, et affirmat placere obedientiam propter gratiam, videlicet propter Mediatorem. Sic postea capite 13. dicit: Per quem offerimus sacrificium laudis omni tempore Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiae autem et communicationis ne obliviscamini: Tales enim hostiae placent Deo.

His et similibus testimoniis confirmemus nos contra diffidentiam et segnitiem. Ideo enim in Invocatione trepidamus, et negligentius omnia facimus, quia remoratur nos conspectus nostrae indignitatis, quo movemur, ut cogitemus: Cur invocas: cur multum vis conniti: cum fortassis non exaudiaris, nec placeat tuus labor. Sicut Petrus inquit: Egredere a me Domine, quia peccator sum.

Contra vero utrumque cogitandum est, et indignos nos esse, et tamen accedendum esse ad Deum fiducia Mediatoris, sicut Epheseos 3. dicitur, et certo statuendum est, recipi, diligi et exaudiri nos. Psal. 33. dicitur: Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eius salvavit eum. Et Dominus inquit Lucae 18. Semper orate, et non fiatis languidi. Item, Petite et accipietis. Et Syriacid. 7. *μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῇ προσευχῇ σου*, id est, non sic accedas ad Deum, ut trepides dubitatione, an te recipiat et exaudiat, aut an velit tam multa et tam magna largiri, quae pro te et aliis petis.

IIII. QUAESTIO.

Propter quas causas nova obedientia retinenda sit seu bona opera facienda?

Semper retinenda est perspicua doctrina et asseveratio, quod nostrae virtutes et bona opera non sint meritum remissionis peccatorum, neque reconciliationis, neque vitae aeternae, sed quod haec beneficia certo propter Filium Dei Gratis dentur credentibus, videlicet, remissio peccatorum, reconciliatio et haereditas vitae aeternae. Roman. 6. Donum Dei vita aeterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Ephes. 2. Gratis salvati estis per Fidem.

Simul autem propositio vera est, Nova obedientia est necessaria. Et recte intelligantur vocabula, Nova obedientia seu bona opera intelligantur non tantum de externis operibus, sed prius de interiore luce et novitate. Et insulsum est necessaria interpretari extorta coactione vel metu poenarum: Sed necessitas significat ordinem, quem sapientia et iustitia Dei immutabiliter sanxit, ut creatura Deo obtemperet. Sic et debitum intelligatur, non extortum coactione vel metu poenarum, sed ordo, quem Deus immutabiliter sanxit. Sic Paulus inquit: Debitores sumus. Scio quosdam petulanter ludos et praestigias quaerere in harum vocum depravationibus, qui cum non habeant studium Veritatis, nolo cum eis rixari, tantum breviter haec moneo de nativa significatione vocum, et iuniores adhortor, ut recte loqui et iudicare studeant. Impropria enim et ambigua pariunt errorem.

Sic igitur dico. Nova obedientia est necessaria necessitate ordinis causae et effectus, item necessitate debiti seu mandati. Necessitas ordinis causae et effectus sic intelligatur, cum fide accipitur Spiritus sanctus, fit vivificatio, et laetitia in Deo, et accenduntur tales motus, qualis est ipse Spiritus sanctus. Est igitur hoc ordine novitas necessaria, ut si dicas, Aquam calefactam necessario calere et calefacere. Sic Iohannes inquit: 1. Iohan. 3. Omnis natus ex Deo peccatum non facit, quia semen Dei in eo manet. Item, Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo. Haec dicuntur proprie de hac necessitate quae est ordo causae et effectus. Altera necessitas est debiti seu mandati, quia manet debitum, id est, ordo immutabilis, ut creatura Deo obtemperet. Nec liberatio a Lege est talis laxatio, ut Lex, id est, sapientia et iustitia in Deo desinat, quae ordinat, ut rationalis creatura sit ipsi conformis.

Cum igitur fit reconciliatio, fit ideo, ut restituatur conformitas cum Deo, sicut Paulus inquit: Per fidem Legem stabilimus. Habet igitur et conversus latro in cruce novam obedientiam et bona opera, est in eo poenitentia integra, et audita consolatione fide erectus, habet iam novam et magnam lucem de Messia, et incipit Deum diligere, laetatur in Deo, invocat eum et ei gratias agit, subiicit se ei in poena, ostendit etiam testimonia confessionis, obiurgat impium latronem, et iam conversus fit templum Dei. Insulsum est somniare non esse lucem et virtutes divinitus accensas in eo.

Ex his gradibus necessitatis, sequuntur et aliii. Necessitas retinendae fidei, quia, cum fiunt peccata contra conscientiam, Spiritus sanctus expellitur, et lapsus contra conscientiam rursus fit

reus irae Dei et poenae aeternae, ut clare dicitur 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum, ex Diabolo est. 1. Cor. 6. Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae etc. non possidebunt regnum Dei, etc. Est et haec necessitas consideranda ex ordine partium conversionis, quod ne potest esse quidem Fides in iis, qui sunt sine poenitentia, et perseverant in delictis contra conscientiam. Ideo dicitur in iuramento: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. 1. Cor. 6. Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae, non possidebunt regnum Dei.

Tertia necessitas est vitandi poenas temporales et aeternas, quia lapsi, qui non rursus convertuntur, ruunt in poenas aeternas. 2. Pet. 2. Fiunt eis posteriora prioribus deteriora, et sunt sicut canis rediens ad vomitum.

De temporalibus poenis sciendum est plurimas magnas calamitates in genere humano privatim et publice poenas esse certorum lapsuum, etiam in his, qui sancti fuerunt, et postea redeunt ad poenitentiam. Quanquam enim poenae mitigantur agentibus poenitentiam, et Deus in ira recordatur misericordiae, quod certissimum est, tamen etiam ostendit testimonia irae adversus peccata, et multos lapsus severe punit, ut Eccles. 8. dicitur: Non erit impunita impietas: Ut propter Davidis adulterium et homicidium, secuta est horribilis seditio mota a filio etc.

Cultus Idoli permissus a Salomone causa fuit dilacerationis regni, quae postea praebuit occasionem bellis sine fine.

Propter Manasse bellum illatum est patriae. Denique tota vita privatim et publice, plena est exemplorum, ut de poenis electorum dicitur, Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis. Et in genere dicitur: Ierem. 22. Quare sic fecit Deus huic magnae civitati: Quia Deum reliquit etc. Et in Psalmo, Propter iniquitatem corripis filios hominum. Psalm. 106. Propter iniustitias suas humiliati sunt. Item, Psalm. 72. Propter iniquitatem suam perierunt. Mich. cap. 7. dicit de Ecclesia: Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Et Daniel inquit: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei nostrae etc. Et explodenda est illa frigida, sophistica et stulta cavillatio, quae reprehendit benefacta metu poenae. Multi sunt fines unius facti, sed ordinati. Sciunt sancti primum propter Deum recte faciendum esse, sed sciunt hoc quoque, velle Deum conspici iram suam in poenis, et velle metui poenas praesentes et futuras, quia sunt testimonia et commonefactiones de ira Dei. Ostenduntur poenae in toto genere humano, et Deus multa exempla scribi voluit, vult igitur eas considerari et commonefactiones esse de ira sua.

Non igitur sophistice disputemus, non metuendas esse poenas, quia recte faciendum sit, etiam non metu poenae. Hic considerandum est hoc quoque, quod aeternae poenae sint infinitus cumulus aeternorum peccatorum. Et poenis temporalibus multa peccata implicita sunt, sicut in poenis Saulis et Davidis intelligi potest.

Dictum est de necessitate, cui quomodo addatur dignitas, considerandum est. Papistae dicunt, virtutes et bona opera renatorum mereri vitam aeternam de condigno, ut ipsi loquuntur. Dicunt item, quod sint impletio Legis et pretium vitae aeternae, et tamen iubent homines manere in dubitatione, et doctrinam fidei obruunt. Hoc totum χάος errorum damnandum est. Supra autem exposuimus ordine veram doctrinam de Fide, item de obedientia, qualis sit et quomodo placeat. Sint igitur in conspectu hae regulae.

Primum remissio peccatorum, reconciliatio, vivificatio per Filium et Spiritum sanctum, et haereditas vitae aeternae, donantur gratis propter Christum credentibus.

Secundo, Nova obedientia in hac vita non satisfacit Legi Dei, et non est meritum seu pretium vitae aeternae, imo adhuc manent in renatis multa et tristia peccata, ut saepe diximus.

Tertio, Quae est igitur dignitas novae obedientiae: cum nominetur cultus Dei et sacrificium, item cum praemia a Deo offerantur? Respondeo. Non est haec dignitas, quod sint Legis impletio, meritum seu pretium vitae aeternae, sed postquam fide persona est iusta et haeres vitae aeternae, placet Deo nova obedientia, ut dictum est supra, propter Mediatorem. Et propterea nominatur cultus Dei et sacrificium. Talis est dignitas: quia placere Deo et esse sacrificia, magnum bonum est. Non vult Deus perire totum genus humanum, sed immensa misericordia colligit ex eo aeternam Ecclesiam, cui se in tota aeternitate communicet, et hanc collectionem et communicationem vult inchoari in hac mortali vita, Per hanc Ecclesiam vult agnosci, et celebrari doctrina, et certo modo obedientiae, et vult eam discerni ab impiis. Non placent impiorum actiones, quanquam splendidae: Sed prior obedien-

tia placet, iuxta dictum Petri: Offerte hostias spirituales, placentes Deo per Iesum Christum. Et haec ipsa obedientia placens Deo, nominatur cultus Dei et sacrificium, scilicet εὐχαριστικόν. Haec nomina sunt honorofica. Nam sacrificium significat opus, quo Deus iudicat se honore affici. Ideo dictum est, Esai. 61. Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis. Psalm. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum. Malach. 3. Purgabit et colabit eos sicut aurum et argentum, et erunt duo offerentes sacrificia in iustitia.

Quanta consolatio est scire, Pastorem, Doctorem, Discipulum, Magistratum, Militem, Patremfamilias, Matrem, placere Deo, et personam et hanc squalidam obedientiam in maximis laboribus et aerumnis vocationum, et discerni nos ab impiis. Quantum refert scire militiam Davidis esse sacrificium Deo gratum et utile Ecclesiae: Iulii militiam esse horribile incendium, et impetum, in quo Deus contumelia afficitur. Ideo dicit Paulus: Deus est, qui facit, ut velitis, et ut perficiatis, ut aliqua ipsi grata fiant, quasi dicat: Non vult totum genus humanum tale esse, ut contumelia Deum afficiat. Sed vult esse aliquam partem, quae celebret Deum et grata ei faciat, et quidem ipse adiuvat volentes ipsi obedire, et facit, ut servetur Ecclesia, et prosint labores, Sicut alibi inquit Paulus: Non est inanis labor vester in Domino.

Haec bona scilicet placere Deo, esse sacrificium, esse labores utiles, qualis dignitas sint, diligenter considerandum est, ut et necessitas, et haec ingentia bona, videlicet, quod obedientia placet Deo, quod est sacrificium, quod utilis est Ecclesiae, exuscitent nos ad curam bene operandi, et maius donum est, quod Deus affirmat se haec ipsa bona gubernare et adiuvare, se praesentem esse in illa obedientia.

Deinde addatur doctrina de praemiis, ubi sciendum est duplices esse promissiones. Prima Evangelii est propria et gratuita. Altera est operum, quae potest nominari Legalis. Promissio Evangelii propria, est promissio gratiae, id est, remissionis peccatorum, reconciliationis, vivificationis per Filium et Spiritum sanctum, et vitae aeternae propter Mediatorem donandae. Haec et praecipua et prima promissio est, Ideo enim misit Deus Filium, ut ab aeternis malis nos liberet et restituat aeterna bona. Ac certo tenenda est haec consolatio, hanc promissionem et gratuitam esse, et semper ratam esse iis qui convertuntur ad Deum, et confugiunt ad Filium Fide, etiamsi amittenda sint omnia bona corporis, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Ideo promissio gratiae nominatur aeternum Testamentum. Quia vero Deus in hac vita vult inchoari collectionem Ecclesiae, addidit etiam promissiones bonorum corporalium seu praesentium, quae etiam sunt ratae propter Filium, sicut 2. Cor. 1. dicitur: Omnes promissiones in Christo sunt ratae et tamen differentia est, Deus dat bona corporalia, neque eadem, neque eodem modo, ut Abrahae dat divitias, non dat Lazaro. Sinit Ionatham interfici cum patre, non sinit occidi Davidem. Item punit exilio Davidem, non sic punit Ezechiam.

Vult autem et poenas et praemia operum in hac vita quoque conspici, quare atrocia delicta punit atrocibus poenis in hac vita, et pro benefactis dat praemia alias aliter suo consilio. Et vera est propositio: Bona opera sanctorum, etiamsi neque remissionem peccatorum, neque reconciliationem, neque vitam aeternam merentur, tamen mereri alia praemia corporalia et spiritualia in hac vita, aliquo modo mitigationem poenarum praesentium, gubernationem tranquilliorem. Et gradus erunt in vita aeterna.

Sint igitur in conspectu promissiones additae operibus. Date et dabitur vobis. Beati mites, quia possidebunt terram. Et saepe cogitemus, quare Deus tradiderit promissiones corporalium bonorum, et quod velit etiam in his bonis petendis et accipiendis exerceri Fidem, Invocationem, et Gratiarum actionem. Numerantur autem quinque causae, propter quas traditae sunt promissiones bonorum corporalium.

Prima, Vult Deus nos confirmari contra Epicureas imaginationes, et sciri non casu offerri haec bona sine ipsius consilio. Vult ergo primum exerceri Fidem de providentia, quod et creata sint ab ipso bona corporalia, et distribuantur ipsius consilio, iuxta dictum: Benedictio Domini divites facit.

Secunda causa est, Vult has promissiones praesentium bonorum testimonia esse, quod in hac vita Ecclesiam servaturus sit. Ideo Paulus inquit: Pietas habet promissionem praesentis et futurae vitae, et Dominus inquit: Scit Pater vester coelestis, quod vobis his rebus opus sit. Item, Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Et Esa. 30. Dabit Dominus panem et aquam cum tribulatione, et non sinet avolare doctorem.

Tertia causa est, Quia vult Deus in his bonis petendis et accipiendis exerceri Fidem, Invocationem, et Gratiarum actionem, iuxta dictum: Invoca

me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me.

Quarta causa, Vult Deus promissiones bonorum corporalium commonefactiones esse de promissione gratiae, quia bona corporalia dantur propter promissionem gratiae, propter Mediatorem et collectionem Ecclesiae nec potest fieri invocatio ac petitio bonorum corporalium, nisi prius apprehensa gratia. Semper igitur in petitione corporalium bonorum simul cogitanda est promissio gratiae, ut accendi fides, et fieri invocatio possit.

Exercetur autem et confirmatur fides multipliciter, generaliter et specialiter. Primum generaliter, quia petens haec bona agnoscit ea non casu spargi, sed vere a Deo dari, foveri et servari etiam hanc corporalem vitam, ut in hac vita Ecclesia esse possit, soboles ali et institui, et homines regi possint, iuxta dictum: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Item, In ipso sumus, vivimus et movemur. Et confirmatur fides, cum liberatio aut mitigatio calamitatis ostendit praesentiam Dei, iuxta dictum: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. Pater et Mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me. Castigans castigavit me, et morti non tradidit me. Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Item, Misericordiae Domini, quod non consumti sumus.

Deinde specialiter exercetur et confirmatur fides, quia Deus vult haec corporalia commonefactiones esse de invocatione, ut simul de promissione gratiae cogitetur. Non enim potest fieri invocatio, nisi praelucente hac fide, quod Deus nos propter Mediatorem gratis recipiat et exaudiat. Simul igitur haec specialis fides de gratia exercetur et confirmatur.

Sic igitur veteres scripserunt. Tertium praeceptum quo ad genus est naturale, et pertinet ad omnia tempora, scilicet quo ad conservationem ministerii. Sed quo ad speciem, est Ceremoniale, et non obligat nos, scilicet quo ad ritum septimi diei, et ad modum otii seu cessationis eo die. Sed tamen decet eo die non facere operas, quae impediunt ministerium Evangelii, aut alios abducunt a ministerio. Hae nominantur operae serviles. Ex hoc fonte sumatur responsio ad vulgare argumentum.

Ceremoniae Mosaicae sunt abolitae.
Praeceptum de Sabbato est Ceremoniale,
Ergo est abolitum.

Respondeo ad minorem. Praeceptum de Sabbato est Ceremoniale quo ad speciem, id est, quo ad certi diei observationem et cessationis modum. Haec species est abolita. Sed est naturale seu morale, quo ad genus attinet, id est, ad praecipuam sententiam praecepti, scilicet ut conservetur ministerium. Consentaneum est autem Apostolos hanc ipsam ob causam mutasse diem, ut ostenderent exemplum abrogationis legum Ceremonialium politiae Mosaicae in die septimo.

Simul autem sciamus Deum velle publicos et honestos congressus esse, et velle doctrinam Evangelii non esse arcana Eleusynia, sed vocem publicam, ut Filius in toto genere humano agnoscatur, sicut praeceptum est: Hunc audite. Qui quidem et ipse immensa bonitate conservator est ministerii, sicut scriptum est: Sedet ad dexteram aeterni Patris dans dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores et Doctores. Item, Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad seculi consummationem. Et quidem per eum et propter eum Ecclesia usque ad extremum iudicium colligitur, Idque regnum Christi nominat Paulus, cum inquit, Postea traditurum esse regnum Deo et Patri. Ac valde necessarium est hanc assiduam praesentiam et efficaciam Filii Dei in Ecclesia cogitare, de qua Paulus inquit: Ipse est caput omnia in omnibus perficiens. Et Dominus inquit: Ego sum vitis, vos palmites. Item, Sine me nihil potestis facere, Manete in me et ego in vobis.

Haec de praesentia et de efficacia Filii Dei in ministerio, et de dignitate ministerii complectitur doctrina tertii praecepti, iuxta hanc sententiam: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quo dicto expresse affirmatur, Deum efficacem esse, per externi verbi, lecti seu auditi, cogitationem. Est ergo opus tertii praecepti, conservatio ministerii Evangelii, quae pertinet non solum ad docentes, sed etiam ad populum audientem, et ad coetum, qui praeparatur ad docendum. Docentes recta doceant, et Sacramenta recte administrent. Auditores sint memores huius dicti: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.

Nec constituitur hoc dicto potestas extra Evangelium, sed mandatum traditur de audiendo Evangelio, et necessaria consolatio additur, vult nos scire Filius Dei, revera efficacem esse Deum voce ministri, sicut voce Filii, et non quaerendas esse alias revelationes extra scriptum verbum, sicut Stenckfeldius et Anabaptistae abiiciunt scriptum verbum.

Etsi autem omnes corruptelae doctrinae simul sunt peccata contra primum, secundum, et tertium praeceptum, tamen quatenus labefactatur ministerium, proprie pugnant cum tertio praecepto, et quidem Stenckfeldiani furores et Anabaptistici, qui negant Deum efficacem esse per vocem doctrinae, directe delent totum ministerium. Sunt igitur peccata contra tertium praeceptum, et Donatistarum furores, qui contendunt Deum non esse efficacem, si doctores aut administrantes Sacramenta non sint sancti: Cum tamen fides verbo Dei, non sanctitate ministri niti debeat, iuxta hoc ipsum dictum: Qui vos audit, me audit, id est, non ministri personam, sed meam respiciat.

Sunt et alia multa peccata contra tertium praeceptum, prorsus abolere ministerium Evangelii, ut multi Tyranni faciunt. Item, Corrumpere doctrinam aut Ceremonias. Item, Non convenire ad publicos congressus in Ecclesiis recte constitutis, et malo exemplo alios abducere. Item, Non tribuere debitam reverentiam Evangelii ministris. Item eripere eis victum. De poena horum manifestissimorum delictorum expresse dicitur, Aggaei 1. Quia domum meam negligitis, coeli non dant rorem, et terra fit sterilis, et Ieremiae 17. Si non sanctificabitis diem Sabbati, succendam ignem in portis Ierusalem et devorabit domos et non extinguetur, et simus memores dicti Ignatii, τὰς ἑορτὰς μὴ ἀτιμάζετε.

DE SECUNDA TABULA.

Mirum videtur dictum Christi de secunda Tabula, cum inquit: Secundum mandatum simile est primo. Sed causae gravissimae sunt, videlicet, ut intelligatur similitudo obligationis eatenus, quod hu-

mana autoritate nullum mandatum secundae Tabulae aboleri possit.

Est et Antithesis opposita errori Hypocritarum omnium temporum, qui praeferunt Ceremonias laboribus Oeconomicis et Politicis a Deo mandatis, ut Monachi suos ritus nominant perfectionem, et longe anteferunt vitae Oeconomicae et Politicae: Tunc etiam sacrificia valde quaestuosa erant, sicut Missa apud Sacrificulos. Ideo amplificabatur dignitas sacrificiorum, quae stulte cumulabantur sine mandato divino.

Tales superstitiones taxantur dicto Christi, quod dilectionem antefert, sicut Prophetae saepe docent, Oseae 6. Misericordiam volo, non sacrificium, et scientiam Dei plusquam holocausta, id est, praecipio veram agnitionem et invocationem Dei, de qua prima tabula Decalogi concionatur, et praecipio beneficentiam erga homines, de qua secunda tabula loquitur, Et Ecclesiast. 4. Custodi pedem tuum, cum accedis ad domum Dei, et appropinqua, ut audias potius quam ut offeras victimas stultorum, qui nesciunt, quantum faciant mali.

Ad haec testimonia adiungantur alia similia in concionibus Prophetarum. Illustratur dictum Christi et hac differentia: Ceremoniae etiam divinitus traditae in casu necessitatis omitti possunt, ut David comedit panes propositionis, sed moralia non habent talem exceptionem, et semper de his tenenda est regula: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona, quia Deus immutabiliter postulat in mente et corde hominis conformitatem cum ipso.

Discendum et hoc est ex illo dicto Christi, quod officia Oeconomica et Politica vere sint cultus Dei, in his qui fide reconciliati sunt, et referunt haec opera ad debitum finem, id est, ut testentur eo opere hunc esse Deum, quem colunt, et Deum velle sic coli, et hac obedientia Deo praestent debitum honorem: sicut cultus Dei est castitas Ioseph. Item, Militia Davidis. Item, Omnia officia patrisfamilias et matrisfamilias.

Honora Patrem et Matrem.

Lex Moralis est sapientia et norma iustitiae in Deo, patefactá creaturae rationali etc. Est autem primus gradus sapientiae vera Dei agnitio, et ut vivificet Deus creaturam rationalem, vult in ea lucere, et sic illa fit unum cum eo, et vicissim eum diligit, ita fit ei conformis. Deinde sapientia est in homine intelligere ordinem, quem et inter homines sanxit Deus, et iustitia est conformitas cum voluntate divina, quae vult hunc ordinem servari. Sicut Deus condidit homines, non ut perirent, sed ut essent, sic vult parentes gignere et genita servare, et vicissim diligi parentes a genitis. Vult et deinde caeteros esse, non deleri, unde sunt praecepta: Honora patrem et matrem. Non occides etc. Deinde vult intelligi Deum esse castum et veracem, et nos debere ei conformes esse in castitate et veracitate: hinc sunt praecepta: Non moechaberis, Non dices falsum testimonium. Praeceptum, Non furtum facies, habet similem causam, ut praeceptum, Non occidas, quia inferiores spoliati fame perirent. Utraque igitur tabula ostendit, qualis debeat esse in homine conformitas ad sapientiam et iustitiam in Deo erga ipsum et erga homines propter ipsum.

Est autem secundae Tabulae primum praeceptum: Honora patrem et matrem, quia ordinem personarum primum constitui oportet. Estque primus gradus imperii autoritas parentum. Includantur ergo in hoc praeceptum alia passim tradita, de obedientia debita legitimis Magistratibus, quibus Deus tradidit locum parentum, et summa comprehensa est Rom. 13., Unde longior declaratio sumatur.

Vocabulum honoris tres gradus complectitur: Reverentiam in mente propter Deum, Deinde externam obedientiam, Tertio ἐπιείκειαν in quibusdam erratis parentum et Magistratuum tolerandis.

Primus gradus honoris est intelligere ordinem divinum, et propter Deum venerari hunc ipsum ordinem, et velle subiici Parentibus et Magistratibus, videlicet ordine divino: Nam cuicunque tribuendus est honos, propter aliquid divinum tribuendus est.

Est autem ipse ordo opus sapientiae Dei et testimonium de Deo, et de providentia, ut res ipsae, generatio, et sobolis conservatio. Deinde custodia societatis, Legum, iudiciorum, pacis, non fiunt sine auxilio Dei. Itaque praesentiam Dei in coniugio et in imperiis aspicere debemus, et has res propter DEUM venerari et diligere.

Haec reverentia in mente primus gradus honoris est. Deinde accedat externa obedientia, de qua teneatur regula: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Haec sententia testatur peccatum mortale esse, contumaciter violare edicta politica civilium Magistratuum.

Tertius gradus est ἐπιείκεια in tolerandis qui-

busdam oneribus gravioribus, quae vel a parentum infirmitate oriuntur, vel comitantur aerumnas imperiorum, ut 1. Petri 2. dicitur: Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum, Subditi estote Dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam asperis.

Necesse autem est res et personas discernere, ut coniugium est res ordinata divinitus, bona, et digna reverentia, etiamsi multi eo abutuntur. Ita politicus ordo est res ordinata divinitus, et quidem illustre testimonium est sapientiae, iustitiae et praesentiae Dei inter homines. Significat enim ordo has res bonas, leges honestas, iudicia, iustas poenas, distinctionem dominiorum, contractuum, conservationem communis societatis. Huius ordinis quantum reliquum est, id vere a Deo conservatur, etiam cum partes aliquae lacerantur, ut etiamsi lupi aliquas oves rapiunt, tamen diligentia Pastoris magna pars gregis servatur: Ergo etiamsi aliqui iniuste dominationem ad se transferunt, ut Pisistratus, iniuste se facit Dominum Athenarum, aut cum turpissima bellua NERO praeest in imperio, quanquam personae peccant, tamen ipsi ordini politico debetur reverentia, ut Paulus execratur Neronem, sed veneratur ordinem divinitus institutum.

Deinde de personis quaerendum est, quae tolerandae sint, et quomodo eis debeatur obedientia, et quae non sint tolerandae, et quo ordine sint removendae. Hic definitiones tenendae sunt.

Bonus Magistratus est qui habet προαίρεσιν iusta faciendi, et plerumque iusta facit, etiamsi aliquando labitur, aut in aliqua parte est negligentior aut asperior, quam esse debebat.

Haec definitio necessario tenenda est de personis, in qualibet honesta functione, de milite, de scholastico etc. et sumta est ex his dictis, Paulus inquit: Hoc requiritur, ut fideles inveniamur. Medicus sciat artem et habeat bonam voluntatem, quae comprehendit etiam sedulitatem.

Altera pars sumitur ex Salomone, Non est iustus in terra, qui benefaciens non etiam peccet, ut David, Cyrus, Augustus, etiamsi et voluntatem recte faciendi habent, et multa recte faciunt, tamen multa negligunt. De talibus loquitur Petrus: Subditi estote dominis, non solum bonis et aequis, sed etiam asperis.

Hic postulatur obedientia, et erga publicam ordinem, et erga personam talis Magistratus, cui congruit definitio iam recitata. Nam aut praecipit ea, quae congruunt ad ordinem politicum: tunc Deo necesse est praestari obedientiam, illa ipsa praecipienti, quae sunt sancita Legibus, aut quaedam agit negligentius, aut in parte aliqua asperius agit, tamen retinenda est persona et praestanda obedientia propter divinum mandatum.

Contra vero Malus Magistratus seu Tyrannus est, qui habet προαίρεσιν scelerate faciendi, et in praecipuis rebus scelerate facit, etiamsi interdum aliquid iuste facit, ut NERO. Tales removendi sunt a gubernatione per Magistratus ordinarios, ut Neronem Senatus et praestantissimi Duces iudicarunt hostem. Constantinus Ecclesias defendit contra Collegas et affinem. Ius etiam habent singuli immediate laesi, si sint affecti atroci et notoria iniuria, interficiendi Magistratus, ut et textus in Iure dicit: Consulem licere interfici deprehensum in adulterio. Et Hipparchum Athenis interfecit Harmodius propter sororem et alias contumelias. Sed disputationem de personis relinquo prudentibus considerandam.

In quarto praecepto proprie de parentibus et Magistratibus loquimur. In tertio de Sabbato, dicimus de ministris Evangelii, et de obedientia, quae eis debetur, et quia Pontificii faciunt κακοζηλίαν, cum imitatione potestatis politicae constituunt regna in Ecclesia, necesse est de discrimine admoneri homines. Violatio Legum politicarum in Imperiis est peccatum mortale, iuxta dictum: Necesse est obedire non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: ut contumaciter gestans arma contra prohibitionem legitimi Magistratus, aut nolens obedire latae sententiae in legitimo iudicio, iuxta honestas leges, haud dubie facit peccatum mortale.

Sed in Ecclesia sciendum est de traditionibus humanis, quae ab Episcopis aut Pastoribus conduntur, non esse peccatum earum traditionum violationem extra casum scandali, quia expresse scriptum est: Nemo vos arguat in cibo, potu, vicibus festorum etc.

Sed magna contentione opponitur hoc argumentum:

Non debetur minor reverentia Ecclesiasticae potestati quam politicae.
Legum politicarum violatio est peccatum mortale,
Ergo et traditionum in Ecclesia.

Respondeo: Concedo maiorem de reverentia,

sicut eam Deus ordinavit. Ordinavit autem, ut debeatur obedientia ministris Evangelii in omnibus, quae sunt iuris divini, iuxta dicta: Qui vos audit, me audit, Qui vos spernit, me spernit. Haec dicta tantum ad doctrinam et mandata iuris divini pertinent, et non constituunt Episcopis aut Pastoribus regnum extra ministerium.

De ipsorum autem traditionibus Evangelium hoc sancit, Ordinationes humana autoritate factas intelligendas esse sine opinione cultus et sine opinione necessitatis, ut sunt observatio festorum, lectionum etc. Sed cum opponitur exemplum Legum politicarum, constanter respondendum est, dissimile esse, et causa haec est, quia Deus armavit potestatem politicam autoritate condendi proprias leges, quae non pugnant cum iure divino, et vult illo vinculo munitam esse pacem, videlicet obedientia debita honestis legibus et sententiis Magistratuum.

Sed ministros Evangelii nequaquam vult instituere novos cultus, et si quid boni ordinis causa instituitur, ut series festorum, vult ea intelligi sine opinione cultus et necessitatis. Hanc libertatem in Evangelio sancitam nulla humana autoritas mutare potest. Haec scire necesse est.

DE QUINTO PRAECEPTO.

Non occides.

Tota haec pars Decalogi constituens politiam in externa gubernatione manifestam habet necessitatem. Et hic ipse politicus ordo manifestum testimonium est, quod sit Deus, et quod sit iudex et vindex, quia Deus manifeste est exequutor harum legum, etiamsi Magistratus non faciunt officium, aut non possunt facere iuxta dictum: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Ideo et Ethnici dixerunt hunc ordinem iustitiae divinum esse, ut in versibus Empedoclis dicitur:

ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διὰ τ' εὐρυμεδόντος
αἴθερος ἠνεκέως τέταται καὶ ἀπλέτου αὐγῆς.

Comprehendantur autem in hac Decalogi parte etiam dicta de Magistratuum officio, quos Deus vult executores esse poenarum. Qui cum non faciunt officium, Deus tamen poenas exequitur, et servat regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur.

Cogitentur etiam in his praeceptis non utilitates tantum, sicut Iurisconsulti cogitans, pacis causa prohiberi caedem et adulteria, sed intueamur causas priores: Deus vult conformitatem cum suo ordine. Ipse autem diligit Filium Christum, prohibet iniustas caedes in toto genere humano. Est castus, ideo vult et nos castos esse, et destruit contraria. Item, sciamus etiam interpretationem a Christo traditam Matth. 5. videlicet non tantum externa opera contraria Legi, iniustas caedes et libidinum confusiones prohiberi, sed etiam interiores flammas pugnantes cum Lege Dei.

Sciamus etiam, quomodo respondendum sit Iuliano et aliis, qui disputaverunt Evangelii doctrinam absurdam et perniciosam esse vitae humanae, quia prohibeat vindictam. Respondendum est enim prohiberi vindictam privatam seu non ordinatam a Deo, severissime vero praecipi et muniri ordinatam a Deo, videlicet officium Magistratuum.

Haec ipsa distinctio utilissima est imperiis, et ostendit praesentiam Dei in dilectione societatis humanae. Haec tota doctrina perspicue in Ecclesiis nostris explicata est Dei beneficio, et refutanda sunt deliramenta Monachorum et Anabaptistarum, ad quorum argumenta erudite respondendum est.

Deus dicit: Mihi vindictam et ego retribuam.
Ergo nec Magistratus exerceat vindictam.

Respondeo: Nego consequentiam, quia in antecedente comprehenditur officium Magistratus, ego retribuam vel per me immediate, ut cum Deus delet Pharaonem, Sodomam, vel mediate, ut Deus punit Catilinam per Consules.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Non moechaberis.

Legem et virtutes vult Deus intelligi, ut et sciamus, qualis ipse sit, et in Invocatione discernamus eum a malis naturis. Facit autem illustre discrimen, Castitas, quam quantum velit Deus, dupliciter intelligi potest, et quia ipse horribiliter punit confusiones libidinum, et quia Diaboli tam furenter impellunt homines, ut varie contaminentur, quod faciunt, non quia voluptas similis sit in ipsis, ut in carnali natura, sed odio Dei, ut magis offen-

datur Deus, et plures homines perdant. Quare magnificiamus castitatem, et in Invocatione Deum discernamus ab omnibus immundis naturis cogitatione castitatis. Ego expresse dico: Omnipotens, aeterne, vive Deus, sapiens, caste, verax, liberrime etc.

Sciamus autem in praecepto, Non moechaberis, comprehendendas esse omnes prohibitiones de incestis commixtionibus recitatas Levit. 18. capite, ubi et universalis comminatio poenae corporalis expressa est; Omnis anima quae fecerit has abominationes, eradicabitur.

De poenis aeternis expresse dicitur, 1. Cor. 6. Nec scortatores, nec moechi regnum Dei possidebunt.

Cognita Lege et poenarum comminatione, definitio castitatis constituatur. Castitas est virtus, vitans omnes commixtiones et effusiones seminis a Deo prohibitas.

Deinde consideretur, quomodo velit Deus coniungi marem et foeminam.

Prima regula in Paradiso tradita est: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Haec sententia et institutionem coniugii et prohibitionem vagarum libidinum continet, et prorsus idem dicit, quod praeceptum: Non moechaberis. Cogitemus autem causam, quare expressâ voce in Paradiso prohibitae sint vagae libidines, cum non sit expresse dictum: Non occides, quia luce naturae magis intelligebatur hoc praeceptum, Non occides, quam alterum, Non moechaberis. Ut autem alibi dicitur, In negativis praeceptis comprehendi affirmationes, Ita hic dicimus: cum adulterium prohibetur, simul legitimum coniugium approbari sciamus, et complectamur universam doctrinam de coniugio, castitate, et poenis vagarum libidinum, et sciamus etiam, cum in conversione remittuntur poenae aeternae, tamen poenas corporales in hac vita sequi contaminatos, ut in Davide, Mitigatio tamen fit his, qui convertuntur ad Deum, iuxta dictum: Non accendit Deus totam iram suam. Item, In ira tua Domine misericordiae recordaberis.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Non furtum facies.

Deus vult intelligi Iustitiam aequalitatem esse, ut sciamus ipsum aequalem esse, et non προσωπολήπτην. Lex, Non occides, sancit aequalitatem, ne tu alterius corpus violes, nec alius tuum, sed aequaliter serventur omnia membra generis humani. Ita Lex, Non furtum facies, sancit aequalitatem, ne alteri quicquam eripias vi aut fraude, nec alius tibi quicquam eripiat, sed aequaliter suum quisque teneat. Rursus igitur considerandum est in negativis praeceptis comprehendi affirmativa. Cum prohibetur furtum, perspicue confirmatur dominiorum distinctio. Ideo hoc praeceptum fanaticis hominibus opponendum est, qui clamant in Evangelio praecipi Platonicam communicationem facultatum, sicut nunc Anabaptistae docent, et saepe magni tumultus ex hoc delirio orti sunt.

Confirmat autem Deus distinctionem Dominiorum non solum Lege, sed etiam poenarum executione, quia etiam, cum cessat Magistratus, tamen Deus regulam servat: Vae qui spolias etc. Item, Male parta, male dilabuntur. Et notum sit illud Pindaricum:

ἐντὶ μὲν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν ὅμως.

Haec doctrina grata sit omnibus, ut habentes proprium, laeti sciant Deo placere hunc ordinem, et a Deo defendi et ei gratias agant, et omnes ab alieno libentius abstineant, sintque in conspectu plura testimonia ex hoc praecepto Decalogi nata. Prov. 5. Fontes tui deriventur foras, et tu dominus eorum maneto. Citatur Augustini dictum: Tolle iura Imperatorum, et nemo audet dicere, haec villa mea est, Unusquisque, quod possidet, iure humano possidet.

Haec dicta etsi in speciem excusantur, tamen si fontes considerentur, impropria et periculosa sunt, et quidem a multis non recte intelliguntur. Unusquisque, quod iuste possidet, tenet iure divino iuxta hanc Legem: Non furtum facies. Et cum dicunt: Aliud est induci in possessionem, seu initio distingui dominia, ut cum deducuntur coloniae, victor attribuit agros, Aliud est loqui de retinendis iis, quae attributa sunt. Ad id quoque respondeo. Nec prima origo distinctionis dominiorum est ab autoritate humana, sed a Deo, haereditas tibi relicta a parentibus est tua iure divino et humano, emtione, mutatione, donatione, transferuntur dominia iure divino et naturali.

Tales translationes non oriuntur ab imperiis. Magistratus sit custos illius ordinis: Sic nec attribuit tibi haereditatem, sed sit custos et executor Legum.

Sed omissa subtiliore disputatione teneamus vocem Decalogi: Non furtum facies, Quaecunque est origo distinctionis dominiorum, postquam Deus furta prohibet, sciamus iure divino contractus, et proprietates confirmari, et muniri, et hoc iure teneri reges, principes et privatos.

Nec licet principibus sumere ex alienis facultatibus quantum volunt, sicut et historia de vinea Naboth ostendit. Sed dictum 1. Reg. 8. Hoc est ius regis, auferet agrum etc. loquitur de legitimis stipendiis, quae ad regni constitutionem et ad communem defensionem, conferuntur, iuxta dictum: Estote contenti stipendiis vestris.

Prudenter etiam intelligendum est dictum: Omnia sunt regis, quod aulici assentatores nimium amplificant. Sicut in historia HENRICI LUCELBURGENSIS narratur, mota quaestione in itinere de quadam arce, disputatum simul esse, An vera sit propositio: Omnia sunt Imperatoris. Cumque alter Iurisperitus defenderet eam propositionem veram esse, alter contrarium tueretur, fecerunt iudicem Imperatorem Henricum, ita ut victus daret equum victori. Imperator, ut solet fieri, magis favet illi, qui amplificat potentiam Imperatoris, pronuntiat veram esse propositionem, Omnia esse imperatoris, victus dedit equum victori. Inde faceti homines reprehendentes assentationem, hunc iocum sparserunt: Alter respondit aequum, alter habet equum.

Haec inserui commonefactionis causa, ut consideretur humana levitas, quae de hoc praecepto ludens, laudem ingenii esse ducit, graviter defraudare homines, ut sunt infinita artificia stellionum et impostorum in contractibus, et iniustarum expilationum in aulis, unde vetus Proverbium est, τάμιαι λάμιαι.

DE OCTAVO PRAECEPTO.

Non dices falsum testimonium.

Ut supra dixi, Notitias virtutum traditas esse divinitus, ut sint testimonia, quod sit Deus, et ostendant, qualis sit, et quod sit vindex: Ita in hoc mandato considerandum est, Deum severissime postulare veritatem, ut ipsum veracem esse sciamus, sicut Iohannis 8. inquit Dominus: Qui misit me, est verax. Rom. 3. Sit autem Deus verax. Quod eo firmius statuendum est, ut sciamus Deum nec velle peccata, nec causam esse peccati, quia saepissime affirmat, se irasci peccato. Zach. 8. Iuramentum mendax ne diligatis, omnia haec odi, dicit Dominus. Cum autem sit verax, non sunt in eo contradictoriae voluntates.

Est autem VERITAS virtus servans convenientiam cogitationis, sermonis et gestuum cum re cogitata, et convenientiam sermonis et operum in pactis seu contractibus. Ac sciamus de veritate praecipi, cum dicitur: Sit sermo vester est, est, non, non: et prohiberi mendacia in plurimis locis Proverb. 12. Abominatio Domini labia dolosa, et Proverb. 19. Testis mendax non erit impunitus, et qui loquitur mendacium, peribit. Hae prohibitiones et comminationes flectant nos ad veritatis amorem, et ad fugienda mendacia, praestigias Sophismatum et imposturas in tota vita, in iudiciis, in pactis, in contractibus, in doctrinis et in artibus.

Corruptelae quidem doctrinae de Deo proprie pugnant cum secundo praecepto: Non usurpabis nomen Dei tui vane, sed corruptelae in artibus collocentur inter mendacia pugnantia cum hoc praecepto: Non dicas falsum testimonium etc.

Discernantur autem a mendaciis figurae, quibus aliquando sancti et sapientes cum magna laude utuntur. Rachel arte occultat Idola. Raab negat se habere hospites Israëlitas. Coniunx Davidis fingit maritum aegrotale, et collocat statuam in recto. Et 2. Regum 17. teguntur in cisterna Achimas et Ionathas. Tales figurae non sunt mendacia proprie loquendo, sed velut stratagemata, et ut ab Herodoto dicitur, σχήματα λόγου seu Ironiae, seu παρὰ τοῦτο, id est, non causa ut causa: ut Rachel non surgit simulans morbum.

Est autem proprie loquendo mendacium cogitatio contraria rei seu dictum contrarium rei, quam dici necesse est, seu gestus contrarius rei, cum ex futilitate aut studio nocendi oritur. Haec definitio comprehendit omnia mendacia, quae proprie sic nominantur et sunt peccata, ut cum miles gloriatur se eodem die praeliatum esse in Cilicia et Macedonia. Item alia palam falsa et perniciosa aliis, ut cum Palamedes calumniose accusatur.

Sed figurae, de quibus dictum est, sunt occultationes earum rerum, quas non necesse est dici interroganti, sicut Michol non debuit maritum prodere. Vetustas sic distinxit: mendacia alia sunt perniciosa, alia iocosa, alia officiosa. Etsi autem modos loquendi veterum scire non est inutile: tamen concinnius est nomen Mendacii non transferre ad stratagemata, aut figuras, aut iocos, videlicet ut ad Apologos aut poëmata, ut cum lupus accusat

ovem aut cum pictor pingit Sphingem, volens significare Sophisticam. Vetustas iocosa mendacia nominat Apologos et Poëmata. Officiosa sunt, ut stratagemata, aut figurae Raab, Michol et similes. Haec non sunt peccata, sed sunt consilia singularis sapientiae, quae congruit cum sapientia Dei. Sunt enim commonefactiones de rebus veris et bonis quasi pictura ostensa: et referuntur ad hunc finem, ut prosint aliis, ut quid sunt aliud Ceremoniae Mosaicae nisi tales figurae, aliud significantes, quam quod oculis cernitur. Vult enim Deus homines docere, aut proprio sermone, aut figurato, aut picturis.

DE NONO ET DECIMO PRAECEPTO.

NONUM ET DECIMUM praeceptum ostendunt discrimen Legum Politicarum et Legis divinae. Leges Politicae tantum praecipiunt de externis actionibus, non loquuntur de motibus aut cordis pravitate, ut non rapias res alienas, quia reliqua est in natura libertas frenandi externa membra, seu regendi locomotivam. At Leges divinae praecipiunt de integra obedientia, de interiore et exteriore, seu de integra conformitate omnium virium hominis, mentis et voluntatis et cordis cum Deo, ut accusent et damnent non tantum externa delicta, sed etiam tenebras mentis, et pravitatem cordis. Ideo haec duo praecepta postrema addunt hanc declarationem superioribus: Non concupisces uxorem alterius. Non concupisces res alienas. Et repetitur haec declaratio Matth. 5.

Pharisaei et Monachi dixerunt tantum damnari vitiosos affectus, cum accedit consensus, non προπάθειας, hoc enim nomine aliqui usi sunt. Hunc errorem taxat Paulus ad Romanos septimo et octavo capite, et affirmat peccata esse omnes vitiosos affectus, etiam cum nondum accessit consensus, et radicem eorum, scilicet peccatum originis, quod comprehendit tenebras in mente, dubitationes de Deo, et in voluntate et in corde aversionem a Deo, scilicet quod cor est sine timore Dei, et sine dilectione Dei, et habet horribiles fremitus adversus Deum in iudicio seu poenis. Complectitur et ingentem confusionem affectuum, pugnantium cum Lege Dei. De his malis omnibus, de radice et fructibus inquit Paulus: Sensus carnis inimicitia est adversus Deum. Haec mala damnantur in his praeceptis.

Discant autem iuniores haec vocabula recte intelligere, et discernant affectus. Vocabulum concupiscentiae saepe usurpatur pro illa mala radice, etsi appetitiones differunt, quaedam sunt conditae a Deo in natura, quae fuissent etiam in integra natura, ut amor Dei, appetitio cibi, potus et similes. Item στοργαί, ira, qualis est in Elia zelus.

Aliae sunt appetitiones suo genere vitiosae, ut fremitus adversus Deum, ira in Cain, incendium inordinati amoris in Davide, et omnes tales motus pugnantes cum Lege Dei. Ideo Augustinus, cum damnat concupiscentiam, addit restrictionem, et nominat malam concupiscentiam.

Ego brevius vocabulo ἀταξίας utor, cum damnatur concupiscentia, dico ἀταξίαν significari in omnibus viribus, in hac depravata natura, sicut loquitur Ieremias: Cor hominis perversum est et aerumnosum in omnibus.

Hae admonitiones propter iuniores in his praeceptis repetuntur. Pharisaei et Monachi negant peccata esse radicem vitiosorum affectuum, et vitiosos affectus. Stoici pariter volunt tolli omnes affectus, cum necesse sit discerni conditos in natura et alios pugnantes cum Lege Dei.

ADMONITIO COMMUNIS DE PRAEMIIS ET POENIS SEU DE PROMISSIONIBUS ET COMMINATIONIBUS.

Ut autem in gubernatione humana videmus Leges contemni, si non delinquentes puniantur, sicut dicunt Aeschines et Demosthenes, οὐδὲν ὄφελος τῆς πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας, Ita consideremus in Lege divina promissiones et comminationes: et longa commemoratio est benedictionum et maledictionum in fine Deuteronomii. De quibus primum hoc sciamus, quod omnes homines nati in hac pravitate naturae, sint rei peccati, et communem poenam sustineant, scilicet mortem corporis.

Item cum nemo Legi satisfaciat, quaestio est, quid prosint comminationes et promissiones. De hac quaestione postea dicemus, quia necesse est discerni promissionem Evangelicam videlicet gratiae, et promissiones legales, et exponi, quomodo hae quoque prosint reconciliatis.

Prius autem de maledictionibus et poenis dicamus, et sicut usus Legis alius est politicus, alius

accusare peccata coram Deo: Ita executio poenarum differt. Atrocia delicta in vita politica universaliter comitantur atroces poenae etiam in hac vita corporali, sicut de homicidio hae regulae testantur, Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit: et de incestis libidinibus, Omnis anima quae fecerit has abominationes, eradicabitur. De rapinis: Vae qui spolias, quia spoliaberis. De periuriis et blasphemiis: Non habebit Deus insontem, quisquis nomen DEI vane usurpaverit. His comminationibus regulariter eventus respondere experientia testatur, quae etiam Ethnicos has regulas docuit, quanquam et a patribus eas acceperunt. Et ut apud Pindarum dicitur: βέβαιον ἕξεις τὸν βίον δίκαιος ὤν. De hac paedagogica doctrina etiam homines saepe monendi sunt, et sciendum est has corporales poenas non casu accidere, nec tantum hominum consilio institutas esse, sed ordinatas esse a Deo, et quidem Deum executorem esse, etiam cum Magistratus sunt infirmiores et negligentiores, aut non faciunt officium.

Vult enim Deus haec manifesta spectacula testimonia esse, quod sit Deus, et ostendere, qualis sit, videlicet iustus et vindex, vult commonefactiones esse, quod Lex naturae insita rationi sit Lex divina, et quod sit providentia, et quod Deus custos sit politicae societatis. De hac praesentia Dei inter homines commonefaciunt nos haec horrenda spectacula, de quibus et concio Christi dicit: Mensuram confertam et agitatam dabunt eis in sinum.

Deinde cogitentur causae, de quibus Iurisconsulti loquuntur, quod tranquillitatis publicae causa oporteat tolli sceleratos: Sed prius in his poenis iudicium Dei contemplemur.

Sed praeter exequutionem poenarum corporalium accedit et alia maledictio, videlicet ordinatio ad poenas aeternas, quae opprimunt omnes homines, qui non sanantur agnitione Filii Dei, ut cum in Saule, Iuda incipit sensus irae Dei, in quo sese interficiunt. Illi ingentes dolores et fremitus adversus Deum sunt initium aeternarum poenarum, ut Iohannes inquit: Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Et sic maledictionem in Lege denuntiatam, declarat Paulus de aeternis poenis: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Lege, ut sciamus ea.

De utilitate autem benedictionum legalium et promissionum corporalium nihil dici potest, nisi prius dicatur de promissione gratiae. Ideo semper in conspectu sit haec distinctio.

Duae sunt promissiones, altera gratiae, propria Evangelii propter Filium Dei Gratis dandae, videlicet remissionis peccatorum, reconciliationis, seu iustificationis, donationis Spiritus sancti et vitae aeternae.

Altera promissio est bonorum corporalium, quae duplex est: aut gratuita, conservationis corporis Ecclesiae iuxta dictum: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Esaiae 48. Etiam in senecta gestabo vos. Item, Erit sicut in diebus Nohae, unus assumetur, alter relinquetur. Item, Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Aut est addita bonis operibus iustorum, ut: Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Traditae sunt autem promissiones de conservatione Ecclesiae et bonis corporalibus propter quatuor causas.

PRIMA est, ut sciamus bona corporalia non casu obiici, sed vere a Deo dari, sicut dicitur: Benedictio Domini divites facit. Item, Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Item, Leones esurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.

SECUNDA causa, Ut sciamus Deum velle conservare Ecclesiam in hac vita, iuxta haec dicta: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item apud Esaiam: Posui verba mea in ore tuo, et dextera mea protegam te, ut plantes coelos.

TERTIA causa, ut petitio corporalium sit exercitium invocationis iuxta dictum: Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te. Item, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Item, Ipse est vita tua et longitudo dierum tuorum: In ipso sumus, vivimus et movemur.

QUARTA causa, Quia vult petitionem corporalium esse commonefactionem de promissione et petitione gratiae, quia petitio sine fide, inanis est, vel ut Augustinus dicit: Oratio sine fide peccatum est. Oportet igitur in omni petitione corporalium praelucere fidem, petentem et accipientem gratiam propter Filium Dei, sicut et in precatione communi mox additur: Remitte nobis debita nostra. Item, Si fuerint peccata vestra ut coccinum et vermiculus, eritis candidi sicut nix, ubi et promissio gratiae, et promissio conservationis corporis Ecclesiae, et mitigationis poenarum comprehenduntur.

Quod promissio conservationis corporis Eccle-

siae sit gratuita, ostendunt haec dicta. Esaiae 48. Propter nomen meum longe faciam furorem irae meae, propter me faciam, ut non blasphemer, id est, propterea ut sit aliqua pars generis humani, in qua Deus recte agnoscatur, et recte invocetur, non sinam funditus interire Ecclesiam. Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam vero meam non amovebo ab eis. Haec et similia dicta sint in conspectu, et inter tantos fluctus et confusiones generis humani consolentur nos, ut certo statuamus, mansuram esse Ecclesiam Dei, gratuita misericordia Dei propter Filium. Dabit igitur ei aliqua hospitia. Sicut et Esaiae 30. haec coniunguntur: Dabit vobis Dominus Doctorem, et panem et aquam cum tribulatione.

Sciamus autem omnes promissiones corporales habere exceptionem castigationis et crucis, ut castigatur David rapiens alterius coniugem: Castigantur 10 tribus, item duae tribus. In his calamitatibus publicis aut privatis aliquando etiam pii onerantur, ea afflictio nominatur crux, ut afflictio Iob, Ioseph et similium.

Etsi autem bona opera piorum non sunt impletio Legis, et haerent peccata in sanctis in hac vita: tamen eis promissa sunt et corporalia et spiritualia praemia, quia Deus approbat ea, et nominat iustitiam et cultus Dei praelucente fide, et vult Deus exerceri fidem et spem et dilectionem talium operum exercitiis, ut haec omnia simul exercet vidua Sareptana. Credit doctrinae Eliae et agnoscit verum Deum, scit ei hanc obedientiam placere, quod Prophetae praebet hospitium, exercet simul fidem, exercet dilectionem, quia Deo praestat obedientiam et pascit Prophetam.

Ita Abdemelech, quia benefecit Ieremiae, servatur in excidio Ierusalem. Talia multa sunt praemia corporalia, mitigatio poenarum praesentium, defensio vitae, politiae et oeconomiae, foelicitas liberorum etc.

De talibus praemiis loquuntur haec dicta: Date et dabitur vobis. Item, Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Esaiae 33. Regem in decore suo videbunt, id est, videbunt florentes politias, florentia imperia. Item 58. Frange esurienti panem tuum, et requiem dabit tibi Dominus semper.

Ita fiunt ratae promissiones, additae operibus, in his qui iustificati sunt fide, et recte praestant obedientiam, de qua dicit Petrus: Offerte hostias spirituales placentes Deo propter Iesum Christum, quasi dicat: non propter Legem: Tamen de his regula semper tenenda est, cumulari beneficia haec immensa Dei bonitate, non propter operum dignitatem, sicut Iacob inquit: Minor sum cunctis miserationibus tuis. Haec confessio simul in his exercitiis luceat.

Considerandum et hoc est, promissiones in Moise de politia Israelitica in specie loqui. Ac post destructionem politiae Israeliticae non est una Ecclesiae sedes in politia certa, sed passim inter gentes Ecclesia colligitur. Quare promissiones, quae de hospitiis et aliis bonis corpori necessariis in Evangelio loquuntur, iuxta dictum: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis, intelligantur in genere. Deus dat hospitium Athanasio in urbe Trevirensi, etiamsi Alexandria pellitur. Semper autem corporalibus promissionibus addatur exceptio castigationis et crucis.

DE PECCATO.

Vocabulum peccati in Ecclesia non tantum intelligatur de actione, ut Latini Grammatici loquuntur, sed significat aversionem a Deo, ream coram Deo, seu damnatam, nisi fiat remissio, sive id malum sit actio, sive morbus haerens in natura. Ac usitatum est nominare duas species, peccatum Originale et peccatum Actuale. Et usitata definitio est sumta ex Anshelmo. Peccatum originis est carentia iustitiae originalis debitae inesse. Etsi autem magni labyrinthi sunt disputationum de hac descriptione, tamen recte institutis explicatio facilis est.

Cum privationes definiantur per habitus, prius cogitetur, quid fuerit iustitia originalis, quae saepe describitur, cum dicitur homo conditus ad imaginem et similitudinem Dei. Et interpretatur Paulus imaginem Ephes. 4. Ut induatis novum hominem creatum secundum Deum in iustitia et sanctitate vera. Erat igitur iustitia Originalis et acceptatio coram Deo, et in mente lux recte agnoscens Deum, et quae assentiri Verbo Dei poterat, et radii illustres sapientiae Legis transfusae in homines in creatione. Et erat in corde congruentia cum Lege Dei, Dilectio Dei, et Laetitia in Deo, et integer ordo omnium virium hominis. Et talis si mansisset homo, fuisset templum Dei, et sicut in primo capite Iohannis dicitur, si homo retinuisset Verbum Dei, Filius Dei in homine vivificasset eum, sicut dicitur: Verbum erat vita hominis, et fuisset homo sine peccato et morte, ac fulsisset in eo firma notitia Dei per Verbum habitans in mente, et arsis-

sent corda dilectione per Spiritum sanctum habitantem in corde.

Haec bona omnia comprehenduntur, cum nominatur iustitia Originalis. Carentia igitur non tantum est reatus, sed etiam amissio integritatis naturalis, et bonorum, quae fuissent addita. Sicut usitate loquuntur scriptores de viatore saucio, spoliatum esse gratuitis, id est, desiisse hominem esse templum Dei, et vulneratum esse in naturalibus, id est, secutam esse caliginem in mente, quae gignit horribiles dubitationes, et secutam esse contumaciam in corde, item, Mortem et omnes corporis languefactiones. Hac simplici declaratione considerata, definitionem Anshelmi non aspernamur, sed multi, qui quaestiones in Longobardum scripserunt, corruperunt eam insulsis explicationibus.

Existimo autem definitionem sic constitui posse. Peccatum originis est reatus propter lapsum primorum parentum, propter naturae humanae depravationem, quae secuta est lapsum primorum parentum, quae non tantum poena est primi lapsus, sed etiam peccatum. Membra huius definitionis confirmantur his testimoniis: quod posteritas sit rea propter lapsum primorum parentum. Rom. 5. dicitur: Per unius delictum in omnes homines mors intravit. Deinde quod depravatio naturae simul cum illo reatu accesserit, non tantum ut poena, sed etiam ut peccatum, id est, malum, propter quod etiam homo est reus aeternae poenae, nisi sit facta remissio propter Filium. Nam Paulus expresse nominat hunc morbum, Legem in membris, et, ne poena tantum intelligatur, addit: pugnantem cum Lege mentis. Et cum dicitur: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea, vocabulum prius significat proprie depravationem, alterum significat proprie reatum.

FINIS.

VI. DE ECCLESIA ET DE AUTORITATE VERBI DEI

PHILIPPO MELANTHONE AUCTORE.

Ab illis libris, in quibus aut universa evangelicae doctrinae dogmata a Melanthone variis modis tractata sunt, aut magna eorum pars exhibetur, nunc transgredimur ad eos, in quibus de singulis partibus dogmatices egit. Inter quos ordiamur ab iis, qui continentur in hacce collectione:

Libelli | aliqvot vti- | les Philippi Me- | lanthonis. | De Ecclesia. | De Poenitentia. | De coniugio Sacerdotum. | Scripta quaedam, de usu integri | Sacramenti & Missa Theatrica. | De potestate Pontificis & Epi- | scoporum, & alijs quibusdam controuersijs col- | lecta opera & studio Casparis Crucigeri | Doctoris Theologiae. | Scriptum in conuentu Schmal- | caldensi, propositum a Theologis, qui ibi adfuerunt, | contra Suenkeldium, Sebastianum Francum, | & nonnullos errones alios, Mense | Martio, Anno 1537. | *Responsio de Controuersijs | Stancari. | Vitebergae | Excvdebat Iohannes | Lufft. Anno* 1560. 21 plagg. litt. A—X sign., 167 foll. num., ult. fol. album. 8. min. (fol. 2^{a} — 4^{b} Melanthonis praefatio ad Albertum Ducem Prussiae, a. 1539. scripta; fol. 5^{a} — 53^{b} De Ecclesia et de autoritate verbi Dei; fol. 54^{a} cont. titulum subsequentis tract.: *Doctri- | na de Poeniten- | tia, Ideo repetita ut praestigiae | de Satisfactionibus recens | excogitatae a quibusdam | Sophistis refuta- | rentur. | Epistola ad Le- | ctorem in qua respondetur | Flacio Illyrico. | Avtore Philip- | po Melantho- | ne. Anno* 1560.; fol. 54^{b} — 59^{b} med. Mel. praefatio ad Lectorem, Cal. Oct. 1549 scripta; fol. 60^{a} — 78^{a} De Poenitentia. Phil. Mel. a. 1548.; fol. 78^{b} — 79^{a} *Defensio | conivgii Sacer- | dotum pia et erudita, missa ad | Regem Angliae, collecta | a Philippo Melan- | thone,* subsequente rhythmica Querela animarum piarum ad Deum, de Tyrannis, qui interficiunt pios propter Evangelii professionem; fol. 79^{b} — 98^{a} De Coniugio Sacerdotum, Phil. Mel.; fol. 98^{b} *Scripta | qvaedam de vsv | integri Sacramenti | et Missa Theatrica. | De potesta- | te Pontificis et Epi- | scoporum, et alijs quibusdam | controuersijs, collecta opera & | studio Casparis Crucigeri Do- | ctoris Theologiae, partim anno |* 1540. *in conuentu Schmal- | caldensi, partim anno se- | quenti in conuentu Ra- | tisbonensi.*; fol. 99^{a} — 110^{b} De usu integri Sacramenti; fol. 111^{a} — 121^{b} Contra privatam Missam; fol. 122^{a} — 125^{a} De Missa theatrica; fol. 125^{b} — 138^{a} De potestate et primatu Papae. ἀδέσποτον.; fol. 138^{b} cont. titulum: *Scriptvm | in conventv | Schmalcaldensi | propositum a Theologis, qui | ibi adfuerunt contra Schuenc- | feldium, Sebastianum Fran- | cum, & nonnullos errones | alios, Mense Mar- | tio, Anno |* 1537.; fol. 139^{a} — 142^{a} Contra Schwenkfeldum; fol. 142^{b} — 144^{b} init. De Eucharistia non administranda, nisi adsint quibus ea distribuatur, Ratisbonae 7. Iun. a. 1541.; fol. 144^{b} med. — 153^{a} Annotata

a Doctore Casparo Crucigero Ratisbonae ad refutandas praestigias Sophismatum Eccianorum in praecipuis doctrinae Christianae capitibus; fol. 153ᵇ — 167ᵃ Responsio Phil. Mel. de controversiis Stancari, annexis duabus quaestionibus, et Verbis Ambrosii in epistola priore ad Timotheum; fol. 167ᵇ et ult. fol. vacant.). *)

— — (Idem Index) *Vitebergae* 1561. 8. **)

Hi libri, quinto et ultimo exceptis, eodem ordine (cum annotatt. marginal.) recusi sunt in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis Parte secunda* (*Witteberyae* 1562. Fol.) pag. 117—210.; et in his Operibus Wittebergae 1580 sqq. recusis (conf. Vol. XXI. p. 591 sq.). Responsio Mel. vero de controversiis Stancari cum illic annexis legitur in huius Collectionis Operum Parte I. fol. 345ᵇ — 350ᵃ. Examini Ordinandorum proxime adiuncta, aeque ac in hoc Corporis Volumine p. 87—102. huic Examini est annexa.

Tractatus *de Ecclesia et de autoritate verbi Dei*, qui inter illos libellos primo loco exhibetur, primum seiunctim prodiit anno 1539. sic inscriptus:

De Ec- | clesiae avtorita- | te (sic) *& de veterum scrip- | tis libellus | Autore. | Philip. Melanch. | Vitebergae. | Anno. M. D. XXXIX.* (Hic titulus inclusus est figuris ligno incisis, inter quas infra titulum est Insigne Electoris Saxon., quod a grypho et leone tenetur.) — (In fine:) *Impressvm Vitebergae | per Iosephvm Clvg. | Anno M. D. XXXIX.* Supra hanc Clausulam indicatur hocce erratum: „G. 5. b. uersu 5. lege. ut recordemur mortis & beneficiorum suorum.“ (Illo enim loco in hac Ed. falso leguntur: „ut recordemur mortuis & bene ficiorum suorum.) 9 plagg. litt. A—I sign., 71 foll. non num., ult. fol. album, 8. min., (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ Mel. praefatio ad Albertum, Ducem Prussiae Marchionem Brandenburgensem a. 1539. scripta; fol. A 5ᵃ — D 1ᵇ med. De Ecclesia et de autoritate verbi Dei, cum 49 annott. marg.; fol. D 1ᵇ — I 7ᵃ De ecclesiasticis scriptoribus vetustis, cum 4 annott. margin., subiunctâ Clausulâ; fol. I 7ᵇ — 8ᵇ vacant.).

Hanc primam Editionem eodem anno apud eundem secuta est haec altera:

De Ec- | clesiae avtori- | tate & de veterum scrip- | tis libellus. | Autore. | Philip. Melanch. | Vitebergae. | Anno. M. D. XXXIX. (Hic titulus iisdem figuris ligno incisis cinctus est.) — (In fine:) *Impressvm Vitebergae | per Iosephvm Clvg. | Anno. M. D. XXXIX.*, supra quam Clausulam nullum erratum indicatur, quoniam illo loco in hac Ed. recte legitur: „ut recordemur mortis et beneficicrum suorum. 9 plagg. litt. A—I sign., 71 foll. non num., ult. fol. album, 8. min. (fol. A 2ᵃ — 4ᵇ Mel. praefatio ad Albertum, Ducem Prussiae; fol. A 5ᵃ — D 1ᵇ med., De Ecclesia et de autoritate verbi Dei, cum 49 annott. margin.; fol. D 2ᵃ med. — I 7ᵃ De ecclesiasticis scriptoribus vetustis, cum 4 annott. margin., subiunctâ Clausulâ; fol. I 7ᵇ — 8ᵇ vacant.). ***)

Haec altera Ed. cum priore in plagg. A—F omnino congruit; at inde a fol. G 1ᵃ usque ad fol. I 6ᵇ divisione aliquot paginarum et multarum linearum ab ea differt, praeterea invenitur varia lectio hisce locis: fol. G 2ᵇ lin. 12. Ed. 1. habet: *Principio*, Ed. 2. male: *Principia*; fol. G 5ᵃ lin. 3. Ed. 1. *pro alijs*, Ed. 2. *pro mortuis*; fol. G 5ᵇ lin. 5. Ed. 1. male: *mortuis et bene ficiorum*, Ed. 2. recte: *mortis et beneficiorum*; fol. G 7ᵇ lin. 2. Ed. 1. *purgatorium*, Ed. 2. male: *purgotorium*; fol. G 8ᵃ lin. 14. Ed. 1. *ἀλλ' ἐστι*, Ed. 2. *ἀλλ' ὡς ἐστι*, et lin. 23. Ed. 1. *scripturis*, Ed. 2. *Scriptura*; fol. G 8ᵇ lin. 15. Ed. 1. *scolastico*, Ed. 2. *scholastico*, et lin. 17. Ed. 1. *rhapsodiam*, Ed. 2. male: *rapsodiam*; fol. H 1ᵇ lin. 16. Ed. 1. typ. errore: *δυσσβείας*, Ed. 2. recte: *δυσσεβείας*; fol. H 4ᵇ lin. 11. Ed. 1. *ferunt*, Ed. 2. recte: *serunt*; fol. I 3ᵃ lin. 19. Ed. 1. *eorum*, Ed. 2. *eorum etc.*; fol. I 4ᵇ lin. 6. Ed. 1. *se iungat*, Ed. 2. recte: *seiungat*.

— — (Idem Index) *Vitebergae* 1550. 8. †)

---

*) Haec Ed. in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

**) Haec Ed. olim erat in Biblioth. senat. Norimb.

***) Utraque Ed. in meis libris est.

†) Hanc Ed. et subsequentem memorat Strobelius in praefatione suae Editionis huius libelli illico recensendae p. 8.

— — (Idem Index?) *Argentinae per Wendelinum Rihelium*, sine anni indicio. 8.

Hic tractatus inscriptus *De Ecclesia et autoritate verbi Dei*, reperitur etiam in Melanthonis *Commentariis in epistolam Pauli ad Romanos*, qui *Vitebergae* 1540. 8.*) et *Argentorati* 1540. 8.**) prodierunt, sub finem capitis XIV., eodemque loco in his Commentariis recusis in *Peucerianae Collectionis Operum Mel. Parte III.* (Witebergae 1563. Fol.) p. 1049 med. — 1082. med. Praeterea exstat in *Collectionis Operum Melanthonis*, quae *Basileae apud Io. Hervagium* 1541. Fol. prodiit, Tomo I. p. 451. med. — 486. med.

Ex his elucet, hunc tractatum illo Sec. XVI. quater seorsim prodiisse: 1) *Wittebergae* 1539. 8., 2) *ibid.* iterum 1539. 8., 3) *ibid.* 1550. 8., 4) *Argentinae s. a.* 8., et novies cum aliis Mel. libris coniunctim: 1) *Wittebergae* 1540. 8. 2) *Argentorati* 1540. 8. bis: mense Martio et m. Sept., 3) *Basileae* 1541. Fol., 4) *Wittebergae* 1560. 8., 5) *ibid.* 1561. 8., 6) *ibid.* 1562. Fol., 7) *ibid.* 1563. Fol., 8) *ibid.* 1580 (?) Fol.

Ad has tredecim Editt. antiquiores accessit haec recentior Strobelii sic inscripta:

Scio ex veteribus excerpi posse multa pugnantia cum nostris sententiis. Et excerpit pro suo adfectu quisque quod videtur commodum, ut ex iisdem floribus apes mella legunt, araneae venena. Sed absint a iudiciis Ecclesiasticis Sycophantiae. Non provoco ad omnes Scriptores, sed ad meliores, Ambrosium, Augustinum, et quatenus alii cum his consentiunt, qui cum ipsi interdum pugnantia dixerint, veniam nobis dabunt, si quaedam reprehendemus, modo ut manifestam et certam scripturae divinae sententiam sequamur, nec discedamus a Symbolis, et teneamus, quod ipsi spectarunt ac voluerunt, interdum autem explicare non potuerunt. Nihil enim dubium est, hoc doctrinae genus, quod profitemur, vere esse ipsum consensum Catholicae Ecclesiae Christi, ut ostendunt Symbola, saniores Synodi, et eruditiores Patres. Haec respondi moderatioribus, qui autoritatem Ecclesiae aut Patrum nobis opponunt.

Exoritur autem quoddam novum genus sapientum, qui cum sint ἄθεοι, nulla prorsus volunt moveri de religione certamina, laudant pacem et concordiam, execrantur omnes, qui quocunque modo serunt discordias, hos, tanquam καθάρματα, et pestes generis humani tollendos esse censent. Haec est una Philosophia Pontificum, Cardinalium, Regum, Canonicorum et plurimorum, qui perhiberi volunt politici, qui scilicet otium suum interturbari nolunt, nolunt dignitatem suam labefactari, oderunt doctrinam, quae videtur offectura commodis ipsorum, denique alius aliam habet causam. Horum

omnium una vox est in Regum consiliis, Nullam mutationem concedendam esse, retinendam esse concordiam Ecclesiae, autoritatem ordinariae potestatis.

Deinde habent suos Rhetores, qui vehementissimas conciones in eam sententiam edunt, quos nominari omnes nihil opus est. Extant enim multorum scripta, Sed ex omnibus illis centones nuper consuit Omphalius. Initio tanquam Solon aut Areopagita aliquis, concionatur de Legum dignitate, vituperat seditiones et legum contemtum, commemorat quam dulcis harmonia sit ordinis et *εὐταξία* in Republica, quam Leges efficiunt. Deinde etsi non nominat certam professionem, tamen quos praecipue petat, satis ostendit, declamitat adversus nos, qui quasdam tyrannicas et impias leges Pontificum excussimus. Etsi autem non opinor eum haec gratis dicere, tamen cum eadem dicantur a multis summis et eloquentibus viris, non disputabo, quid iste captet.

Totum hoc genus concionum spectat ad confirmandos potentum animos, ne ulla moderata et pia consilia audiantur, deinde, ut inflammati iniustam saevitiam exerceant. Ut autem David petebat, ne valerent consilia Achitophel, sic nos precabimur Deum, ne horum Rhetorum eloquentia veritatem et gloriam Christi opprimat. Et cum scriptum sit: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, sperabimus Deum non defuturum nobis esse in refutandis illis calumniis, et in gloria Christi illustranda.

Scio plausibiliter dici de Legum dignitate, de pace, de tranquillitate communi. Non adeo rudis sum literarum, nec adeo alienus a civili consuetudine vitae. Sentio etiam in republica communi tranquillitati ea onera condonanda esse, quae sine impietate tolerari possunt. Valeant in eo genere hae sententiae, *τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον*. Et quod Plato dixit, ut deliri patris, ita patriae desipientis mores tolerandos esse. Recte ista in loco dicuntur, de civilibus oneribus, quae sine impietate tolerantur, sed haec philosophia non transferatur ad obruendam gloriam Dei. Doctrinae errores, et idololatria nequaquam dissimulari debent, sicut Christus inquit: Si quis negaverit me, confundam eum. Primum Praeceptum: Non habebis Deos alienos, longe anteferendum est omnibus rebus humanis, legibus hominum, imperiis, ordinariae potestati, paci, patriae, concordiae. His nominibus nihil est augustius, sed tamen anteferendum est nomen Dei.

Prophetae, Apostoli, haud dubie patriam et patriae tranquillitatem, si qui alii, amarunt maxime. Et tamen reprehendere impios cultus et pravas opiniones coacti sunt. Et quidem Christus profitetur se doctrinae genus adferre tanquam ignem, qui sit accensurus ingentes discordias. Necesse est enim existere certamina de cultu Dei, quia Diabolus ardet horribili odio Dei, et quantum potest delere verbum Dei conatur, et adversus Deum homines impios incitat, ac secum trahit florentissima imperia, cum his hostibus belligeratur Christus.

Quare cum necesse sit piis reprehendere et abolere impios cultus, non possunt non esse mutationum autores Prophetae et Apostoli. Quanquam igitur politica sapientia abhorret ab ipso mutationis nomine, Et pii, qui certe non omnes stolidi aut fatui sunt, intelligunt, quantum difficultatum et periculorum adferant mutationes, tamen Christianum pectus antefert mandatum Dei, et excelso animo excipit omnes difficultates, easque intelligit regi a Christo, cui omnia subiecta sunt, ut inquit Propheta.

Haec breviter respondeo, non tam Omphalii orationi, quam illorum sapientum argumentis, qui in omnibus consiliis concionantur de vitandis mutationibus, de concordia. Etsi autem homines *ἄθεοι* hanc responsionem derident, tamen piis utile est considerare haec argumenta, ne illa sapientiae species deterreat animos a pietate, et a professione veritatis.

Et haec scribo maxime admonendae iuventutis causa. Impii cum aliis illecebris, opibus et aliis commodis animos multorum capiunt, tum vero etiam irretitos tenent his persuasionibus, quod vitandae sint mutationes, quod deceat favere ordinariae potestati, tueri praesentem formam Reipublicae. Haec quatenus laudanda sint, Christiani praemonendi sunt, ne obliviscantur huius praecepti: Non habebis Deos alienos.

Doleo quosdam excellentibus ingeniis praeditos conspirare cum impiis, ac faces esse ad incitandos Reges ad crudelitatem, et ad stabiliendam impietatem. Illa est virtus digna magnis et praestantibus viris, praecipue ad laudem Dei conferre industriam atque autoritatem. Hic scopus propositus esse debet omnibus, ut suo quisque loco, quantum potest, conferat aliquid operae ad conservationem coelestis doctrinae. De aliis Parasitastris parvis, qui scribunt Sycophanticos libellos, hoc loco non dicam, qui sunt ex illo genere *κολάκων*, quales alebat Dionysios Siculus, qui sputum Tyranni excipiebant, ac lingebant praedicantes nectare dulcius esse.

Redeo ad sapientes illos, quorum aliqui simulantes religionem, postquam vident absurdas superstitiones superiorum temporum excusari non posse, adfingunt ritibus et decretis molliores interpretationes, ut recte stabiliant impietatem, conservatis ritibus ac vitiosis decretis. Talis est liber editus Coloniae, titulo Reformationis. *) Audio et Contarenum Cardinalem in Italia dicere solere, Lutheranos facere iniuriam Romanis proceribus cum adscribant illis errata plebeiorum scriptorum, ut Legendarum, Dormi secure, et similium. Nunquam sic sensisse Romanos proceres, aut ineptias illas probasse. Ita nunc a se derivant errata. Ac scio ubique gentium plurimos esse, qui hoc novo artificio laudem singularis sapientiae aucupantur, qui primum eo iniusti sunt, quod cum pleraque a nobis correcta ex nostris libris mutuentur, et nostris se pennis ornent, ut fucum incautis faciant, tamen nobis iniqua *δίδακτρα* reddunt, Non enim desinunt in nos exercere crudelitatem, deinde non cogitant hanc novam Sophisticam fore extremam perniciem verae religionis.

Si ingeniis petulantioribus licet comminisci glossas suo arbitrio, quid futurum est? Manifesta est idololatria in cultu Sanctorum, in Missis pro mortuis. Et tamen glossae affinguntur ad retinendos ritus per sese vitiosos. Ita paulo post fortassis Aegyptias superstitiones excusabunt. Absit ab Ecclesia haec impia et perniciosa Sophistica, quae est protestatio contraria facto. Cultus non institutus expresso Dei verbo, per sese vitiosus est, etiamsi affingas quamcunque voles glossam, ut invocatio Sanctorum per sese vitiosa est, quia non est instituta divinitus, deinde et ob hanc causam per se vitiosa est, quia hic ipse mos, etiamsi diversum cogites, tribuit Sanctis honorem Deo proprium, quod omnes audiant.

Possem exempla multa recitare, sed desino, ac pios adhortor, ut istam nefariam Sophisticam execrentur. Ezechias non solum superstitiosas opiniones de aeneo serpente correxit, sed ipsam statuam delevit. Ita pietas est cum impiis opinionibus ritus ipsos abiicere, qui non sunt proprie mores politici. Sicut scriptura praecipit Idola destrui. Sic ipsi ritus privatarum Missarum, Invocatio Sanctorum, Votorum observatio, Monasticus vestitus, Sodalitia monastica, Vinculum coelibatus, Discrimina ciborum, et similes inepti ritus a superstitionibus orti, tollantur et aboleantur.

Sed quid disputo? Illi, qui hac Sophistica pingunt vitiosos ritus, non hoc vere agunt, ut tollant errores ex Ecclesia, sed ut qualicunque praetextu defendant suam autoritatem, et arte stabiliant impietatem. Facile enim repullulant pravae opiniones, si ritus ipsi maneant. Necesse est pios vigilantes esse. Nam Diabolus oppugnat Evangelium, non tantum palam incitans Tyrannos ad saevitiam, sed etiam callide insidias struens praetextu sapientiae, et offundens bellas persuasiones, de quibus cavendis toties praecipit Spiritus sanctus, ut ad Timotheum inquit Paulus, venturos spiritus impostores. Et ad Colossenses ait, traditiones humanas speciem sapientiae habituras esse. Non tantum manifesta deliramenta spargentur, qualia fuerunt pleraque vetera et recentia, ut paulo ante manifestae fuerunt imposturae indulgentiarum, sed etiam homines astuti falsa dogmata et impios ritus artificiose pingent, ut magno cum adplausu excipiantur, amentur ac retineantur. An non habet sapientiae speciem impietas Samosateni? An non est plausibilis error Pelagii prophanis ingeniis? Ita habent haec speciem sapientiae, Prodest ad pacem et tranquillitatem, retinere usitatos mores, decerpantur igitur horridiores opiniones, et affingantur interpretationes *εὐφημότερας*, ritus ipsi retineantur, Splendide hoc dici videtur, cum longe aliud agatur.

Hae Sycophantiae significatae sunt in historia de Christo, quem cum oculos eius velassent, eique colaphos impegissent lictores irridentes, iusserunt vaticinari, a quo percussus esset. Sic excusatores isti impiorum rituum ludibrio habent Christum et Ecclesiam. Postquam insulsum aliquod glossema excogitarunt, putant se iam praestrinxisse Christo oculos, deinde addunt colaphos, hoc est, impietatem stabiliunt, incedunt Reges ad crudelitatem, ac Triumphos agunt, quasi iam prorsus deleriat veritatem. Ipsi plausum in suo Theatro auferunt, praedicantur a malis, amantur a Regibus, quorum serviunt cupiditatibus. Sed orandus est Deus, ut hoc genus Sycophantarum reprimat.

Nicander ait genus esse Serpentum, quod appellat Haemorrhoidas, sunt autem exiguae bestiolae, unius longitudine pedis, sed veneni tanta vis est, ut ab illis icto sudor erumpat cruentus toto corpore, ut ex ore, naribus, vesica large profluat sanguis, ut sanguineas lacrymas extillent oculi, ut ardeat incredibili inflammatione totum corpus. Huius generis bestia cum in Aegypto necasset Nauclerum Helenae, Heroica mulier pede illam contrivit, unde et posteritas Haemorrhoidum dicitur claudicare amissa spina. Porro eventus ostendit hanc novam Sophisticam interpretandarum traditionum, venenum esse non dissimile Haemorrhoi-

*) Hunc librum composuit Io. Gropperus. Conf. Seckendorfii comment. de Lutheranismo l. III. p. 137 sqq.

dum. Indocti etsi sunt nobis infesti, tamen pertinacia et odio pugnant, non pugnant autoritate. Istae Haemorrhoides propter doctrinae oppugnationem, propter Sophismata, et, ut vocat Paulus, propter speciem sapientiae, sunt in admiratione, incitant animos potentum ad opprimendam veritatem. Hoc veneno accensi principes, flammas odii concipiunt, fiunt cruenti et furenter crudeles. Sed Christus non sinet obrui lucem Evangelii, sicut scriptum est: Quod est ex Deo, non abolebitur. Proinde Ecclesia, in qua lucet vera doctrina, tandem illis Haemorrhoidibus spinas exteret. Non opprimment veritatem sophisticae illae interpretationes, et astuta et crudelia consilia impiorum.

Quod vero passim aliqui cupidi piae concordiae, expectant Pontificum Synodos, et sperant has Ecclesiae medicaturas esse, aut vitia correctura, longe falluntur. Nunquam enim Pontifices, et eorum coniurati Satellites desinent bellum gerere adversus Christum, quod ut ita existimem, moveor non tantum humanis coniecturis, quae multae et non leves sunt, Christi dictis moveor, deinde exemplis omnium aetatum. Nam Christus negat blasphemos sanari, qui contra conscientiam oppugnant veritatem, defendunt manifestam εἰδωλομανίαν, et piorum cruore se resperserunt. Furor blasphemias et parricidia haud dubie comitatur, sicut historiae Cain, Pharaonis, Saul, populi Iudaici testantur. Et Deus minatur caecitatem blasphemis, sicut Psalmus inquit: Obscurentur oculi eorum. Itaque augent quotidie supplicia, obligant sibi principes impiis foederibus. Nec tantum palam grassantur, sed clam struunt insidias vitae piorum principum. An existimandum est, hos moderata aut pia consilia admissuros esse? Et aliquoties iam experti sumus plerosque, qui simularunt moderationem, tamen re ipsa nihil egisse, nisi ut nos irretitos opprimerent, ac totum doctrinae genus delerunt. Scio paucos quosdam esse saniores in hostium Collegiis, qui deplorant potentum pertinaciam, sed horum sententiae exploduntur tanquam scholasticae. Haec cum ita sint, piae mentis est, et cogitantis de sua salute, de gloria Christi, quaerere quae sit vera Ecclesia, ut huic se adiungat, ut huius coetus, et gregis Christi pars sit, sicut inquit Christus: Qui non est mecum, contra me est. Deinde sciat Ecclesiam nequaquam esse Tyrannos et persecutores Christi, et eos, qui saevitiam vel adiuvant, vel comprobant. De his teneamus Regulam certissimam Pauli: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Et cum ait, anathema sit, non existimemus usum esse levi aut vulgari maledicto, Cum nominat anathema, significat Deum ex Ecclesia eiecisse hostes verae doctrinae eosque fugiendos esse, tanquam diras pestes, quas Deus execratur. Pollui se horum societate et consuetudine boni sciant, et daturos graves poenas amicitiae et coniunctionis cum illis. Psalmus inquit de hoc genere: Induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossa eius. Huius maledictionis contagium nocet caeteris, qui sunt coniuncti cum illis, qui et veritatem oppugnant, et exercent saevitiam in pios. Non igitur existimemus parum momenti habere hoc mandatum: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Non sunt Episcopi, non sunt Ecclesiae membra, sed hostes Christi, qui cum furiis agitentur, non de Ecclesiae concordia et pace cogitant, sed de Tyrannide stabilienda, non student sanare Ecclesias, sed moliuntur bella civilia, vastitatem Ecclesiarum, parricidia piorum sacerdotum et piarum mulierum.

Proinde non expectanda est ab illis emendatio Ecclesiarum, sed potius cogitandum, ut sententia, animo et voluntate quisque se ab illis seiungat, fugiat eorum εἰδωλομανίαν, non audiat convicia contra veram doctrinam, non adiuvet, non approbet illorum consilia, non confirmet eorum potentiam. Fugite Idololatriam, inquit Paulus. Haec praecepta non sunt levia ducenda. Vera igitur Ecclesia quaeratur, sciamus in hac exaudiri preces, in hac sciamus esse Christi membra, ad hanc sciamus pertinere promissiones Evangelii. Non pertinent promissiones ad hostes Evangelii, sicut nec ad Iudaeos, nec ad Mahometistas pertinent, ut saepe testatur Deus, et Psal. 16. inquit Pontifex Christus: Non offeram eorum libationes, nec faciam eorum mentionem labiis meis. Quem haec tam tristis comminatio non moveat, ut fugiat coetum adversantem verae Ecclesiae? Denique plena est in utramque partem scriptura divina talibus concionibus, quae iubent fugere hostes verae doctrinae et verae Ecclesiae, ac amplecti veram doctrinam, amare, iuvare, ornare veram Ecclesiam.

Nec cogitemus tantum Platonicam civitatem esse Ecclesiam. Hic coetus est vera Ecclesia, in qua lucet pura Evangelii doctrina, in qua recte administrantur Sacramenta divinitus tradita, In tali coetu necesse est aliqua esse viva Ecclesiae membra, quae praestant Deo veros cultus, agunt poenitentiam, invocant Deum vera fide, conferunt studium, et operam ad Evangelii propagationem, ostendunt suam confessionem, serviunt vocationi, denique praestant pia officia a Deo mandata, exercentur periculis omnis generis, in quibus exercent invocationem et alia bona opera: Hanc affirmo esse veram Ecclesiam, cum qua oportet pios ubique terrarum coniunctos esse sententia, voluntate et confessione. Ac tales esse sentio Dei beneficio, nostras Ecclesias, quae profitentur puram Evangelii

doctrinam, quae est sine ulla dubitatione, consentiens sententia Catholicae Ecclesiae Christi. Utinam bonae mentes considerent, quantum referat, non esse in castris hostium Ecclesiae, sed esse civem verae Ecclesiae Christi, propter quam Deus innotescere voluit, propter quam omnia condidit, quam Filii sanguine sanctificavit, in qua patefecit se admirabilibus operibus per patres, Noë, Abraham, Ioseph, Moisen, Davidem, Eliam, Elisaeum, Apostolos, et reliqua lumina Ecclesiae, denique, quae habebit vitam et gloriam aeternam, fruetur commercio Dei et piorum Angelorum. Quanta gloria et beatitudo est, huius coetus socium esse, in hoc agmine conspici, quod ducit Christus, quod circumvolant pii angeli, in quo incedunt principes, Adam, Noë, Abraham, Moises, Elias, et reliqui viri insignibus praediti donis? In hoc agmine iam certum tenes locum, si non adiuvas, non comprobas hostium Ecclesiae impietatem et crudelitatem, sed veram doctrinam amplecteris, confiteris, et piis moribus ornas. Psalmus inquit: Rogate pacem Ierusalem. Beati erunt, qui diligunt eam. O suavem et dulcem sententiam. Hortatur omnes, ut adiuvent omni genere officii Ecclesiam, ut doctrinae puritatem et consensum tueantur, ut doctoribus benefaciant, ut precibus et votis Deo commumem salutem commendent, ut impios doctores, ut Tyrannos inde arceant. Opto autem ex animo, ut magnitudinem horum officiorum viri politici considerent, qui debent et possunt Ecclesiam iuvare. Intueantur posteritatem, cui ut Rempublicam constitutam relinquere cupiunt, ita multo magis debent veram Dei agnitionem, incorruptam religionem, purum Evangelium, recte constitutas Ecclesias tradere, sicut Paulus iubet Timotheum fideliter custodire depositum, ut integrum et incontaminatum ad posteros perveniat. Hac cura prorsus nihil adfici videmus Pontifices, Episcopos, Canonicos, de opibus suis dimicant, non de doctrina. Ergo alii in scholis, in gubernatione civitatum, suscipiant hanc curam. Hoc sacrificium praecipue Deus ab omnibus postulat, sicut Petrus inquit, vocatos nos esse, ut celebremus Dei beneficium. Hic praecipuus finis omnium consiliorum atque actionum sapientibus propositus esse debet, ut ornent gloriam Christi. Pro hoc officio ingentia praemia pollicetur in hoc versiculo Deus: Beati erunt, qui diligent Ecclesiam. Defensionem, successus, et salutem perpetuam promittit his, qui veram Ecclesiam amant. Hac voce pii exuscitent animos ad curam ornandae Ecclesiae, seque non modo adversus tyrannorum minas confirment, sed etiam contra Sophisticam illorum muniant, qui falso antiquitatis et Ecclesiae testimonia dogmatum ad defensionem impiorum citant, ad quos refutandos nonnihil instituere studiosos volui.

VII. DOCTRINA DE POENITENTIA

IDEO REPETITA UT PRAESTIGIAE DE SATISFACTIONIBUS RECENS EXCOGITATAE A QUIBUSDAM SOPHISTIS REFUTARENTUR.

AUCTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Hic libellus primum prodiit a. 1549. sic inscriptus:

Doctrina | *de Poenitentia, ideo* | *repetita ut praestigiae de Satisfactio-* | *nibus recens excogitatae a qui-* | *busdam Sophistis re-* | *futarentur.* | *Episola* (sic) *ad Lecto-* | *rem In qua respondetur* | *Flacio Illyrico.* | *Avtore Philip-* | *po Melanthone.* | *Vitebergae apud Iosephum* | *Klug. Anno M.D.* | *XLIX.* 6 plagg. litt. A—F sign., prima 7 foll. non num., 1 fol. album, 36 foll. num., ult. 4 foll. non num., 8. min. (fol. A 2ᵃ — 7ᵃ med. Mel. epistola ad Lectorem data Cal. Oct. 1549.; fol. A 7ᵇ — 8ᵇ vacant; fol. 1ᵃ — 28ᵃ init. [fol. B 1ᵃ — E 3ᵃ] De Poenitentia Phil. Melanthon a. 1548.; fol. 28ᵇ — 36ᵇ [fol. E 3ᵇ — F 4ᵇ] De dicto Pauli Apostoli 1. Timoth. 4.; fol. F 5ᵃ — 7ᵃ med. Psalmus L. Davidis, latina Elegia redditus a Iohanne Stigelio; fol. F 7ᵇ — 8ᵃ Precatio pro Ecclesia Dei, ex verbis Esaiae Cap. LXIII. Carmine reddita a Ioh. Stigelio a. 1546.; fol. F. 8ᵇ vacat.). *)

Hic tractatus recusus est 1. in libro supra p. 585 sq. recensito: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis*, in quo secundo loco fol. 54ᵃ — 78ᵃ exhibetur cum hocce titulo:

Doctri- | *na de Poeniten-* | *tia, Ideo repetita ut praestigiae* | *de Satisfactionibus recens* | *excogitatae a quibusdam* | *Sophistis refuta-* | *rentur.* | *Epistola ad Le-* | *ctorem in qua respondetur* | *Flacio Illyrico.* | *Avtore Philip-* | *po Melantho-* | *ne. Anno* 1560.

2. in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis* Parte II. p. 152—167. cum eadem inscriptione: „*Doctrina — refutarentur. Anno Christi* 1549. *Epistola ad Lectorem* etc.

Tituli verbum *repetita* aut spectat ad libellum de eadem re anno 1548. editum, cuius titulus est: *Disputatio theologica de Poenitentia, respondente M. Melchiore Isindero Suidnicensi. Witebergae, Anno*

---

*) Hic libellus in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

1548. 8. *die Nouemb.* 1 plag. 8., recusum in huius Corporis Vol. XII. p. 548—554., aut ad *Locorum theologicorum Editionem Witebergensem anni* 1549. (in huius Corp. Vol. XXI. p. 569 sq. recensitam), quippe quae, ut ceterae Locorum Editiones, praeter alias etiam de poenitentia doctrinam continet; at verba, quibus haec doctrina in utroque libro explicatur, a verbis illius tractatus omnino differunt.

Idem tractatus in vernaculam linguam translatus a. 1550 prodiit sic inscriptus:

De Poenitentia | von der bekerung zu | Gott, summa, ge- | teutscht wie es zuuor im latin, | ausgangen, | Philippi Melanthon. | Ezech. | So war ich lebe, Spricht Gott, Will | ich nicht das der Sünder sterbe, | sondern das er bekeret werde | vnd lebe. | 1550. — (In fine:) Gedrückt zu Wittemberg | durch Joseph | Klug. 6½ plagg. litt. A — G (A ½ plag.) sign., 25 foll. non num., ult. fol. album, 4. (fol. A 2ª — 2ᵇ Der II. Psalm; fol. B 1ª — 3ª med. Von der Bus; fol. B 3ª med. — D 1ª med. Von der Contrition das ist von rew vnd leidt vber die sünde; fol. D 1ª med. — E 1ᵇ med. Von der Beicht; fol. E 1ᵇ extr. — G 3ª med. Von der gnugthuung, subcunctâ Clausulâ; fol. G 3ᵇ — 4ᵇ vacant.).*)

Epistola latino tractatui in illis tribus Editionibus praemissa primum separatim edita est: *Epistola Phil. Melanthonis, in qua respondetur Flacio Illyrico. Vitebergae apud Ioseph Klug. anno* 1549. 8. Iterum edita est in Actis synodicis lat. p. 17., in Melanthonis Selectis epistolis p. 452. et in Epistolarum libro I. p. 323. (Ed. Londinensis lib. I. ep. 107.). Recusa est in Mel. Consiliis lat. P. II. p. 104. et in eiusd. Declamationibus Vol. VIII. p. 727., denique in huius Corp. Vol. VII. p. 477—482., quapropter h. l. praetermittitur.

Tractatum ipsum de Poenitentia h. l. ex *Editione Witebergensi anni* 1549. exhibemus; Declamationem vero illi in hac Ed. annexam: *De dicto Pauli Apostoli* 1. *Timoth.* 4. *Attende lectioni consolationi et doctrinae etc.* omittimus, quia inter Declamationes in huius Corp. Vol. XI. p. 750—758. iam data est.

*) Haec interpretatio in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

DE POENITENTIA.

PHILIPP. MELANTHON.

ANNO 1548.

In Ecclesiis nostris, Dei beneficio, praecipue extat illustris explicatio doctrinae de poenitentia, sicut maxime necessarium est eum locum notissimum esse in Ecclesia, quia complectitur summam Evangelii, et monstrat praecipuum beneficium Filii Dei, imo ut initium fuit Ecclesiae receptae in paradiso doctrina de poenitentia: Ita semper eodem modo in Ecclesia sonare haec vox debet usque ad resurrectionem.

Et intelligi facilime poterit huius doctrinae summa, si primum exemplum aspiciatur, ibi primum arguitur peccatum voce Dei, et non dubium est accusante Deo, et sonante ipso tristissimam accusationem, horribiliter expavescere humanam naturam. Ita primum extitit contritio tunc in primis parentibus. Et quid sit contritio, quomodo fiat, in eodem exemplo conspici potest. Accedit ibi et confessio peccati, quia revera coram Deo oportet hanc confessionem fieri, nos reos esse et iuste puniri.

Deinde sonante promissione recipiuntur Adam et Heva, haec est absolutio, qua audita, accenditur fides, qua agnoscunt se recipi per misericordiam propter semen promissum, et in corde nova consolatio, est inchoatio novae obedientiae, quae iam placet Deo. Ita facta est integra conversio. Imponuntur et poenae, videlicet mors et aliae calamitates huius vitae, quia Deus etsi remittit culpam, et aufert mortem aeternam: tamen propter iustitiam aliquas poenas imponit, et ut ipsius iustitia, et ira adversus peccata conspiciantur: totum genus humanum horribilibus miseriis in hac vita onerat.

In his poenis tamen promittitur Ecclesiae consolatio, ut tunc Deus ipse vestit primos parentes pelle detracta ab ovicula, qua imagine significatum est futurum, ut novis corporibus vestiamur, et quidem sumtis ab agno Christo.

Hanc totam historiam prodest saepissime cogitare, ut hoc ipso exemplo nos de omnibus partibus poenitentiae, seu conversionis commonefaciamus. Item ut inde discamus tunc inchoatum esse ministerium Evangelii, in quo semper una vox sonat arguens peccata, et offerens remissionem propter Filium.

Verum non tantum in hac recenti aetate Monachorum, obscurata fuit doctrina de poenitentia multis labyrinthis, et falsis opinionibus, sed etiam vetustis seculis quando Canones satisfactionum creverunt hac superstitiosa persuasione, quod mererentur remissionem peccatorum, tunc quoque magnae tenebrae fuerunt. Sed in disputationibus recentioris aetatis, plus fuit inextricabilium quaestionum, et omnino silentium fuit de fide accipiente remissionem peccatorum. Ideo non dubium est fuisse necessariam explicationem verae doctrinae de poeni-

tentia, quam in Ecclesia semper extare perspicuam necesse est, et quam singuli homines quotidie in invocatione totam cogitare debent. Credo autem recte, et perspicue explicatam esse in nostris Ecclesiis, et de ea sententia, quam in locis complexus sum, nihil muto.

Cum autem Synodus Bononiensis ordine de partibus fecerit decreta, quorum alia ambigua sunt, alia aperte falsa: dicam breviter de singulis partibus, non ut plus sit intricatarum disputationum, sed potius ut evoluta doctrina planius intelligatur.

DE CONTRITIONE.

Omitto rixas de causis contritionis. Si sint veri, et non simulati pavores et dolores intuentes iram Dei adversus peccata, et accedat fides, quae facit ex timore servili filialem, dico esse veram contritionem, et assentior has causas concurrere, verbum Dei arguens peccatum, et Deum hoc verbo incutientem terrorem, et mentem cogitantem de ira Dei, et voluntatem, et cor serio expavescens, et dolens quod offenderit Deum. Talem aliquam contritionem dico necessariam esse, ut saepissime scriptum est, 2. Corinth. 7. Contristati estis ad poenitentiam. Esaiae 66. Ad quem respiciam? nisi ad humiliatum, et contritum spiritum, et trementem sermones meos. Et Ezech. 20. Displicebitis vobis in conspectu vestra.

Ac variae possunt esse occasiones inchoandi dolorem, ut aliter vocatur Zachaeus, aliter Paulus, aliter Manasses, aliter mulier peccatrix. Sed in omnibus necesse est existere pavores, et dolores, et varii dolores miscentur, quos subtiliter discernere non est opus, ut alii disputarunt de amore iustitiae, et timore poenae. Imo vult Deus poenas metui, et esse eas velut vocem divinam commonefacientem totum genus humanum de ira adversus peccatum, ut testantur maledictiones in lege, quae propter has duas causas additae sunt legi.

Primum ut sciamus opus esse iustitiae Dei, quod peccata puniuntur tantis calamitatibus. Deinde ut sciamus has ipsas calamitates, esse vocem legis commonefacientem nos de poenitentia.

Sic passim Prophetae loquuntur de calamitatibus, ut in Psalmo: Propter iniquitatem corripis filios hominum. Displicent Deo horribiliter securae mentes, non considerantes iram Dei, aut etiam elatae inani fiducia suae sapientiae, suae iustitiae, aut potentiae, sicut Paulus ad Ephes. inquit impios esse ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore vivere, et Ieremias: Erubescere nescierunt.

Quare sciamus temulentam vitam in otio et voluptatibus valde periculosam esse, et Deus praecipue suam Ecclesiam subiecit cruci, quia praecipue in Ecclesia vult conspici iram adversus peccatum, cum eam mundus negligat.

Haec sententia de contritione, nihil obscuri continet. Loquor enim de veris doloribus qui sentiuntur, suntque in aliis minus, in aliis magis acres, ut Ezechias inquit: Sicut Leo contrivit omnia ossa mea etc. Haec tantum admonitio adiungatur, ut sine obscuritate discernantur timor servilis, et filialis, seu dolor Iudae, et dolor Petri. Timor servilis est verus pavor sine fide. Sed timor filialis fit, cum ad pavorem accedit fides, qua cum incipit cor accedere ad Deum, et accenduntur initia fidei, et spei: subiicit se Deo, et praedicat eius iustitiam, iuxta illud: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio etc.

Caeterum haec duo necessario reprehendenda sunt in doctrina Monachorum de contritione, quod quaerunt sufficientem contritionem, et deinde affingunt horribile mendacium, hanc sufficientem contritionem mereri remissionem peccatorum, hec dicunt de fide gratis accipiente remissionem propter mediatorem. Hi errores sunt magni et tetri. Quid est enim quaerere sufficientem contritionem: nulli dolores ullius creaturae quantumvis magni, pares sunt irae Dei, ut dicitur: Deus ignis consumens est, nec possunt compensare peccatum, et quo magis crescit dolor sine fide, eo magis merguntur animi in mortem et exitium. Ideo necesse est hos errores taxari.

In altero errore, etiam deploranda et detestanda est caecitas, cum dicunt contritionem mereri remissionem peccatorum, ubi transferunt in nostrum opus honorem debitum filio Dei, et Paulus toties inculcat particulam gratis, qua excludit, ut saepe dictum est, non contritionem et caeteras virtutes, non cogitationem de ira Dei et de promissionibus etc. sed excludit dignitatem, seu opinionem meriti. Deinde quantae tenebrae sunt, quod non solum nihil de fide in doctrina poenitentiae dicunt: sed etiam pertinaciter negant opus esse hac fide, credas tibi ipsi remitti propter mediatorem, etc. qua promissionem tibi ipsi applices, Ac relinquunt mentes in perpetua dubitatione, quia inquiunt: Nescis, an contritio fuerit sufficiens, ideo semper dubites

an tibi data sit remissio. Haec imaginatio prorsus est Ethnica.

Nos contra his erroribus opponimus vocem Evangelii, et dicimus oportere aliquam esse contritionem, id est, veros pavores, et dolores intuentes iram Dei, qui in aliis magis, in aliis minus acres sunt, sed non pendet ex horum magnitudine remissio, verum oportet accedere fidem, qua tibi ipsi credas remitti gratis propter mediatorem, de hac fide dictum est: Iustificati fide, pacem habemus apud Deum, et si haec fides, et fiducia Filii Dei non accenditur, mens non intuetur Filium Dei, non ducit propitiatorem esse. Necesse est autem te ipsum agnoscere Filium Dei, et hunc ei proprium honorem tribuere, ut tibi propitiatorem, et intercessorem, et summum sacerdotem esse statuas. Hunc honorem non ei tribuunt diaboli, qui etiam norunt articulum, remissionem peccatorum videlicet donari aliis, non sibi. Itaque donec homo tantum hanc generalem sententiam credit, aliis remitti non sibi, nondum tribuit verum honorem Filio Dei, nec sibi applicat promissionem.

Itaque luceat in Ecclesia discrimen legis, et Evangelii, et sciant omnes propriam esse Evangelii promissionem, quae ostendit mediatorem Filium Dei, et promittit propter eum gratis remitti peccata, et in hanc promissionem universalem singuli nos ipsos in veris doloribus includamus, et sciamus mandatum Dei esse, ut Filium Dei audiamus, et ei tribuamus honorem propitiatoris, et promissionem amplectamur.

Cum igitur hoc modo sustentamus nos cogitatione promissionis, et Filii Dei: accenditur fides, et causae concurrentes sunt, vox Evangelii et Spiritus sanctus, et mens cogitans promissionem et voluntas, ac cor non repugnans, sed expetens consolationem divinam, et assentiens promissioni, cum quidem et a Spiritu sancto adiuvatur et inter tristes gemitus erigitur conspectu Filii Dei, quem statuit, non frustra factum esse victimam, et hac fide credis non tantum aliis, sed tibi ipsi, propter Filium Dei gratis remitti.

Cum haec fides accensa est, iam et contritio fit timor filialis, et sacrificium iuxta illud: Sacrificium Deo gratum, spiritus contribulatus etc. Cor irascitur peccato, dolet Deum offensum esse, alios laesos esse, dolet Ecclesiam pollutam esse, dolet scandala exitata esse, dolet Spiritum sanctum in multis contristatum esse, dolet attrahi poenas familiae et caeteris, dolet impediri poenis aliorum invocationem, et alia necessaria officia. Denique innumerabiles causae magnorum dolorum concurrunt. Ita dolens se subiicit Deo, et fatetur esse iustam iram Dei, et petit veniam, et cum fide revera incipiat acquiescere in Filio Dei, certo accipit remissionem peccatorum, Ac discamus hanc esse voluntatem Dei, ut acquiescamus in promissione, et statuamus nos sic recipi, et donari remissionem peccatorum, idque agit minister, in absolvendo applicat singulis promissionem.

Simul etiam cum in tali contritione homo se subiicit Deo, et fide eum invocat, et incipit acquiescere in mediatore: datur revera Spiritus sanctus, et inchoatur nova obedientia, id est, voluntas iam habet bonum propositum, agnita misericordia Dei incipit eum diligere, et invocare, et non fugit, ut fugiunt Cain, Saul et similes.

Dixi, quomodo fiat conversio, scilicet, concurrentibus his mutationibus. In homine primum fit contritio, cum cogitatione irae Dei expavescunt corda, et vero dolore afficiuntur propter peccata. Deinde fit consolatio, qua fide accipitur remissio et corda incipiunt acquiescere in Deo propter mediatorem, et rursus inchoant obedientiam, et spem vitae aeternae. Haec ita fieri, manifeste testatur experientia omnium piorum in Ecclesia, quorum testimonium non contemnendum est, ut David expavescit primum, inquiens: Peccavi Domino. Deinde erigitur consolatione, credens absolutioni: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum, et Esaiae 38. Rex Ezechias describit pavores: Quasi Leo contrivit omnia ossa mea etc. Postea et consolationem: Proiecisti post tergum omnia peccata mea, et scripta piorum ut Augustini et Bernhardi congruunt. Longa est concio Bernhardi docentis, coniungi oportere contritionem et fidem. Dicat quisque in pavore suo: vadam ad portas inferorum, ut iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Haec est vera fiducia quae ad pavores accedit, cui misericordia non denegatur.

Sic et Prophetae, et Apostoli de conversione concionantur, ut Paulus in hac ipsa Epistola coniungit mortificationem et vivificationem, Ac valde prodest moneri iuniores, haec vocabula proprie de vera conversione ad Deum intelligenda esse, et reiiciendam esse interpretationem eorum, qui detorserunt Pauli dicta ad Hypocrisin, ad ritus Monachorum, et ad talia puerilia exercitia, Sed Pauli sententia perspicua est observanti pondera verborum: Estis mortui peccatis, et circumcisi circumcisione non manu facta, exuendo corpus peccatorum carnis.

Haec de contritione dicuntur, postea de fide, qua fit consolatio, inquit: Simul resuscitati estis per

fidem, qua Deus est efficax, qui vivificat vos cum Christo. Deinde utramque sententiam rursus illustri figura pingit: condonans omnia peccata, delens chirographum quod per decreta contra nos est, quod erat contrarium nobis. Tunc autem conspicitur chirographum scriptum in cordibus adversari nobis, cum agnoscimus in veris doloribus nos reos esse. Hoc dictum ad contritionem pertinet. Deinde ad fidem pertinet quod additur: deleri hoc chirographum suspensum de cruce, facta condonatione.

Haec interpretatio de conversione, est simplex, vera et propia, quam quidem observare prodest, et ut Pauli sententia nobis obvia sit, et ut teneamus testimonium de his duabus mutationibus in conversione, de mortificatione, et vivificatione, id est, de contritione, et consolatione, quae fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter mediatorem.

Hactenus recitavi, quid in doctrina de contritione retineri necesse sit, et quid taxari oporteat, dixi item, doctrinam de fide speciali, qua tibi credis remitti, adiungendam esse, de qua supra in refutatione Articuli praecipientis dubitationem, copiose dictum est.

Cum autem haec nostra sententia sit ipsa vox Evangelii inde usque a prima conversione Adae et Hevae, sonans in vera Ecclesia, et nihil sit obscuri, aut intricati in hac nostra explicatione: facile erit iudicare decreta Synodi Bononiensis, et ne quis dicat me fugere iudicium Ecclesiae Dei, non dubito provocare ad iudicia omnium piorum, qui non sunt rudes exercitiorum poenitentiae.

DE CONFESSIONE.

Necesse est iunioribus exponere et vocabula, et mores vetustos. Olim in Ecclesia consuetudo fuit lapsos, ac reos talium scelerum, quae aliis nota erant, non recipere, nisi signa manifesta emendationis praecessissent. Ideo certi ritus erant, quorum nomen fuit publica poenitentia. Stabat homicida vel adulter coram Episcopo, et narrabat delictum suum, ut Episcopus modum castigationis indiceret, quae vocabatur satisfactio, Graeci modestius nominarunt ἐπιτίμια, id est, notas seu castigationes. Cum enim alia delicta aliis modis punirentur, seu (ut ita dicam) notarentur, exponi delictum opus erat, ut modus poenae indiceretur, post eam castigationem sequebatur absolutio.

Et initio hic ritus probabiles causas habuit. Fuit enim disciplina instituta, et ut explorarentur voluntates redeuntium ad Ecclesiam, an serio promitterent emendationem, et ut his exemplis alii commonefacti maiore cura vitarent lapsus. Nondum affingebatur opinio, haec spectacula mereri remissionem peccatorum, sed postea hanc opinionem indocti addiderunt, et ritus satisfactionum cumularunt.

Ab hac veteri consuetudine confessio intelligitur enumeratio delictorum singulorum, cum olim tantum delicta aliis nota recitarentur. Postea vero decreta facta sunt de omnibus delictis etiam arcanis.

De hac enumeratione singulorum, necesse est erudiri conscientiam, nec iam de illa vetusta disciplina primae Ecclesiae, et de atrocibus delictis, quae aliis nota sunt, dicimus. Semper enim inde usque ab initio mundi, ritus fuerunt certi excommunicationis in Ecclesia, et receptionis emendatorum, Et optaremus ea gravitate quae decet Ecclesiam, administrari excommunicationem et receptionem. Et ut saepe alias dictum est, retineantur in Ecclesia generalis confessio, et petitio absolutionis, quia ministerium privatae absolutionis nequaquam frustra institutum est, ut infra copiosius dicam, et semper fuit in Ecclesia generalis confessio, ut de summo sacerdote in Lege dicitur: Teneat victimam, et confiteatur peccata populi.

Et in Nehemia dicitur: Filii Israël conveniebant in ieiunio, et confitebantur peccata sua.

Et de auditoribus Baptistae dicitur: Baptisabantur in Iordane, confitentes peccata sua.

Haec non erat singulorum enumeratio, sed in genere confitebantur se reos esse, ut decet esse, vocem piorum tribuentem Deo iustitiam in nobis accusandis et gloriam iustitiae propter missum Filium, ut Daniel clamitat: Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Item: Tua est propitiatio. Et haec ipsa generalis confessio, et petitio absolutionis, testatur in Ecclesia recipi lapsos.

Sed alia disputatio est de enumeratione singulorum, multorum aut omnium delictorum, ac praesertim arcanorum, hic taxandi sunt tres errores. Primus, quod finxerunt hanc enumerationem mereri remissionem propter pudorem.

Secundus error, quod aiunt recitationem necessariam esse, ut indicatur satisfactio.

Tertius error, quod necessaria sit enumeratio,

et quod remissio pendeat ex conditione enumerationis, quia dicunt divinitus praeceptam esse.

Hae tres opiniones falsae sunt, et obscurant gloriam Filii Dei, et sunt laquei conscientiarum, ut constat multos ambigentes, an satis pure confessi essent, in magnis moeroribus fuisse. Talis dubitatio fidem et invocationem impedit, et aut desperationem, aut Epicureum contemtum adfert. Necesse est igitur et veritatem conspici in Ecclesia, et vulnera conscientiarum sanari.

Manifestum est autem in arcana confessione, enumerationem omnium, vel paucorum delictorum non esse praeceptam iure divino, quia nusquam voce Christi, aut Prophetarum, aut Apostolorum praecipitur. Et enumeratio singulorum est impossibilis, quia valde multa sunt errata, et delicta singulorum, quae nec intelligunt, nec meminerunt iuxta illud: Delicta quis intelligit? Ideo certum est, conscientias nequaquam onerandas esse singulorum enumeratione, et nequaquam pendere remissionem ex enumeratione.

Hanc doctrinam necessariam esse piis, manifestum est, quia tristissima carnificina excruciarentur, si putarent singula nominatim recitanda esse, nec remitti peccata sine illa anxia recitatione.

Nunc autem de hac quaestione non disputabo prolixius, cum manifesta sit veritas, et ante hanc aetatem seniores scriptores ita iudicaverint, enumerationem singulorum non praecipi iure divino, sicut aperte inquit Panormitanus, et Chrysostomus in enarratione Psalmi 50. dicit: Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conservo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo qui sanat ea. Nec est in graeca Ecclesia hic mos enumerationis arcanorum.

Omitto autem hoc loco refutationem argumentorum, quibus adversarii ostendere conantur, necessariam esse enumerationem singulorum, et iure divino praeceptam. Nam alibi de eis satis dictum est. Ac sciant ipsi adversarii se has praestigias offundere oculis, et animis populi, non quod sic sentiant, sed ne hunc nervum suae potentiae amittant.

Caeterum sentio generalem confessionem retinendam esse, cum petitur absolutio, sicut enim in Nehemia scriptum est, confitebantur peccata sua: ita decet aliquam vocem esse vere dolentium, qua fateantur se reos, et se Deo subiiciant, et ei laudem iustitiae tribuant, quod iuste damnet peccata, et iuste nos puniat, ac rursus tribuant ei laudem misericordiae, agant gratias, quod propter Filium receperit genus humanum prolato admirando decreto ex arcano sinu. Deinde petatur absolutio, quae est vox ministerii Evangelici privatim applicans remissionem petenti, cum Filius Dei dixerit: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et posuerit in nobis sermonem reconciliationis: Ego mandato Filii Dei, annuntio tibi vocem Evangelii remittentem peccata, et tibi ipsi peccata remitti a Deo pronuntio propter Filium Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum. Ac praecipio tibi, ne asperneris mortem Filii Dei, quae pro te, et reliquis credentibus fuit sacrificium placans iram aeterni Patris, sed vere credas promissioni Evangelii, et statuas te recipi a Deo, cum credis tibi ipsi propter hunc mediatorem remitti.

Hanc absolutionem sciamus non esse vocem humanae autoritatis, sed divinae, sonantis in ministerio Evangelii, sicut David valde cumulasset sua peccata, si non credidisset voci Nathan: Dominus abstulit peccatum tuum. Ita peccant omnes, qui in pavoribus, et in poenitentia nolunt absolutioni credere, et eam consolationem admittere nolunt, nec redeunt ad invocationem, nec se fide et spe erigunt.

Hic etiam necesse est taxari hunc errorem Monachorum, quod dixerunt absolutionem irritam esse, si non sit sufficiens contritio. Sed sciant pii oportere fieri conversionem, sicut iusiurandum inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Oportet igitur aliquam esse contritionem, et non retineri propositum peccandi, et accendatur fides, et sit deinde bona conscientia, id est, propositum non faciendi contra conscientiam. Haec cum adsunt, certissimum est absolutionem ratam et firmam esse, quam quidem fide oportet accipi, quae non potest simul esse cum proposito delinquendi, et fides intuetur Filium Dei, propter hunc statuit iuxta promissionem gratis remissa esse peccata, non propter contritionem, aut gradus contritionis, aut confessionem etc.

Ut autem alias saepe dixi, nequaquam abolenda est privata absolutio, quia manifestissimum est, promissionem Evangelii et multis et singulis applicari posse, et de singulis manifeste loquitur concio in capite 18. Matthaei: Quoties remittam? septuagies septies. Qui locus vere et recte de ministerio absolutionis intelligitur, et dictum: Quorum remiseritis peccata remittentur eis, de multis et singulis recte intelligi certum est.

Deinde et exemplum consideretur, hic mos

privatim absolvendi, multum conducit ad retinendum intellectum Evangelii proprium, quod Evangelium contineat promissionem remissionis peccatorum. Est et illustre testimonium, quod post baptismum lapsi converti possint, et conversi recipiendi sint, et absolvendi, ac rursus fiant haeredes vitae aeternae. Haec causa valde movére pias mentes debet, ut ament et tueantur privatim absolutionem, et suo exemplo eius conservationem adiuvent.

DE SATISFACTIONE.

In hac distinctione partium poenitentiae, nomen satisfactionis, ut in hoc loco usurpatum est, non significat compensationem Deo pro culpa satisfacientem, et placantem iram Dei, quae satisfactio proprie per Filium facta est, Nec significat satisfactionem forensem, qua debitor solvit pecuniam, quam debet, aut is qui alium iniuria affecit, sibi ignosci orat: Nam haec forensis satisfactio est opus debitum, et pertinet ad contritionem, ac bonum propositum: Ut raptor alienae coniugis, si non reddit marito coniugem, manet adulter, et est sine contritione, et sine bono proposito, Ita debitor non volens solvere, cum possit, manet fur, et regula vera est dextre intellecta: Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur.

Sed hanc tertiam partem poenitentiae nominant satisfactionem Canonicam, quae olim erat publicum spectaculum, in quo stabant certo loco agentes poenitentiam, et servabant ieiunia aliquot dierum aut mensium ante absolutionem, et palam ostendebantur populo tanquam rei, et lugentes, ut extaret signum non simulatae poenitentiae, et ut alii his exemplis commonefacti, diligentius regerent mores, ne laberentur. Horum rituum initio modus aliquis fuit, et abfuit superstitio, nemo cogitabat se mereri hoc spectaculo remissionem culpae vel poenae, sed exemplum erat utile disciplinae, pertinens ad politiam Ecclesiasticam.

Non dubium est autem, hos ritus, quibus rei atrocium delictorum velut notati ostendebantur populo, ortos esse a primis patribus. Semper enim fuit ceremonia aliqua excommunicationis inde usque a Cain, et manserunt vestigia apud Ethnicos, sicut de Cain dicitur, signum ei additum esse.

Ita postea rei homicidiorum, gesserunt signa reatus in vestitu, donec reciperentur, ut scirent alii hos esse pollutos et fugiendos. Nam excommunicati, erant exclusi a societate sacrorum, mensae et multorum officiorum. Nemo una cibum capiebat, donec ille homicida, vel incestus gerebat signa reatus, et erant certa verba excommunicationis, quae vocabantur Dirae, graece ἀραι, Sic Orestes vagatus est in Graecia, abstinens ab aliorum convictu, ac gerens signa reatus, quae postea ei ademta sunt, cum in iudicio absolveretur. Et multa talia exempla recitantur, ut Adrasti apud Herodotum, qui ad Croesum venit gerens signa reatus.

Cum autem huius vetusti moris vestigia essent adhuc in populo Iudaico, et gentibus non omnino barbaricis, recepta est haec disciplina etiam ab Ecclesia, fuitque initio modus earum ceremoniarum, sed postea superstitio adfinxit remissionem peccatorum dari propter hanc castigationem. Haec opinio auxit has multas adeo, ut tandem intolerabiles essent. Rursus igitur laxatae sunt, et hoc vocabant Episcopi indulgentias, id est, remissiones talium spectaculorum, de quibus Canones praeceperant. Ita paulatim illa vetera spectacula cessarunt, nomen mansit satisfactionis non intellectum a populo.

Sed fatentur Monachi, satisfactiones non mereri remissionem culpae. Ut autem aliquid tribuerent multis, finxerunt non remitti poenam aeternam nisi propter compensationem poenarum purgatorii, vel aliarum temporalium. Dixerunt igitur satisfactiones mereri remissionem poenarum purgatorii, vel aliarum poenarum huius vitae, Hic prudentia in iudicando adhibenda est.

Primum autem necesse est nosse definitionem satisfactionis Canonicae, quam ipsi tradunt.

Satisfactio Canonica, est facere opera non debita, id est, non mandata lege Dei, sed opera superogationis iniuncta ab Episcopis, vel ministris, ut mereantur remissionem poenae purgatorii, vel aliarum poenarum huius vitae.

Nunc consideret Lector, de quibus materiis in hoc loco dicendum sit, scilicet de impletione legis, de discrimine operum quae Deus praecepit, et aliorum quae Deus non praecepit, de remissione poenae aeternae, de discrimine remissionis culpae, et remissionis poenarum temporalium, de causis poenarum temporalium, et afflictionum in Ecclesia etc. Has materias recte et vere explicari necesse est, Ideo hunc locum de satisfactione repeto.

Secundo, semper iungi oportet remissionem culpae, et poenae aeternae, estque unum et idem beneficium Filii Dei gratuitum, tollere culpam, et

tollere mortem aeternam, ac tollere culpam, est placare iram Dei.

Cum igitur poena aeterna sit sentire horrendam, et inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Iohannes inquit, Ira Dei manet super eum: sciamus culpam et poenam aeternam simul tolli propter solum mediatorem Filium Dei, non propter ullam nostram compensationem, ideo Ose. 13. dicitur: Ero mors tua o mors, et pestis tua inferne.

Et Paulus, aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex, Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ideo certissime statuendum est fide propter Filium Dei simul remitti culpam, et tolli poenam aeternam gratis, id est, sine nostra compensatione.

Haec consolatio luceat in mentibus, nec languefieri fidem sinamus cura nostrarum satisfactionum, ac certo statuamus non adferendas esse in illud arcanum iudicium Dei (ubi angimur de ira Dei, vel morte aeterna), nostras satisfactiones, sed solum sacrificium Filii Dei intuendum esse, huius sanguine credamus deleri culpam, et tolli poenas aeternas, hic satisfecit iustitiae Dei, ut Iohannes inquit: Hic est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis.

Et Triumphi descriptio ad Colossenses in conspectu sit, ubi Paulus diserte inquit, victorem Filium Dei, a se ipso domitas, et captas potestates inferorum, ducere in Triumpho. Huius triumphi gloriam non transferamus in nostra opera. Firmissime igitur haec consolatio tenenda est: Fide iustificati, pacem habemus apud Deum, id est, certum est iram Dei placatam esse, et nos liberatos esse a poenis aeternis. Quare non sunt conscientiae turbandae imaginatione Monachorum de satisfactionibus.

Tertio, manifesti errores sunt in doctrina Monachorum de satisfactionibus, cum alibi, tum hic quoque quod fingunt opera non mandata a Deo, esse cultus Dei, mereri remissionem culpae et poenarum, Ut certis diebus abstinere a carnibus etc. Talia opera immediate hoc fine facta, ut per ea Deus honore afficiatur, vocant cultus. Contra quam persuasionem tenenda est regula verissima: Frustra colunt me mandatis hominum. Hoc unum argumentum etiam satis firmum est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, quae quidem eo maiore cura taxandae sunt, quia persuasio de satisfactionibus valde auxit traditiones humanas, et confirmavit opinionem, quae fingit opera non mandata a Deo cultus Dei esse.

Est autem cultus Dei, opus a Deo mandatum, et factum in agnitione, et fide Filii Dei, cuius operis principalis finis est, seu mediatus, seu immediatus, ut Deus honore afficiatur, Omitto iam quae de impletione legis in hac materia Monachi dixerunt.

Quarto, etsi verissimum est, remissionem poenae aeternae nunquam divellendam esse a remissione culpae: Tamen necesse est discerni remissionem culpae, a remissione poenarum temporalium huius vitae. Nam Ecclesia propter multas causas cruci subiecta est, quas semper in conspectu esse oportet, quarum aliae sunt impulsivae, aliae finales, aliae προκαταρκτικαὶ, id est, irritatrices.

Prima est, cum propter lapsum primorum parentum tota posteritas rea sit et immunda, subiecta est morti corporis, et aliis aerumnis Ecclesia Dei, sicut reliquum genus humanum.

Secunda, cum mundus interiorem immunditiem humani cordis, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, et multas vitiosas flammas cupiditatum, non ducat esse res a Deo damnatas, et contemnat iram Dei: Ecclesia magis premitur, quia vult Deus in Ecclesia conspici iram suam, et vult in nobis omnibus poenitentiam crescere, 1. Petr. 4. Iudicium a domo Dei incipit. Item Salomon: Filium quem diligit, corripit.

Tertia causa, quia diabolus maiore odio Filii Dei, et Ecclesiae ardet, ideo rabiosius grassatur in Ecclesia, conatur multos evertere, excitat haereses, et facit varias dissipationes, de hac causa dictum est in Genesi: Serpens mordebit calcaneum eius.

Quarta, saepissime singulares aliquae calamitates, poenae sunt certorum delictorum, quas Deus ideo irrogat hominibus, quia et iustitiae Dei est punire peccata, et vult Deus in hac vita in aliquibus exemplis conspici iram suam, et iustum iudicium adversus peccata, et vult revocari lapsos ad poenitentiam. Sic David propter adulterium, et proditum Uriam eiectus est ex regno. Manasse abducitur in exilium, et de universi populi exilio, et urbis Ierosolymae excidio inquit Ieremias cap. 22. et dicent unusquisque proximo suo: Quare sic fecit Dominus? et respondebunt: Eo quod reliquerunt pactum Domini Dei sui, et adoraverunt Deos alienos. Et Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum.

Quinta causa, ut adflictiones sint testimonia doctrinae, ut Ieremias, Baptista, non propter peculiaria delicta interficiuntur, sed propter alias cau-

sas, ut aerumnae testentur eos serio sic sentire, ut docent, quia veritatem anteferunt vitae, et omnibus commodis corporum.

Sexta causa, ut adflictiones sint testimonium immortalitatis. Cum enim Deus illustribus miraculis ostenderit sibi placere Abel, Paulum et similes, et tamen sinit eos interfici, necesse est restare aliud iudicium.

Septima, ut fiamus similes imaginis Filii Dei.

Octava, etiam ubi non sunt externa delicta atrocia: tamen Deus vult in multis interiora mala, superbiam, admirationem sui, carnalem securitatem emendare, ut dicitur: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

Nona causa, ut appareat sanctos universam obedientiam praestare principaliter propter gloriam Dei, non tantum propter suas utilitates, ut in Psalmo dicitur: Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te.

Decima, ut adpareat Ecclesiam non humanis consiliis et praesidiis, sed ab ipso Filio Dei, capite et duce Ecclesiae, divina potentia colligi, defendi et servari, et in nostra infirmitate conspiciatur praesentia Filii Dei propugnantis nos contra Diabolum. 2. Corinth. 4. Circumferimus thesaurum hunc in vasis testaceis, ut excellentia potentiae sit Dei, et non ex nobis.

Cum igitur multae diversae causae sint, cur Ecclesia subiecta sit cruci, non imaginandum est omnes calamitates certorum delictorum poenas esse, et satis commode distribuuntur afflictiones in quatuor genera. Aliae sunt *τιμωρίαι*, id est, poenae certorum factorum, ut exilium Davidis, vel supplicium politicum homicidarum, quae etiamsi sunt poenae, non tamen merentur remissionem culpae, aut poenae aeternae, sed sunt signa irae Dei adversus peccatum, vel testimonia iustitiae Dei irascentis peccato.

Aliae sunt *δοκιμασίαι*, id est, exercitia utilia ad frenandos pios, et confirmandam fidem, ut aerumnae Ioseph.

Aliae sunt *μαρτύρια*, id est, testimonia doctrinae, et immortalitatis, ut Abel, Ieremiae, Pauli, et similium neces.

Aliae sunt *λύτρα*, id est, pretium pro aliorum peccatis. Tale autem est sola mors unius Filii Dei. Sic Matth. 20. nominat suam passionem ipse Filius Dei, qua voce admonemur de re maxima, videlicet, non sine admiranda disputatione, de collatione iustitiae et misericordiae Dei, remissa esse generi humano peccata, quomodo videlicet Deus simul et iustus, et misericors esset. Eiiciamus enim ex mentibus nostris stultas opiniones humanas, quae somniant Deum ut lentum patremfamilias, seu ut Stoicum non irasci peccato, imo iustitia Dei vere et horribiliter irascitur omnibus omnium peccatis, ut dicitur: Deus est ignis consumens.

Fuit igitur disputatio de collatione iustitiae et misericordiae, quam nulla creatura explicare potuisset, sed miranda deliberatione divina, res ita diiudicata est, ut ira in Filium derivaretur, et caeteris hominibus propter Filium parceretur. Nam necesse fuit Deo per obedientiam, vel per poenam aequivalentem satisfieri.

Huius mirandae deliberationis causas discemus in vita aeterna, nunc beneficium ipsum vult nos agnoscere Deus, et vult nos utrumque cogitare, ingentem esse misericordiam, quod genus humanum receptum est, simul veram et ingentem iram adversus peccatum, quod poenam, et compensationem tantam intervenire oportuit.

Huc pertinet vetus argumentum dignum consideratione.

Misericordiae est parcere, sed iustitia est immutabiliter servare legem, requirere obedientiam, vel poenam aequalem.

Deus non solum est misericors, sed etiam iustus. Non igitur remittit sine compensatione, seu satisfactione.

Respondeo. Concedo totum argumentum, non facta est remissio sine satisfactione, scilicet persoluta per Filium Dei, sola obedientia Filii Dei est satisfactio, et aequale pretium pro nostris peccatis, et sacrificium placans iram Dei, sicut et Esaias inquit: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Hanc victimam vult Deus aspici, et iram et misericordiam considerari, nec tribuendus est hic tantus honos, videlicet esse *λύτρον* seu satisfactionem pro peccatis, ulli hominum iustitiae.

Necesse est igitur taxari errores de canonicis satisfactionibus, sparsos in Ecclesiam horribili caecitate. Manifeste falsum est, remitti poenam aeternam propter canonicas satisfactiones, manifeste falsum et hoc est, potestate clavium tolli poenas temporales, non impositas arbitrio ministrorum, sed communes illas vagantes per totum genus huma-

num propter iram Dei vel propter confessionem, ut morbos, bella, inopiam et similes, quae sunt alias *δοκιμασίαι*, alias *τιμωρίαι*, alias *μαρτύρια*. Haec genera nihil ad potestatem clavium pertinent, id est, potestas clavium nec imponit, nec remittit.

Etsi autem vitandae obscuritatis causa nolo recitare omnes labyrinthos huius materiae, tamen quaedam argumenta refutabo, quae nunc excogitant aliqui astute, ut errores praetextu aliquo stabiliant.

Primum est hoc: Ecclesia pie facit iubens quaerere mitigationem poenarum, et modum ostendens.

Certissimum est autem propter bona opera mitigari poenas temporales.

Igitur Ecclesia recte facit, iubens facere certa opera.

Respondeo ad maiorem. Ecclesia recte facit iubens quaerere mitigationem poenarum, et modum ostendens scilicet traditum in Evangelio, non excogitans novos cultus. Verissimum est autem mitigari poenas tota conversione et bonis operibus a Deo mandatis. Clamat Ecclesia sicut Filius Dei, et sicut vox Spiritus sancti semper clamat: Agite poenitentiam. Item nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Item si peccata vestra fuerint ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Si eritis in tristissimis poenis, et velut homicidae in supplicio conspersi cruore: tamen Deus mitigabit poenas, deterget cruorem.

Item, Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

Haec inchoatio novae obedientiae, meretur mitigationem poenarum temporalium, et de his operibus a Deo mandatis intelligatur minor, non affingantur alia opera seu cultus non mandati a Deo. Quare si in conclusione addatur, Ecclesiam recte facere indicentem alia quaedam opera non mandata a Deo: insidiae sunt in conclusione, et neganda est consequentia, quia plus est in conclusione, quam in praemissis. Ecclesia recte facit praecipiens totam conversionem, et bona opera mandata a Deo, sicut mandata sunt, non recte facit fingens homines lege iustos esse, et alia nova opera facienda esse tanquam supererogationis, quae sint pretium ad compensandas poenas.

Caeterum de criminibus populo notis antea dictum est, Ecclesiam cum recipit lapsos, posse exempli causa publice commemorare delictum et poenitentiam, et adiungere aliquam piam obiurgationem et adhortationem etc.

Obiicitur et Pauli dictum: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur. Ergo si Ecclesia puniret, Deus parceret nobis, et mitigaret calamitates publicas et privatas.

Speciosum argumentum est, sed prudenter discernenda est vera castigatio ab hypocrisi. Totum argumentum verum est dextre intellectum: Si nos iudicaremus, id est, castigaremus seu emendaremus vera conversione, id est, si vero dolore cruciaremur, quod Deum offendimus, quod nostris scandalis turbavimus Spiritum sanctum, quod nobis et Ecclesiae cumulavimus miserias. In tali conversione, fides, spes, invocatio et nova obedientia vere impetrarent mitigationem poenarum, ut supra dictum est, et Iohel inquit: Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia bonus est, et remittit poenas.

Cum igitur Paulus inquit: Si nos iudicaremus etc. veram poenitentiam seu ipsam conversionem ad Deum intelligit, ne de aliis operibus non debitis loquitur, de quibus scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum, et sine vera conversione nulla opera Deo placent, quia Deus requirit obedientiam cordis, id est, verum timorem, veram fidem, spem acquiescentem in promissione Dei, veram invocationem, iuxta illa dicta: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate.

Item, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Nec plus valent coram Deo ieiunia non conversorum, aut aliae poenae, quam valuerunt lacerationes corporum, quas faciebant sacerdotes Baal, et quales hodie dicuntur facere Turcici sacerdotes, qui ritus omnes ad hanc regulam pertinent: Frustra colunt me mandatis hominum.

Haec de satisfactionibus hoc loco dixisse satis sit: Nam et alibi eadem doctrina saepe exposita est, sed necesse est totam doctrinam de poenitentia, saepe in Ecclesia repeti, ut omnibus notissima sit, et semper sit in conspectu, quia in omni invocatione quotidie cogitanda est. Semper enim obstrepit invocanti haec tristis concio: Peccatores Deus non exaudit.

Huius obiectionis refutatio sumenda est ex doctrina de poenitentia, videlicet non audiri pec-

catores, non agentes poenitentiam, sed agenti poenitentiam mandatum est, ut credat, se propter Filium Dei gratis recipi et accipi, ac placere eius invocationem: Hanc fidei lucem non sinamus extingui falsis opinionibus de satisfactione Canonica, sicut saepe in Ecclesia valde obscurata est etiam vetustis temporibus, et cum extinguitur haec lux fidei, recipiuntur opiniones Ethnicae, et Turcicae, quae fingunt remitti culpam propter satisfactiones humanas, sicut nunc quoque docent Turcae, remitti periurium diviti, si decem pauperibus praebeat vestem, et homines non praemoniti, facile capiuntur illa operum specie. Ideo tales opiniones maiore cura refutandae sunt, et simul corda excitanda sunt ad veram conversionem, quae sine ulla dubitatione impetrat auxilium Dei, et mitigationem praesentium calamitatum, ut dictum est.

Et pro hac luce doctrinae Deo, gratias agamus, et gratitudinem declaremus in confessione et studio conservandae huius puritatis.

VIII. DEFENSIO CONIUGII SACERDOTUM PIA ET ERUDITA,

MISSA AD REGEM ANGLIAE, COLLECTA A PHILIPPO MELANTHONE.

Haec Defensio anno 1540. scripta prodiit in hisce collectionibus scriptorum Melanthonis:

Defensio | *Conivgii Sacerdotvm pia* | *& erudita, missa ad Regem Angliae,* | *collecta à Philippo Melan-* | *thone.* | *ΑΔΕΣΠΟΤΑ.* | *Refvtatio abvsvvm Coe-* | *nae Domini.* | *Ervdita et vtilis dispv-* | *tatio de potestate Pon-* | *tificia.* — (In fine:) *Argentorati ex officina* | *Cratonis Mylii,* | *Men. Decemb.* | *Anno* | *M.D.XL.* 9 plagg. litt. A—I sign., 140 pagg. num., penult. 1½ foll. alba, ult. pag. Insigne typogr. cont., 8. min. (pag. 2. Querela animarum piarum ad Deum, de Tyrannis, qui interficiunt pios propter Evangelii professionem [10 Disticha]; p. 3 — 47. De coniugio Sacerdotum Phil. Mel.; p. 48—75. De usu integri Sacramenti corporis et sanguinis Christi; p. 76—101 med. Contra privatam Missam; p. 101. med. —109. De Missa theatrica; p. 110—131. De Potestate et Primatu Papae. ἀδέσποτον; p. 132—140. De Potestate et Iurisdictione Episcoporum, subiunctâ Clausulâ; penult. 1½ foll. [fol. I 7ª —8ª] vacant, ult. pag. [fol. I 8ᵇ] cont. Insigne typogr. Cratonis Mylii). *)

Huius collectionis prodiit a. 1549. haecce altera Editio:

Defensio. | *Conivgii* | *Sacerdotvm pia et* | *ervdita, missa ad Regem* | *Angliae, collecta à* | *Philippo Melanthone.* | *ΑΔΕΣΠΟΤΑ.* | *Refvtatio ab-* | *usuum coenae Domini.* | *Ervdita et vtilis* | *dispvtatio de potestate* | *Pontificia.* | *Vitembergae,* | *per Ioannem Cratonem.* | *M. D. XLIX.* — (In fine:) *Impressvm* | *per Ioannem Cratonem.* superposito Insigni Io. Cratonis. 9 plagg. litt. A — I sign., 70 foll. non num., ult. 2 foll. alba, 8. min. (fol. A 1ᵇ Querela animarum piarum ad Deum etc.; fol. A 2ª — C 8ª init. De coniugio Sacerdotum Philip. Melan.; fol. C 8ª med. — E 5ᵇ De usu integri Sacramenti corporis et sanguinis Christi; fol. E 6ª — G 2ᵇ init. Contra privatam Missam; fol. G 2ᵇ med. — 6ᵇ med. De Missa theatrica; fol. G 7ª — I 1ᵇ med. De

---

*) Haec Ed. et sequens in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris sunt.

Potestate et Primatu Papae, ἀδέσποτον; fol. I 2a — 6a med. De Potestate, et Iurisdictione Episcoporum; fol. I 6b Insigne typogr. litteras I K coniunctas continens, subiunctâ Clausulâ; fol. I 7. 8. vacant.).

Praeter hanc collectionem eadem scripta eodem ordine exhibentur in utraque Ed. collectionis supra recensitae, cuius titulus est: *Libelli aliquot utiles Philippi Melanthonis* etc. (*Vitebergae* 1560. et 1561. 8.) fol. 77b — 138a.

Denique eadem, exceptâ *Disputatione de Potestate Pontificia*, extant cum annotatt. marginal. in *Peucerianae Collectionis Operum Melanthonis Parte II.* (*Vitebergae* 1562. Fol.) pag. 168—200.

Defensio coniugii Sacerdotum, quae latine tantum cum aliis libellis coniunctim edita est, a **Iusto Iona** in germanicam linguam translata a. 1541. separatim prodiit sic inscripta:

> Eine Schrifft Phi- | lip. Melanth. new- | lich latinisch gestellet, Wid- | der den vnreinen Bapsts | Celibat, vnd verbot der Priester- | ehe. Verdeudtschet durch | Justum Jonam. | Wittemberg. | Anno M. D. XLI. — (In fine:) Gedruckt zu Wittemberg, | durch Joseph Klug. 9 plagg. litt. A—J sign., 35 foll. non num., ult. fol. album, 4. (fol. A 2a — J 2b med. Eine Schrifft Philip. Mel. Von der Priesterehe, Das sie wider alle Göttliche vnd natürliche Rechte, vnd alle gewonheit vnd brauch der Kirchen verboten ist; fol. J 2b med. — 3b cont. 9 Locos Scripturae S. germanice, illi libello annexos, in quorum fine Erratum atque Clausula leguntur; fol. J 4 vacat.). *)

Ab hoc Melanthonis scripto prorsus differt illud, quod primum a. 1551. seorsim prodiit sub hac inscriptione:

> *De Coniv- | gio piae commo- | nefactiones col- | lectae a Phi- | lippo Melan | thone. | Witebergae | excvdebat Io- | hannes Cra- | to. Anno | MDLI.* 4 plagg. litt. A—D sign., prima 8 foll. non num., 32 pagg. num., seqq. 13 pagg. non num., ult. 3 pagg. albae, 8. min. (fol. A 2a — 8a init. Melanthonis praefatio ad Petr. Medmannum Cal. Maii 1551. scripta; fol. A 8b Quatuor disticha; fol. B 1a — C 8b [pag. 1 — 32.] et fol. D 1a — 7a De Coniugio; fol. D 7b — 8b vacant.). **)

Deinde hoc scriptum *Locis Theologicis* et *Examini Ordinandorum* annexum iterum iterumque editum est. In huius Corporis Vol. XXI. p. 1051 — 1076. post Locos tanquam Appendix I. est recusum. In vernaculam linguam a **Steph. Agricola** translatum seorsim 1555. prodiit sic inscriptum:

> Christliche Erinnerung von dem heiligen Ehestande, verdeutscht durch Steph. Agricolam. Wittemberg 1555. 2 plagg. 8. ***)

Defensioni coniugii Sacerdotum, quae h. l. *ex Editione Witebergensi anni* 1549. denuo editur, in omnibus illis Editt. latini libelli, praefationis loco, praemissa est rhythmica *Querela animarum piarum ad Deum,* quam in huius Corporis Vol. X. inter Carmina auctoris non inveni, quam ob causam hic item praemittitur:

Querela animarum piarum ad Deum, de Tyrannis qui interficiunt pios propter Evangelii professionem.

O Pater alme Deus, terraeque polique creator,
Ista manum cuius machina vasta tremit,

---

*) Haec interpretatio in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

**) Hoc scriptum in Biblioth. senat. Norimb. et in meis libris est.

***) Haec translatio in Biblioth. senat. Norimb. invenitur.

Omnia qui cernis, verique es amator et aequi,
  Fallere quem non est ullius arte doli,
Unicus innocuis, si iustus es arbiter, umbris,
  Solus et insontis sanguinis ultor ades.
Si tua pacifici cruor intemeratus Abeli,
  Voce fatigavit sidera clara poli,
Ecquid adhuc iustam lentus non surgis in iram?
  Et potes haec contra te fera tela pati?
Ecce rebellantes audacter ut omne Tyranni,
  Iusque tuo Christo fasque piumque negant.
Respicis insontes animas, tristemque cruorem?
  Illis pro verbo quem damus ecce tuo.
Respicis, et patulis gemitus hos auribus hauris,
  Quos tibi semineces reddimus ore pio.
Utque truces raro tristi sine caede Tyranni,
  Et sicca ad stygias morte feruntur aquas,
Sic quoque nunc meritas pendent cum sanguine poenas,
  Quos iuvat iniusta tingere caede manus.

DE CONIUGIO SACERDOTUM

PHILIP. MELANTHON.

Ex Editione Witebergensi anni 1549.

Multi Principes viri palam fatentur defendi coelibatum, nec religione, nec superstitione aliqua, sed tantum quia commodior est ad potentiam et splendorem sacerdotum retinendum. Satis enim constat, concesso coniugio, oportere et numerum et pompam diminui, ut Graecorum sacerdotes nec tantas opes, nec imperia adepti sunt. Turba etiam tanta in singulis Ecclesiis, praeterquam ubi scholae erant, non fuit. Nolunt autem Episcopi et alii ambitiosi sacerdotes, aliquid de dignitate, aut de splendore detrahi. Accedit huc, quod Regum et Principum aulae sunt ornatiores et frequentiores satellitio Episcoporum et Canonicorum, qui comitantur aulas sine Regum sumptu. Et hic coetus magno usui est Regibus. Hinc sumuntur ludicum decuriae, hinc deliguntur homines expediti ad Legationes, ad multa et varia Regum negotia. Deinde Reges etiam adfectibus nobilitatis serviunt, quae est inimicissima coniugio sacerdotum, propterea quod ipsi nunc passim opulentis collegiis fruuntur. Et multae familiae dignitate et opibus augentur in hoc statu Ecclesiasticorum procerum. Amitteret autem nobilitas plerasque harum commoditatum, ut facile potest iudicari, si concederetur coniugium sacerdotibus, quod cogeret aliquid de luxu et de splendore diminui. Ideo coelibatum ambitiosi Canonici, Nobilitas, et Reges ipsi tanto consensu, tantis studiis defendunt. Est etiam multitudini Canonicorum grata licentia vulgo impune scortandi. Propter has causas haeret in Ecclesia ingens turpitudo, quae dedecorat totum nomen Christianum. Boni agnoscunt, quantum sit onus coelibatus, et tolli cuperent, et hi sunt paucissimi: Reliqua infinita multitudo quam inquinate vivit? Quam nepharia flagitia cernuntur Romae et alibi? Qualis est species collegiorum, in quibus sunt magna agmina scortorum et adulterarum? Haec rident Epicurei Pontifices ac Principes, et nos putant esse agrestes ac stolidos, qui has delicias arbitramur reprehendendas esse. Si iudicarent esse Deum, et vere irasci libidinibus, easque punire, facilius persuaderi possent, ut iniustas et tyrannicas leges abolerent, quae sunt fontes tantorum scelerum, quibus Ecclesia polluitur. Sed dolendum est adeo prophanas mentes esse multorum, ut libidines rideant, deinde defendant legem de coelibatu propter opes, et tamen falso praetexant religionem et nomen Dei. Hanc contumeliam nominis sui profecto Deus puniet, ut dicit: Non erit impunitus, qui nomine Dei abusus fuerit.

Haec praefari volui: quid enim opus est in causa perspicua disputatione ulla? Omnes enim honesti et mediocriter periti doctrinae Christianae et historiarum, norunt hanc Pontificiam legem de coelibatu pugnare cum iure naturali et divino, et

veteris Ecclesiae consuetudine, Et paulatim plus accessit tyrannidis. Circa tempora Gregorii qui ducebant uxores in Latina Ecclesia, tantum a ministeriis removebantur: Postea exacerbata lege, prorsus ademtum est coniugium sacerdotibus: Nunc interficiuntur qui ducunt uxores, cum in Ecclesiastica gubernatione inprimis lenitas adhibenda sit.

Etsi autem haec causa adeo perspicua est, ut non habeat opus longa disputatione, tamen colligam testimonia iuris divini, quae docent, sacerdotibus non prohibendum esse coniugium, eamque prohibitionem impiam et iniustam esse, recte facere pios sacerdotes, qui ducunt uxores, ac pertinere ad officium Principum, abolere prohibitionem illam iniustam et tyrannicam.

Vocamus autem coniugium, legitimam et perpetuam coniunctionem unius viri, et unius tantum foeminae divinitus institutam generationis causa, et ordinatam ad vitandas libidines prohibitas, iuxta dictum illud: Erunt duo in carne una, videlicet, ut in ea vocatione Deo conditori morem gerant, obtemperent eius ordinationi, vitent ne polluantur contra eam ordinationem, vir non despiciat sexum foemineum, sed honore adficiat, et sciat sibi quisque suam coniugem, tanquam partem generis humani, tuendam, iuvandam, et amandam esse, procreent liberos, eisque tradant veram Dei notitiam, ut agnitio Dei propagetur, et in terris conservetur. Hi sunt enim praecipui fines coniugii, de quibus saepe concionatur doctrina coelestis. Accedunt et alii fines, coniugia colenda esse, ut iuvemus communem societatem hominum, ut cives gignamus atque educemus usui futuros patriae. Hi fines Philosophis et Legumlatoribus noti fuerunt. Sed Plato etiam de priore fine loquitur, inquiens, Ideo coniugio utendum esse, quia, cum homines ex hac societate morientes discedant, debeat unusquisque pro se alios Deo cultores in hoc coetu relinquere. Haec vox dignissima est memoria piorum: Nam hic praecipuus finis coniugii esse debet. Propter hunc finem expetebant liberos Abraham, Isaac, et multi veteres Episcopi, ut relinquerent fidos custodes doctrinae coelestis.

Prima Ratio.

Quod sacerdotibus liceat habere coniuges, aperte testatur Paulus ad Timotheum et ad Titum: Oportet Episcopum unius uxoris maritum esse. Haec sententia sine ulla dubitatione testatur, non pugnare coniugium cum ordine, sed licere eligi sacerdotem maritum. Repudianda est igitur illorum amentia, qui vociferantur coniugium cum natura ordinis pugnare. Tota Graeca Ecclesia usque ad hunc diem testatur, Sacerdotes posse maritos esse, posse habere uxores, vel ante ordinationem, vel postea ductas, ut infra copiosius ostendemus. Nunc illud tantum agimus, ut ostendamus sacerdotes posse esse maritos: quod dicimus ad refutandum errorem illorum, qui contenderunt coniugium cum ordine pugnare. Nec levis est hic error, ac multa deliramenta complectitur, fingit coniugium esse rem immundam, hoc est, vitae genus vitiosum, quod aut non adprobet Deus, aut certe in aliquo piorum hominum gradu non adprobet. Huic superstitioni necesse est reclamare, quae quidem damnata est etiam in Synodo Gangrensi, in qua sunt utilia et pia decreta contra Marcionis sectam facta, in quibus et hoc est: Si quis discernit Presbyterum conjugatum, quasi propter nuptias offerre non debeat, et ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit. Etsi autem quaerunt adversarii cavillationes ad hoc decretum eludendum, tamen certum est, hanc esse sententiam, Coniugium presbyteri nihil differre a coniugio aliorum, et id vitae genus Deo placere. Cum igitur certum sit, ex testimoniis scripturae et veteris Ecclesiae, ordinem non pugnare cum coniugio, sententiae generales dictae de omnibus viris, etiam ad sacerdotes pertinebunt. Accedunt igitur reliqua testimonia.

Secundum Testimonium.

Vitandae scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat. Haec sententia praecipit omnibus uti coniugio, qui non sunt ad coelibatum idonei, ac sine ulla dubitatione pertinet non ad solos Laicos, sed etiam ad Sacerdotes. Est enim universale mandatum: Unusquisque uxorem habeat vitandae scortationis causa. Nec ulli ab hoc mandato sunt excepti, praeter illos quos Deus excipit, videlicet, qui aut natura sunt emasculati, aut praediti singulari dono, ut pure etiam sine coniuge vivere possint: tantum hi sunt excepti a regula, de caeteris omnibus valet dictum Christi: Non omnes capiunt hunc sermonem. Natura enim hominum ita condita est: ut sit foecunda, sicut in Genesi scriptum est: Masculum et foeminam creavit eos, id est, indidit utrique sexui mutuam coniunctionis appetitionem, quae quidem in natura integra fuisset sine vitio. Nunc non est sublata naturalis inclinatio, sed vagatur sine ordine, eoque magis opus est coniugio, ut coherceatur, sicut omnes doctores scribunt, coniugio post lapsum primorum parentum

non tantum procreationis causa utendum esse, sed etiam ut sit remedium errantium appetitionum. Manet inclinatio ad sexum, quae est στοργὴ φυσικὴ a Deo indita naturae hominum, sed nunc sine ordine vagatur. Cum igitur eo magis opus sit coniugio, dixit Paulus: Vitandae scortationis causa, unusquisque uxorem suam habeat. Nec levem sententiam putemus adiectam esse ad praeceptum in Genesi, ubi de benedictione, de procreatione dicitur: Hic additur doctrina de remedio, ut magis intelligatur necessarium esse coniugium. Quid contra haec dici potest? An obscurum est, qualis sit natura hominum, quanta infirmitas, quam pauci praediti sint dono continentiae? Quam multae leguntur et audiuntur querelae bonorum, qui cum conati sint pure in coelibatu vivere, tamen senserunt se id nequaquam assequi posse. Repugnant enim duae res maximae: Primum, ipsa naturae inclinatio, deinde, infirmitas quae accessit. Sed reclamant adversarii, et domari naturam iubent inedia, laboribus, et aliis vexationibus, ut extinguantur libidinum incendia. Cur ipsi non domant? Multi boni fatentur, se infeliciter hoc conatos esse. Non enim sine gravi causa dictum est a Paulo: Melius est nubere, quam uri. Nisi adsit singulare donum naturae corporum, etiamsi inedia aut laboribus duriter vexentur, tamen, ut ita dicam, interdum exundant. Haec Paulus docet vitanda esse.

Tertium Argumentum.

Stabilire doctrinas daemoniorum est impietas. Prohibitio coniugii est doctrina daemoniorum: Ergo stabilire ac defendere eam, est impietas. Paulus enim in priore ad Timotheum aperte vocat prohibitionem coniugii doctrinam daemoniorum. Nec leve malum significat Paulus, cum nominat doctrinas daemoniorum. Hae fanaticae prohibitiones multa ingentia mala pariunt, ut res ostendit. Infinita multitudo contaminata libidinibus, ruit in aeternum exitium, propterea quia non licuit uti coniugio. Et otium ac opes auxerunt luxum, qui multa vitia complectitur, ambitionem, ingluviem, et libidines. Non stupris, non adulteriis contenti sunt Pontifices, Cardinales, et Monachi, sed accedunt teterrima flagitia, propter quae Deus saepe totas urbes subito delevit, ut Sodoma, Sybarin, Athenas, Spartam, Thebas, Romam, et alias multas. Nunc prohibitio coniugii non tantum haec vitia parit, luxum, libidines omnis generis, sed etiam crudelissima parricidia. Nam propter hanc legem pii interficiuntur, qui ducunt uxores. Tanta seges malorum cum ex una lege oriatur, satis apparet Paulum non exiguam rem significasse, cum nominat doctrinas daemoniorum. Atque haec prohibitio statim post Apostolica tempora concutere Ecclesias coepit. Montanus et Marcion, ut se venditarent simulatione maioris puritatis, prohibuerunt ac damnarunt coniugium. Ac narrat horum Epiphanius horrenda flagitia, deque ipso dogmatis autore Marcione scribit, cum exceptum hospitio a quodam Diacono in Cypro, abduxisse ab hospite uxorem ipsius, deceptam specie novae religionis. Sed cum abductam stuprasset Marcion, misera mulier aliquanto post ad maritum rediit, deplorans suum erratum, et veniam petivit. Hanc mulierem ait multis postea monitricem fuisse, ne amplecterentur Marcionis dogmata, cum narraret, alias multas mulieres in eo sodalitio, etsi simulabant continentiam, tamen promiscue obnoxias esse libidini fanaticorum Doctorum. Haec fuerunt initia legis de coelibatu. Postea secuti sunt ἐγκρατηταί. Ab horum exemplo Monachi orti sunt: Et ne viderentur inferiores Sacerdotes istis, coeperunt hi quoque partem superstitionis imitari. In Synodo Nicena quidam voluerunt decretum fieri, ut hi qui habebant uxores, electi ad munus Ecclesiasticum, postea a consuetudine uxorum abstinerent. Quanquam autem tunc repudiata est haec impietas, tamen aliquanto post haec tyrannis pervasit in Ecclesias in Occidente, ut postea dicam. Haec erant semina tyrannidis Antichristi, cuius et hanc legem propriam fore praedixit Daniel, qui ait: illum impium Regem dominaturum in Ecclesia, nec Deum, nec mulieres curaturum, sed foedis et incestis libidinibus contaminaturum esse Ecclesiam. Quid hoc aliud est, quam digito monstrare Romanos Pontifices? Horum tantorum scelerum, quae significat Paulus et Daniel, societate contaminantur, qui defendunt legem de coelibatu, stabiliunt doctrinas daemoniorum, approbant regnum Antichristi, confirmant foedas libidines, et multas alias pestes. Ideo pietas est, non defendere, non adprobare, sed prorsus illam perniciosam legem abolere, et reddere Ecclesiis pium usum coniugii divinitus institutum.

Quartum Argumentum.

Hactenus recensui testimonia ex scripturis, nunc adiiciam exempla primae et purioris Ecclesiae. Nihil dubium est, Apostolorum tempore et diu post, in Graeca et Latina Ecclesia fuisse Sacerdotes maritos. Apud Eusebium lib. 5. Ecclesiasticae historiae fit mentio Polycratis Episcopi Ephesii, qui ait se ortum ab Episcopis, haec enim sunt verba: Sed et ego omnium vestrum minimus Polycrates, traditionem parentum meorum observo, septem namque ex parentibus meis per ordinem

fuerunt Episcopi, ego octavus, qui omnes ita observaverunt hunc diem. Habuit et Latina Ecclesia maritos Sacerdotes longo tempore, ut Syricii historia testatur, qui primus divellere coniugia Sacerdotum in Hispania conatus est, etsi Sacerdotes Hispani parere decreto Syricii recusarunt, et patronum habuerunt suae causae Episcopum Tarraconensem, qui respondens Romano Episcopo, citat dicta Evangelii, quae vetant dissolvi connubia. Sed rescripsit Syricius adeo arroganter ac stolide, ut mirum sit tantam tunc in Ecclesia inscitiam, audaciam, impietatem, et tyrannidem fuisse. Vituperat honestos maritos, et contumeliose vocat libidinum defensores. Insulse detorquet et dictum Pauli contra coniugium: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si tanta erat inscitia, ut arbitraretur hoc dicto vituperari coniugium, multo dignior fuit Syricius, qui remos in navi agitaret, quam qui ad gubernaculum in Ecclesia Christi sederet. Sed si sciens ita lusit, impudentia multo magis fuit digna odio, quam inscitia. Vivere secundum carnem, est ruere contra mandata Dei, non significat uti coniugio, cibo, potu, iuxta mandata Dei. Postea Gregorius sacerdotum coniugia distraxit in Sicilia, ac paulatim vetus consuetudo abolita est. In Germania sero, etiam reclamante Episcopo Augustano, ut apparet, gravi viro Ulrico, impositum est onus coelibatus nostris Sacerdotibus. Deinde Moguntiae cum decretum Hildebrandi teterrimi monstri proponeretur de coelibatu, tanto tumultu repudiatum est iniustum et turpe edictum, ut pene manus iniectae fuerint Episcopo Moguntino et Curiensi, qui legatus erat Hildebrandi, etsi Moguntinus fuit aequior, qui promisit se daturum operam, ut Hildebrandum de sententia deduceret. Multa alia testimonia extant, quae ostendunt admodum recentem esse hanc legem de coelibatu, quae nunc ab adversariis plus quam Neroniana crudelitate defenditur. Quanquam autem res nota sit, tamen haec recensui, ut ipsa exempla commonefaciant lectores, coniugium non pugnare cum ordine, ut aliqui somniant, et nos non esse autores novi exempli in Ecclesia, sed veterem et piam consuetudinem revocare.

Quintum argumentum.

Naturalia vere sunt immutabilia, nec prohiberi legibus humanis possunt, ut appetitio et usus cibi ac potus. Appetitio maris ad foeminam est iuris naturalis: Ergo non est humanis legibus prohibenda.

Minorem ostendunt dicta in Genesi: Creavit Deus masculum et foeminam. Quibus videlicet indidit mutuam coniunctionis appetitionem, quae, ut supra dixi, in natura integra etiam fuisset, et fuisset ordinata. Nunc inclinatio illa non sublata est, sed, ut dixi, vagatur sine ordine, ideo magis opus est coniugio. Pugnant igitur cum natura, qui prohibent legitimam coniunctionem maris et foeminae, ut si prohiberent honorem praestari parentibus, aut alia, quae divinitus ordinata sunt in hominum natura. Neque enim excepti sunt ab hoc iure naturae ulli, praeter eos quos Deus excepit, iuxta dictum Christi, videlicet, qui aut natura eunuchi sunt, aut habent singulare donum. Testatur autem Christus id donum non contingere multis, ut eventus ostendit. Et iudicare quisque facile potest, quid velit Paulus inquiens: Melius est nubere, quam uri. Cum igitur ius divinum et naturale praecipiant uti coniugio omnibus, qui non sunt ad coelibatum idonei, et consuetudo primae Ecclesiae testetur, Sacerdotes fuisse maritos, satis liquet, legem de coelibatu iniustam et abolendam esse, et sacerdotes qui ducunt uxores, recte et pie facere. Sed quia hanc verissimam sententiam quidam ineptis cavillationibus labefactare conantur, has breviter diluemus.

Confutatio.

Praecipua cavillatio est de voto. Etsi propter opes et splendorem sacerdotum defenditur coelibatus, tamen votum praetexitur. Multi fatentur, Sacerdotes, si voto non impedirentur, posse uxores ducere, Sed quia votum accessit, arcent eos a coniugio. Sed haec obiectio multis firmissimis causis refutari potest. Ac priusquam ad refutationem accedo, hoc postulo ab istis, qui votum allegant: Si tantum voto impeditur coniugium, cur non abolent Episcopi morem vovendi, cum videant inde tantum oriri scelerum? cum videant Ecclesiam adeo deformatam esse spurcissimis moribus plurimorum? Nec dubium est, singulos Episcopos hanc vovendi consuetudinem in sua dioecesi et posse et debere abrogare. Deinde haec tota consuetudo vovendi prorsus dissentit a natura voti, et plena est ambiguitatum, Ut Hypocrisis est flexiloqua et ambages habet plurimas. Primum, etiamsi vovent, tamen omnes qui accedunt ad hunc gradum, mallent non vovere, dolent vitae genus oneratum esse hac servitute. Porro, Non est votum, quod non est voluntarium. Temporibus haec recepta sunt, et confirmata exemplis multorum et potentum. Haec reliquum vulgus, ut solet fieri, imitatur. Sed res ipsa dissentit a natura voti. Omnes enim sani mallent sibi concedi coniugium. Sed videamus ambigua. Scio diversis modis proponi obligationem. Alii dicunt

haec verba: Promitto castitatem, quatenus humana fragilitas permittit. Hi certe non promittunt se non usuros esse coniugio. Nam conditio non concedit scortationem. Alii dicunt haec verba: Promitto me obtemperaturum esse Canonibus. Et haec est forma verborum in vetustioribus Ecclesiis. Vide autem Lector, quae hic sit ambiguitas. Canones diversi sunt, Veteres non prorsus adimebant coniugium Pastoribus Ecclesiarum aut Diaconis, sed si quis ducebat uxorem, removebant a ministerio, Haec missio tunc beneficii loco esse poterat, cum non erat otium sacerdotibus, quale nunc est in collegiis, sed Pastores in acie stabant, et maximis periculis gubernationis et confessionis exercebantur. Postea Canones tyrannici conditi sunt, sine autoritate Synodorum, loquentes de perpetuo coelibatu. Sed quoquo modo haec verba accipiuntur: Promitto obedientiam Canonibus, constat erudita et vera interpretatione, tantum lege, non voto prohiberi coniugium, sicut lege adiguntur ad alias multas ceremonias in Canonibus traditas. Estque nota sententia talium promissionum, cum pollicemur nos legibus obtemperaturos esse. Obligamus enim nos ad poenam subeundam. At nulli Canones poenam capitalem irrogant: Imo crudelitas est indignissima Ecclesia, afficere capitali supplicio hominem propter coniugium. Sed omitto has tenues excusationes, quae etiamsi valent, tamen conscientiae flagitant graviorem et firmiorem doctrinam.

Exaggerent igitur votum, quantum volent, tamen opponenda est haec sententia, quae labefactari nullo modo potest. Omnia impia vota, et facta contra mandata Dei, sunt irrita. Votum coelibatus est impium, et factum contra mandatum Dei, Quare est irritum.

Haec ratio nulla cavillatione eludi potest, et vere liberat pias mentes superstitione huius voti. Constat enim vota facta contra mandata Dei, irrita esse. Non enim colitur Deus iis factis, quae prohibet, ut inquit Psalmus: Non Deus volens impietatem tu es. Quoties clamitant Canones, in promissis, quae sine peccato praestari non possunt, pacta rescindenda esse? Pugnat autem hoc votum cum mandatis divinis, et iure naturae, ut supra dictum est. Deus praecipit his, qui non sunt idonei ad coelibatum, ut coniugio utantur, idem sancit ius naturae. Non potest autem voto tolli aut lex divina, aut ius naturae, ut si quis promittat se non affecturum honore parentes.

Est et alia causa, cur hoc votum sit impium, quae est quidem firmissima, sed rudes doctrinae Christianae non satis eam intelligunt, Superstitiosi cultus non placent Deo, iuxta illud: Frustra colunt me mandatis hominum. Item: Non Deus volens impietatem tu es. Hoc votum est superstitiosus cultus, et multos errores complectitur: Ideo non placet Deo. Nam tota res ex superstitione orta est illorum, qui non intelligebant iustitiam fidei, nec norant haec oeconomica et politica officia consecrata verbo Dei esse bona opera et Deo placentia, in quibus Deus vult nos iuxta verbum suum servire, exercere fidem, et dilectionem, nec excogitare novos cultus, quos ipse nobis non proposuit. Fingunt igitur coelibatum esse opus excellens, propter quod Deus fiat placatior hominibus, Arcent coniuges a Deo, tanquam immundos, hoc est, non placentes Deo, aut certe implicitos vitae generi multo periculosiori, quod vix possit placere Deo, sicut constat, multos de coniugalibus officiis dubitasse, an Deo placeant. Hae superstitiosae opiniones non exiguas tenebras induxerunt doctrinae de iustitia fidei, et de veris Dei cultibus. Constat autem ex ipsis Canonibus vota hoc errore flagitari et praedicari. Canon, Proposuisti, distin. 82. diserte allegat hanc causam: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Quod dicemus esse falsi crimen, si hoc non est? Flagitiose enim detorquet Papa dictum Pauli ad prohibitionem coniugii, cum longe aliud velit Paulus: Hic ludus nequaquam in Ecclesia tolerandus est. Ac mirum est, tot seculis homines doctos, qui Canones legerunt, tulisse has coniugii contumelias. Alius Canon, Decernimus, allegat causam prohibiti coniugii, quia non debeat sacerdotes servire cubilibus et immunditiis.

Haec impie dicta reprehendi in Ecclesia necesse est, et hac persuasione facta vota haud dubie sunt irrita. Coniugium enim est munditia, hoc est, genus vitae Deo placens, sicut testatur Paulus, inquiens: Salvetur mulier per filiorum generationem. Laudat officium coniugale. Nam veri cultus Dei sunt opera, quae ab ipso nobis praecepta sunt, quae fiunt praelucente ipsius verbo. Haec doctrina in Ecclesia multis de causis necessaria est. Cum enim cultus excogitamus nostro arbitrio, disceditur a verbo Dei, vera notitia Dei amittitur, ac firma consolatio in veris agonibus excutitur.

Ubique igitur damnant Prophetae ἐθελοθρησκείας, revocant nos ad opera praecepta divinitus. In his luceat fides, quae petat gubernari pericula, exitus: In his exerceantur dilectio et caeterae virtutes. Porro, ut munditiеs vere significat hanc obedientiam Deo placentem, ut dixi, ita immunda opera sunt, non solum scortationes, sed etiam omnes superstiosi cultus non mandati a Deo. Quare coniugalia officia vere sunt munditiеs, ut recte dixit Paphnutius, castitatem esse consuetudinem coniugalem.

Econtra vero coelibatus non eo tantum est immunditiës, quia paucissimi sine turpitudine sunt coelibes, sed etiam ob hanc causam, quia est superstitiosus cultus.

Cur igitur laudat Paulus ad Corinthios virginitatem? Laudat in his, qui sunt idonei, et qui propter hunc finem id vitae genus amplectuntur, ut expeditiores sint ad docendum, ad serviendum Ecclesiis: Non sic laudat, quod id opus magis gratiam mereri iudicet. Hunc errorem pugnantem cum iustitia fidei maxime execratur. Non negamus differre genera vitae: Antecellit gubernator civitatis nautae, sed non magis meretur gratiam gubernatio civitatis, quam ars nautica. Et fieri potest, ut nauta verius colat Deum, quam gubernator civitatis. Non igitur differunt hi gradus, quod ad vitam spiritualem, seu quod ad gratiam attinet, etsi inter sese collati in vita externa alii aliis antecellunt, vult enim Deus esse ordinem functionum.

Hactenus de voto dixi, quantum in hoc loco opus est, quod valde exaggerant quidam, non quod sic sentiant, sed ut qualicunque praetextu retineant morem ipsis utilem. Revera lege humana, non voto prohibetur coniugium. Et ut accederet votum, certissimum est vota irrita esse, quae fiunt contra mandata Dei, quae sine peccato non possunt praestari. Cur ad hanc excusátionem gravissimam et verissimam, surdas aures habent isti asperi atque immites coelibatus defensores, cum palam videant, quantum scelerum oriatur ex hac coniugii prohibitione? Si arbitrantur Deum offendi libidinibus, cur non iubent Episcopos abolere votum? cur laqueum scientes iniiciunt his, qui ad Ecclesiasticas functiones adhibentur?

Nec peto in hac causa aliud, nisi ut iudex animum adferat aequum, cupientem consulere conscientiis piorum, amantem veritatis, abhorrentem a monstrosis libidinibus, quae parit coelibatus, cogitantem vere Deum irasci vulgari scortationi et adulteriis, sicut inquit textus: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Si quis autem própter opes et splendorem sacerdotum decrevit omnino defendere coelibatum, quid cum illo disputemus, qui causam non veritate, sed utilitate metitur? Et callidis ingeniis non difficile est excogitare praestigias aliquas, ad eludendam quamvis perspicuam veritatem. Sed a iudiciis controversiarum Ecclesiae, removenda est Sophistice, quam odisse omnes pios et graves viros ex animo decet.

Secunda Obiectio.

In Lege abstinebant Sacerdotes a consuetudine coniugum, certo tempore, dum obibant suas functiones. Nunc Sacerdotes semper esse parati ad ministeria sua debent: Ergo semper abstinere debent. Sic est, Non desunt cavillationes iis, qui veritatem non amant. Utitur hoc argumento Papa in distin. 82. Sed si volunt exemplum Legis sequi, cur in totum prohibent coniugium? Lex exiguo tempore consuetudinem coniugum interdixit. Quis est autem, quem non ipsa negotia interdum domo abducant? Nec propterea in totum prohibendum est coniugium. Et Sophisticum est quod addit Papa, Cum sacerdotes semper debeant esse parati ad ministeria, semper abstineant. Concedit intervalla officium publicum, et pii sciunt, ubi consuetudo coniugalis moderanda sit, Deinde, non sunt onerandae conscientiae ritibus Mosaicis. Quare non est immundities, hoc est, res displicens Deo, coniugale officium, sicut Paulus inquit: Omnia munda mundis. Canones quadam κακοζηλίᾳ et inerudita imitatione Mosaicarum ceremoniarum cumulaverunt superstitiones in Ecclesia., Eamque κακοζηλίαν reprehendi necesse est, sicut et Paulus ad Galatas eam duriter taxat: Discamus fide in Christum nos sanctificare, et in bonis operibus obedientiam verbo Dei ordinatam et approbatam magnifaciamus, meminerimus Deum velle nos verbo suo gubernari, non eligere quamvis speciosa opera nostro iudicio sine verbo Dei. Nec dicam prolixius de hac obiectione. Breviter enim ad Maiorem respondendum est, In Lege Sacerdotibus coniugium concedi: Ergo nec nostris prohibendum est. Intervalla moderabuntur homines pii pro negotiis. Nec propter hanc causam iniiciendi sunt laquei conscientiis, nec prorsus adimendum coniugium.

Eodem modo diluendae sunt et multae aliae obiectiones. Quidam aiunt, Sacramenta non contrectanda esse ab immundis. Iam si Sacerdotes essent mariti, saepe contrectarent sacramenta post coniugalem consuetudinem. Respondeo, ut iam dictum est: Scortatio est immundities, et vere displicet Deo. At coniugalis consuetudo non est immundities, sed opus ordinatum et approbatum verbo Dei, placens Deo. Et tamen pii moderari usum pro tempore norunt: Et negotia ipsa excutiunt bonis viris domesticas cogitationes.

Idem respondeo de dicto Esaiae: Mundamini qui fertis vasa Domini. Propheta de vera munditie hic loquitur, id est, de universa obedientia, quam Deus approbat. Qui gestant vasa Dei, id

est, qui docent Evangelium, qui regunt Ecclesias, habeant mentes non pollutas scortatione, et aliis sceleribus, sed agant poenitentiam, Deo obediant, ut locupletentur donis spiritualibus, timore, fide, constantia, et caeteris virtutibus: Mundities enim significat universalem obedientiam, cum Prophetae loquuntur de vera, non de ceremoniali munditia. Denique haec ipsa vox: Mundamini, qui fertis vasa Domini, iubet ut sacerdotes agant poenitentiam, fiant mundi mariti, nec se polluant deinceps scortatione, adulteriis, et aliis flagitiis. Quis autem non doleat connivere Pontifices et Principes ad vagas libidines sacerdotum, interea vero durissime adversari honesto coniugio? cum sit societas vitae pulcherrima, instituta divinitus, Deo placens, ornata ingentibus miraculis a Deo.

Primum enim praesentia Dei maxime conspicitur in generatione, formatione foetus, in edendo partu. Haec mira opera voluit Deus testimonia esse, quae nos commonefaciant, ut statuamus, nos non casu oriri, sed Deum autorem et conservatorem esse generis humani, idque beneficium agnosci, praedicari, celebrari vult in hac societate, tanquam in choro. Ideo enim homines ad societatem conditi sunt, ut alii alios de Deo et eius voluntate doceant. Nec minus lucet eius bonitas in nutritione, Lac gignit in maternis uberibus, ad alendos infantes, coniugibus foecundat agros, et miro modo genus humanum alit. Addit et piorum Angelorum excubias, ut defendant parentes et liberos conflictantes variis aerumnis. Sunt et pueri maxima pars Ecclesiae, sicut inquit Christus: Talium est regnum coelorum.

